Bibliotheca
Herderiana.

PETRI BELLONII CENOMANI,

PLVRIMARVM SINGVLARIVM & memorabilium rerum in Græcia, Asia, Ægypto, Iudæa, Arabia, aliisq. exteris Prouinciis ab ipso conspectarum Obseruationes, tribus Libris expressæ.

CAROLVS CLVSIVS ATREBAS
è Gallicis Latinas faciebat.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regij.
M. D. LXXXIX.

BIBL.
ACADEM
DORPATEN

APPROBATIO.

IN *hoc libro ex Gallico verſo in Latinum, olim cum Priuilegio Cæſareo impreſſo, nihil cõtinetur quod Catholicæ religioni aduerſetur. Datum Antuerpiæ hac octaua Februarij, Anno* M. D. LXXXIX.

Michaël Hetſroey Bruegelius,
Canonicus Antuerpienſis.

SVMMA PRIVILEGII.

CAROLI V. Cæſaris auctoritate conceſſa eſt facultas Chriſtophoro Plãtino, Typographo & Bibliopolę Antuerpiẽſi, imprimendi *Petri Bellonij Cenomani rerum per Græciam, Aſiam, Aegyptum, aliáſque exteras regiones, obſeruatarum libros tres*. Vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, 20. Auguſti. 1555.

Sign.

De Zoete.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO, DOMINO MAVRITIO, *W. F. Landgrauio Haſsiæ, Comiti in Catzenelbogen, Dietz, Zigenhain, & Nidda, &c. Domino ſuo clementiſsimo.*



LARVIT apud Gallos, Illmc Princeps, noſtra ætate Petrus Bellonius, non contemnendæ eruditionis, magnæ diligentiæ, acris iudicij, indefeſſi ſtudij vir; quemadmodũ ex eius lucubrationibus, quas partim Latino, partim Gallico ſermone euulgauit, perſpicere licet. Nam exſtant libri De Coniferis arboribus & perpetua fronde virentibus, De admirãda veterum fabricarum ſtructura, De Medicato funere, Latinè conſcripti: Gallicè verò Libri De Auibus, De Piſcibus, & Itinerarium: Librum etiam de Serpentibus & Inſectis, atq. Commentarios in Dioſcoridem meditabatur: ſed laudabiles ipſius conatus inopina mors, nefarij latrõnis manu illata, interrupit, non ſine magno litterariæ Reipublicæ diſpendio.

ITINERARIVM ſuperiore anno in manus ſumſi, atque Latinum reddidi, ſic apud me ſtatuens, illius lectionem inutilem haud futuram his qui Gallicam linguam ignorant, ob miram rerum ab Auctore tota

ſua peregrinatione obſeruatarum, & in tres libros congeſtarum varietatem. Continent enim non modò regionum quas adiit, ſitus, & indigenarum ritus & mores: verùm etiam multarum exoticarum ſtirpium iſtic naſcentium nomina, & diuerſorum quæ alunt animalium hiſtoriam.

PORRO cùm proximo autumno animaduerterim Illam V. C. iucundiſſimo Herbariæ rei ſtudio magnopere delectari, & Illuſtriſſimi Principis Parentis ipſius veſtigia ſequi: iſtam qualemcumq. meam verſionem Illmæ V. C. nomini nuncupare, illiusque patrocinio commendare nō ſum veritus, ea ſpe fretus, quòd pro ſua ingenita clemētia id ſuſcipere nongrauabitur.

DEVS opt. max. Illmam V. C. ad ſui nominis gloriam, & Illmæ Haſſiacæ familiæ decus incolumē diutiſſimè cōſeruare dignetur. Noribergæ, Idib. Nouembr. cIↃ. IↃ. xxcvi.

Illmæ V. C.

obſeruantiß.

Carolus Cluſius Atrebas.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO,

Francisco Cardinali à Turnone, singulari atque liberali omnium virtutis studiosorum Mæcenati,

PETRVS BELLONIVS EIVS HVMILIS DOMESTICVS CLIENS Salutem & prosperam valetudinem.

NON *immeritò, Ill^me ac Reuerend^me Domine, docti viri te admirantur, atq. exteri nostræ Reipublicæ fauentes, quemadmodum & Galli, magna in æstimatione habent tuum singulare iudicium, & laudibus efferunt tuam prudẽtiam & virtutem: nam præ reliquis illustribus Præsulibus, vnus singulari amore prosequutus es & honore affeciſti politiores literas, atque literatos euexisti, & speciali quodam fauore excitasti, ac eorum studia promouisti, dum bonæ spei pueros atq. adolescentes deligis, quos ali atq; in omnibus artibus eruditi curas, cùm in publicis Academiis, tũ in tuis Turnonensibus Collegiis, aliisq; quæ exstrui iussisti, & experientia doctrináque claris viris egregiè instruxisti. Scientiæ & disciplinæ nunc nostris hominibus familiares & vulgares, meritò te Patronum appellant; quoniam dũ grauissimum nostræ Reipub. onus sustines, volupe tibi fuit illas produ-*

producere, & fecunda ingenia excitare atque promouere pro illorum meritis, hisq; vti in iis rebus ad quas vel procliuia vel apta reperta sunt vt publicæ vtilitati seruirent. Hinc factum est, vt hominum ingenia, antea quodammodo somnolenta atq. inueteratæ ignorantiæ somno torpentia, excitari, & è tenebris quibus tam diu sepulta fuerant, emergere cœperint, atque in ipsa pullulatione eduxerint in publicum omnia bonarū disciplinarū genera; quæ in ipso eo felici & optato exortu (haud secus ac nouellæ plātæ, quæ fugata iam asperæ hiemis intemperie, solis calore fouētur, atq. veris tepore recreātur) incōparabilem Mæcenatē, & adeò idoneū restauratorem nactæ, illico pullularunt, & suos turiones produxerunt: deinde ipsarum virgultis colore addito, caudicibusq; nouo virore intectis, ad gratum æstatis tempus peruenientes, singulæ elegantissimis flosculis sese exornarunt, atque tandem iucundissimos atq; incomparabiles fructus produxerunt, quos singulæ certatim, tanquam census primitias, suo summo Ornatori, & gratissimo Soli, cuius benigno aspectu recreatæ fuerāt, obtulerunt. Is autem erat Magnanimus, sapientissimus, & prudentissimus Rex FRANCISCVS *huius nominis primus, cui tanquam liberali Mæcenati hominū virtutis studiosorum, nemo fuit qui non omni ratione conaretur aliquod honestum munusculum præbere, præsertim*

tim verò fructus ex ameniſsimo horto arboribus Mineruæ ſelectiſsimo calamorum genere conſitus frequenti decerptos, quos ſingulari affectu proſequebatur. Fuit etenim adeò benignæ & liberalis naturæ, vt nemo vnquam ſiue peregrinus, ſiue in ipſius regno natus, quidquam quantumuis etiam exile illi obtulerit, quod non humaniter exceperit, & quin donantem regio munere, & laudata mercede honorarit. Eam ob cauſam omnes iſtius tam inſignibus virtutibus præditi, atque incomparabilis Principis ſcientiarum parentis exemplum imitabantur: ſic vt eius Aula elegans quædam Academia, aut veterum Philoſophorum ſchola, in qua omnis generis virtutum Theoria & praxis doceretur, videri poſſet. Cùm igitur, Illuſtriſs. Domine, te Muſæ agnoſcant præ cæteris ignorantiæ capitalem hoſtem, nec ignaræ ſint quàm multæ ſcientiæ in tuo diuino ingenio ſint infuſæ; communi conſenſu palmam tibi detulerunt, perſpecta tui pectoris nobilitate; atque ex eo tempore te pro ſuo Præſide delegerunt, ſummúmque Phœbum conſtituerunt ſupra inſtrumentorum ſuorum Muſicum concentum reſonantium harmoniam, vt in hac excellenti Muſica, elegans regium ipſius theatrum tua præſentia decoraretur: ſciebant etenim tibi adeò familiares eſſe Græcas ac Latinas literas, vt quoſcunque Auctores legere tibi cupido inceſſerit,

ceſſerit, Theologos, Philoſophos, Aſtrologos, Coſmographos, aut Hiſtoricos, illos ea lingua qua ſcripti ſunt legas: in quibus ſciẽtiis & Græcanicis literis tãto magis excellis, quòd ab ineunte ætate plurimum ad eas ediſcendas inſudaueris, atq. in iis eleganter inſtructus ſis; tum etiam quòd nunc ſumma tua iſta eſt voluptas, vt ſuciſiuas horas colloces in præſtantiſsimorum veterum Auctorum lectione. Itaque hanc naturalem excellentiam diuini tui ingenij ducem ſequens, quæ naturalium rerum, quarum ſummus es admirator, contemplatione ſemper delectata eſt; poſtquã intellexiſti magno me deſiderio flagrare perueniendi ad materiæ medicæ ſtirpiũmque cognitionem (quam tamen niſi longa peregrinatione, minimè adipiſci poſſem,) libuit tibi præcipere vt peregrinas regiones adirem, atque ipſa medicamenta locis natalibus requirerem: quam prouinciam ſine tuo auxilio ſuſcipere nec potuiſſem nec auſus fuiſſem, cùm non ignorarem, omnem difficultatem in expenſis quæ mihi faciendæ fuerũt, conſiſtere. Abſoluta igitur Dei beneficio, & veſtra liberalitate, mea peregrinatione, quæ mihi non minus vtilis & amœna fuit quàm difficilis & laborioſa, atq. quiete & ocio nunc tua benignitate fruens; inutiliter illud tranſigere nolui, ſed noſtro idiomate res memorabiles & ſingulares conſcripſi, quemadmodum eas hinc inde obſeruaui & ſelegi, atque dignæ

viſæ

viſæ ſunt vt ſcriptis traderentur, quo tibi conſtaret, me non prorſus irritam tuam ſpem feciſſe: tum etiã vt noſtri homines, qui norũt quantum Reipubl. vtilitas tibi cordi ſit, nonnullos huius meæ peregrinationis, cuius auctor fuiſti, fructus carpere queant. tanto enim magis commendabilis vtilitas cenſetur, quanto pluribus cõmunis eſt. Noſtra vulgari Gallica lingua has Obſeruationes conſcripſi, atq. ſumma qua potui fidelitate in tres libros contraxi, nullo affectato aut ornato dicendi genere vſus; ſed vulgari duntaxat, res ipſas nudas exponens vti eas in exteris prouinciis obſeruaui, tribuens ſingulis Gallicam ſuam appellationem, quantum mihi licuit vulgare nomen illis adaptare. Quarum rerum notitia non minus forſitan vtilis & iucunda erit, quàm veterum abuſus, ex rerum, quarum veritatem detexi, ignoratione procedens, periculoſus & pernicioſus fuit. Liberum porrò eſſe mihi exiſtimans meas diſceptationes vlterius promouendi, peculiares locorum quæ memorabilia mihi viſa ſunt, topographias adiicere volui, illas, quantum fieri potuit, ad viuum exprimens, & Lectoris oculis ſubiiciens, vti eas ipſe conſpexi. Ago præterea de moribus & vitæ ratione, quibus nunc temporis Turcæ, Iudæi, & Græci vtuntur. Quem meum tenuem & immaturum adhuc fœtum tibi exhibere non ſum veritus; non quòd hoc leuidenſi munere meam fi-

dem, quæ tibi obstricta est, liberari posse cogitem: sed quòd, Deo iuuante, sperem (quandoquidem nostro maximè magnanimo felicissimoq; & clementissimo Regi in alumnorũ suorum numero me habere, atque benignitati & liberalitati Domini Cancellarij Fracisci Oliuerij facultates suppeditare ad mea studia alenda placuit) breui te conspecturum aliam meam elucubrationem, Dioscoridis scilicet versionem in nostram linguam, atque in ipsum Commentarios; quo ex parte satisfaciam tuo nunquam satis laudato desiderio, quod circa exoticarum stirpium quas per Europam, Asiam, & Africæ partem obseruaui, tum etiam Auium, Serpentum, Piscium, aliorumq; terrestrium animalium, quæ terra & mari, atque in ipsis portubus in Oriente conspexi, cognitionem versatur. Ceterùm in toto hoc opere nihil propono, quod ipse prius non viderim; vt cùm ex mandati tui præscripto, omnia ad viuum, ita vt natura produxit, expressero, singuli sibi persuadere & certi esse possint, se vera legere. Quod reliquum est, Ill^me ac Reuerend^me Domine, ab omnium rerũ Conditore tibi omnia prospera ardentissimis votis opto.

E tuis ædibus Diui Germani ad prata, Parisiensi suburbano. 1553.

QVEMADMODVM homines corpore & anima constant; similiter eorũ conatus & actiones aliæ corporis, aliæ ingenij naturam sequuntur: & si corporis atq. ingenij actiones excellunt, ita etiam sunt perennes. Nam vt homines ad gloriam & laudem concupiscendam natura procliues sunt; sic vt eam adipisci queãt, diuersas rationes ineunt, nonnulli corporis viribus, alij viuacitate ingenij. Herculis vires omnibus historiis sunt decantatæ. Alexander & Pompeius Magni cognomen adepti sunt, & Cæsar strenui & audacis: At Plato, Aristoteles, & alij Philosophi rerũ contemplatione gaudentes, ingenij subtilitate & summa eruditione nomen sibi compararunt. Alij similiter honesta spe freti, diuersis periculis sese exponere non dubitantes, cùm nimirum ingenij facultatibus laudem sibi quærere, longè magis rationi consonũ censerent, immortale nomen adepti sunt. Quod Democriti testimonio probare possumus, qui, cùm artes discendi, hoc est, earũ vsum non minus quàm theoriam perdiscendi, præsertim Astronomiæ & Geometriæ summo desiderio flagraret; suam hæreditatem fratribus vendidit, vt iis pecuniis

niis longinquas per Aegyptum, Indiam, & Chaldæã peregrinationes obire, & ad Gymnosophistas peruenire posset, deinde Athenas reuerti cum magna nominis gloria, & istic ob doctrinam in precio esse. Plerique alij celebres facti sunt leuem admodum ab causam, attamen plurimum publicæ vtilitati contulerunt. Imò multi Reges ob imposita nonnullis stirpibus sua nomina, & aliarum rerum inuentionem, immortale sibi nomen compararunt. Mithridates, Ponti & multarum aliarum Prouinciarum Rex, licet multas variis bellis victorias obtinuisset, & viginti duas linguas calleret, quibus suos subditos & audiebat, & illis respõsa dabat, nónne celebrior & illustrior factus est ob vnius medicamẽti ab ipso denominati compositionẽ, quã ob opes vel regnorũ amplitudinem? Quamdiu terra Centauriũ producet, Chironis centauri, qui Æsculapij præceptor fuit, nomẽ, hominũ memoriæ insculptũ hærebit. An nõ Gentiana Illyriorũ Regẽ Gentiũ celebriorẽ reddidit, quã omnes eius opes? Lysimachus Macedoniæ Rex, & Eupator Thraciæ, nõne ex plantis immortale nomẽ adepti sunt? An nõ Iubę Mauritaniæ Regi, Achilli Græco, Teucro, Clymeno Regi, & plurimis aliis Principibus viris, ob indita certis herbis sua nomina, æterna nominis memoria parta est? Plurimi deinde alij

omnes

omnes difficultates ſuperare conantes, ſimili deſiderio lõginquas peregrinationes ſuſceperũt, quibus nec naufragij per periculoſa maria metus, nec typhonũ naues quatientium & confringentium tempeſtates, aut crudelium piratarum libertatẽ hominibus adimentium formido, nec aſperarũ rupiũ periculoſus conſcenſus, neq. ſummi ſolis ardores, neque extremi frigoris intemperies neq. noctes nimbis obſcurę, neq. horrẽda fulgura & tonitrua, neq. inhabitatarũm ſolitudinum ob ferorum animantium occurſum, periculoſi acceſſus, ardorẽ generoſo illorum pectore conceptum extinguere potuerunt, quin finem ſuis votis imponerent. Vlyſſes ob eam cauſam ſapientior & prudentior reliquis Principibus habitus eſt, cùm quòd multorum hominum mores obſeruaſſet, tùm quòd varias vrbes & exteras prouincias luſtraſſet. Herodotus, Diodorus, Strabo, Arrianus, & plerique alij veteres, longinquas ſuas peregrinationes ſcripto tradiderũt, è quibus homines ſumma beneficia hauſerunt; quandoquidẽ omnes illorũ labores, in poſteritatis ſolamen & quietem cedunt. Nam nos in otio & ſecuritate viuentes, ſine periculorum & incommodorum formidine, hiſtoriam legimus plurimarum rerum immenſis aliorum laboribus & ingentibus calamitatibus partarum cognitionem nobis adfe-

adferentem. Porrò cùm ſingulares quæque res ex plantis, animalibus, & fodinis deſumptæ, magna ex parte peregrinationum beneficio ad nos perueniant; ſine quibus difficile eſt, immo impoſſibile, munerum & diuitiarū ab exteris prouinciis petitarum participē fieri: eas locis quibus ſpōte naſcuntur inueſtigare decreuimus. Et quoniam illarum notitia difficilis futura nobis fuiſſet, illarum effigies primum è maiorum noſtrorum monumētis perſpicere voluimus, vt ipſarum ideam noſtrę memoriæ infigeremus: tum demùm illas in exteris regionibus inueſtigandi prouinciam ſuſpicere auſi fuimus, nullam inde noſtrorum laborum compenſationē ſperantes, quàm vt eas vigentes contēplaremur. Cùm igitur ſpontaneum deſiderium nos eò impelleret, vt eas cùm in montibus & conuallibus, tū in campeſtribus & vmbroſis ſiluis per varias Orbis regiones perquireremus; noſtrum inſtitutum non fuit planè fruſtraneum. Nam eas inueſtigando & agnoſcēdo, pleraque alia inſuper ſeſe nobis obtulerunt cùm in Aſia tum in Gręcia, digna quę noſtræ nationis hominibus communicarentur; quas obſeruare & breuiter ſcripto comprehēdere libuit. Nam ſi integram rerum quarum nomina ſubiiciemus, hiſtoriā conſcripſiſſemus, nimia prolixitate lectorem offendere potuiſſemus.

semus. Eas porrò Obseruationes tribus libris comprehendere animus est: quorum primus singularia quædã Athou montis, Lemnos insulæ, & alia plurima Græciæ complectetur: alter ruinarum Ilij & aliarum multarum illustrium in Asia vrbium descriptionem continebit; cui adiiciemus profectionem marino itinere à Constantinopoli Alexandriam, & inde in Cairum, atque ad montem Sinai, deinde in Hierusalem, & deinceps Byzantium vsque: tertius mores & ratione quã nunc Turcæ viuunt docebit, vt dũ in meditullio Turciæ hæreremus, descripsimus. Atque ne Lector ignoret quo tempore has Obseruationes conscripserimus, profectionem viuo Rege Francisco anno 1546. suscepisse, & anno 1549 rediisse sciat: itaque tota peregrinatio triennio absoluta est. Quod superest, cogitanti mihi, homines in dies fieri doctiores, alioſq; aliis præcellere, quidquid scribimus, si à nostra duntaxat auctoritate pendeat, non admodum æstimari; decere existimauimus, probatorum Auctorum testimonia nonnunquam adducere, vt nostris scriptis auctoritatem in posterum conciliemus.

DE

DE
PETRI BELLONII
OBSERVATIONIBVS
A
CAROLO CLVSIO
donatis Latio,

Carmen.

Bellonius varias Orbis lustrauerat oras,
Regnáque vix ipsis cognita nominibus:
Viderat vndosi septem-gemina ostia Nili;
Viderat altarum culmina Pyramidum:
Nullâque non illi visa insula sparsa per æquor,
Siue per Aegeum, siue per Iônium.
Viderat hæc: & digna notâ quæcumque tulisset
Fors, promtis nauus crediderat tabulis.
Quæ, simul ad patriam vt rediit, persoluere votum
Pro reditu cupidus, cuncta dedit patriæ.
At patriæ tantùm, & patrio sermone: suumq;
Sic fetum angustis cluserat ipse locis.
Tu, Clusi, meliùs, docti monimenta recludis
Bellonij, faciens ore loqui Latio.
Quo iam perpetuum, & nullâ peritura senectâ,
Durabunt scriptis æmula Romuleis.
Durabunt: factusq; tuo merito immortalis,
Plus tibi iam debet quàm sibi Bellonius.

F. F. F. Raphelengius.

PETRI BELLONII CENOMANI

Singularium & memorabilium Rerum, per varias exterasque Regiones obseruatarum.

LIBER PRIMVS.

Singulos diuersis rationibus à natura in hac vita duci, omniumque instituta ad eundem scopum non tendere.

CAPVT PRIMVM.

TAMETSI *res memorabiles & singulares exterarum Regionum, ita vt eas obseruauimus, hoc libro describere constituerimus: eo tamẽ prætextu alios qui meliora præstare poterũt excludere nolumus, sed eos potius ad rem capessendam excitare animus est. Et licet plerique cùm veteres, tum recẽtiores, ante nos similia in suis hodeporicis & nauigationibus descripserint; quoniam tamen omnia, quæ hìc traduntur, obseruauimus, audacter ea in publicum emittere ausi sumus, nec alterius calumnias metuimus. Nam si quis nostra cum illorum scriptis contulerit, certi sumus non posse nobis meritò obiici, quòd alterius quidpiam mutuati simus, nisi fortasse è probatis veteribus auctoribus, quorum nonnunquam auxilio vsi sumus, in exprimendis animalium, stirpium, aliarumq; similiũ rerum propriis nominibus, ea nostra vulgari Gallica lingua reddentes. Quoniam verò eiuscemodi res antea nec examini subiectæ, nec nostra lingua redditæ, nec cum veterũ Au-*

 ctorum

ctorum scriptis collatæ fuerunt, tanto difficilior laborisq; plena fuit ea prouincia. Qui longinquam peregrinationem priuati commodi gratia in exteras regiones suscipiunt, vulgariter in necessariarum rerum inquisitionem magis incumbunt, vt suis votis satisfaciant, quàm in aliarũ rerum ipsis incognitarum obseruatione tempus terant: vt ex mercatorum negotiatione manifestum est, qui, licet in Indiam & Nouum orbem commeent, attamẽ quia illorum vnicus scopus est, vt pecunias in mercium coemptione bene collocent, multas res singulares, quas diligens & curiosus quispiam obseruare posset, conquirere negligunt: excusatio in promptu est, quod similes res illis non sint vtiles; tum etiam quòd hominum ingenia & affectus adeò inter se differant, vt si plures eiusdem etiã itineris comites per eandem prouinciam simul proficiscantur, vix bini reperiantur, qui ad eandem rem obseruandam animum applicent: contra hic illud adnotabit, alius aliud: adde neminẽ adeò esse diligentem, qui singula minutim & exquisitè expendere possit: attamen res memorabiles attentè considerari debent, antè quàm certi quidpiam de illis statuatur: necesse est etenim vt notæ à veteribus proditæ cum rebus quæ describuntur conueniant. Si porrò de iis rebus, quæ apud viciniores nobis prouincias inuentæ sunt, tanquam apud nos natis, agere noluimus, id non sine ratione factum est: nam de rebus exteris commentari magis libuit, quoniam mirus affectus nos stimulauit vt longinquas peregrinationes susciperemus. Cùm igitur apud Græcos & Turcas peruenissemus, omnia diligenter scribere cepimus: nam comperimus ea, in quorum disquisitione eramus, & quorum, nisi istic, notitiam minimè consequi potuissemus, sua etiamnũ retinere apud illos nomina, quẽadmodũ à veteribus Autoribus tradita fuisse ex illorum monumentis intelligimus. Sed quoniam plurimas res in

nostro

nostro vsu admodum vulgares conspicimus, quarum appellatio adeò communis est, vt nemo sit (imo ne mulieres quidem) qui asserere non dubitet, eas esse quarum nomen referunt, quod tamen falso illis tributum est; hoc loco demonstrare non dubitauimus, magnum abusum esse in multarum rerum admodum triuialium nomenclatura.

CAP. II.

Rerum appellationibus nimis fidendum non esse, tametsi vulgares sint, nisi veterum descriptionibus ad amussim respondeant, & rebus quæ describuntur conueniant.

MVLTAS *vulgares stirpes, & cognita animalia exempli gratia proponemus, vt vulgaria nomina falso illis esse imposita demonstremus: quod fortassis non fiet sine quorundam offensione. Si quis tamen grauius ferat, nobis indicet, si videbitur, atque, vt decet, illi respondebimus. Nos igitur asserere non dubitamus, Gallos, & magnam eorum qui Romanæ ecclesiæ obsequuntur partem, hactenus Thymi plantam ignorasse: quandoquidem ea quæ in hortis nostris colitur, neque thymus est, neque eius species, at Serpilli genus est. Hyssopus præterea atque Satureia nobis vulgari in vsu quæ sunt, haudquaquã eæ sunt, quibus veteres Græci in medicamentis vtebantur. Itaque dicimus, nisi res quas propriis nominibus exprimimus cum veterum iam dictorum descriptionibus quadrent, concludẽdum necessariò eas quas ipsi intellexerunt non esse. Exemplo sit noster Thymus, cuius nomen omnibus adeò notum est, vt nemo, cuiuscumq; etiã conditionis sit, qui Thymum appellare non norit, & tamen ea appellatio perperam illi donata est. Nam ei plantæ quam Thymum nuncupamus, hoc nomen conuenire non potest; at alteri quæ vulgariter in Græcia nascitur. Et necesse est, herbam, quæ Thymi nomẽ obtinere debet, vt ex Theophrasto & Dioscoride patet, capitulis acuminatis onustam esse, & secundum pediculum angustis, vt sunt Stœchadis capita quæ*

illis comparantur: ad quorum etiam similitudinem, pensiles verrucæ, quas nonnullis cùm in naso, tum in inguinibus succrescentes videmus, θύμια à Græcis teste Celso fuere appellatæ. Attamen herba quam Thymum nuncupamus, eas notas non habet, eamq; ob causam haud est cui hoc Thymi nomen conuenire queat, è quo videlicet apud Athenas monte Hymetto, & in Sicilia monte Hybla apes præstantissimum mel colligunt, quod Auctores eam ob causam Atticum & Hyblæum cognominant. Simili de causa, tametsi ea planta, quam vulgo Thymum nominamus, in Galliæ Narbonensis atque Prouinciæ solitudinibus abundanter sponte nascatur, similis illi quã in hortis colimus: cùm tamen prædictis notis careat, legitimus Thymus esse non potest. Verus autẽ Thymus per vniuersam Græciam adeo frequens est, vt montes vix alia herba virescant, quæ istic libentissimè sponte nascitur, floresq; profert pro soli, quod obsedit, ratione, vt interdum toti nuei sint, nonnunquam toti cærulei aut purpurei, aliquando vtroque colore mixti. Sed quoniã eum in nostris hortis adhuc non coluimus, nobis idcirco incognitus est. Vt verò Thymus pensilibus verrucis nomen dedit, sic etiam pisci cuidam in Athesi fluuio, veteribus Thymus vel Thymalus appellato, quem Ludæ apud Insubres incolæ Themero, vel Themalo nominant.

Ad Satureiam quod attinet, quam Græci θύμβραν appellant, vulgus autem Tribi; vt id obtineat nomen, spicis onusta esse debet, sic enim scribit Dioscorides. At quoniam in nostra hortensi nullas spicas conspicimus, fatendum nobis est minimè eam esse qua Veteres in medicamentis vsi sunt. Haud negamus, quin, quã in hortis colimus, eadem sit quæ ab omni vetustate in cibos recepta fuit, atque ideo culinis dedicata. Sed quæ medicamentis admiscebatur, quæq; in Græcia siluestris est, nobis incognita est: etenim nequa-

nequaquam illam habemus, licet per vniuersam Graciam vulgaris sit.

Idem censendum est de Hyssopo, quæ duorum est generum: vnum etenim campestre est, omnibus orientalium regionum locis indifferenter nascens, cùm in collibus, tum secundum vias in Cilicia, Thracia, Phrygia, aliisq; plurimis regionibus: alterum hortense est, nobis cognitum, & in hortis cultum, sed plurimum à siluestri differens, è quo Græci olim sua medicamenta confecerunt.

Nos harum stirpium admodum vulgarium & omnibus cognitarum exempla in medium protulimus, vt omnes intelligãt, nos nõ adeò fidisse perpetuò vulgaribus appellationibus, quas prouinciarum incolæ nobis dicebant, res quas describere volebamus exprimendo, quin prius eas diligenter perpenderemus: alioqui sæpe decepti fuissemus. Nam quemadmodum vulgus Gallorum hanc vocem Plane *exprimens, multis ansam præbuit vt Platanũ esse cogitarent, cùm tamen Aceris sit species: sic apud alias nationes contingere potest. Et licet ne vnica quidem Platanus, siue in cultis, siue incultis, per vniuersam Galliam nascatur: omnes tamen ea cõmuni appellatione decipiuntur, imò viri docti, & alij non postremæ auctoritatis, conspicientes* Plane *folium vitigineo simile, Platani verò descriptionem illi etiã vitiginea folia tribuere, ex vnica nota* Plane *esse Platanum statuerunt, cùm tamẽ à veritate sit alienum: nam Platanus rotundas pilulas fert, Xantij fructui similes, cui Dioscorides ea cõparauit, nucis magnitudine sunt, & racematim dependent: quas* Plane *non habet, sed semina alato huic instrumento quo aucupes reuocare falcones solent, paria. Et vt experientia comprobemus nos in vniuersa Gallia Platanum minimè habere, eius iconem ad viuum expressam hic subiecimus.*



Ea item planta quam Iouis barbam nuncupamus, hactenus pro Semperuiuo habita est, cùm tamen minimè sit: nam Semperuiuũ copiosè nascens conspeximus in Creta, Corcyra, & Zacintho, arbusculæ in modũ, cubitum, atque etiam binos altæ, caule pollicaris crassitiei, extrema parte foliis onusto eum vndique cingentibus; omnino Dioscoridis descriptioni respondens. Itaque mirum est eos qui similium rerum descriptiones & effigies exhibẽt, non animaduertisse: nam quam recẽtiores pro Iouis barba pingunt, Veterum Cotyledon altera est.

Idem accidit Moro albæ, atque cuidam alteri arbori ex Aceris generibus, quas multi cõmuni consensu Sycomorum esse dixerunt. Et tamen Sycomorus adeò rara est, vt nec domestica nec siluestris in Græcia aut Italia sit conspecta. Nonne igitur difficile sit, nascentem in Gallia conspexisse?

Idem dicimus de auibus, serpentibus, aliisq; terrestribus animalibus: de fodinis, lapidibus, & metallicis. Nostra Carduelis quæ à carduo nomen sumpsit, ea esse videtur quam Græci Acanthin nuncuparunt, attamen acanthis carduelis non est. Atque si vulgus Gallorum quosdam serpẽtes appellat Aspides, nõ sine errore hoc fit; etenim nullæ in Gallia reperiũtur, vti neq. murenæ, quas vulgus Lampetras esse æstimat, neq. fluuiatiles cancri; quæ appellatio ineptè nostris escreuisses *indita est. Sic singuli existimant Salpetræ esse Nitrum; sed erroneã esse eam opinionem, libello cui titulum fecimus* De medicato funere, *probauimus. Et quemadmodum falsa nomina indimus nonnullis rebus nobis vulgaribus: sic etiam nonnullas habemus admodum communes, quarum appellationem legitimam ignoramus. Nullus est rusticus, qui in Gasconia Salamandrã* Myrtil *nominare non norit, apud Allobroges sine Sabaudos* Pluuine *(nam pluuio tempore*

conſpicitur) apud Cenomanos Sourd (ſurda enim eſſe videtur) & tamen Salamandram eſſe omnes ignorant. Itaque fides non eſt adhibenda vulgaribus prouinciarum appellationibus, in rebus exprimendis, quin primùm Auctorum ſcripta collata & exactè perpenſa fuerint. Horum autem exemplorum productione, ignotarum rerum veritatem ex iis quæ probè cognitæ ſunt, perquirendam eſſe, dicere volumus. At quemadmodum homines generoſi & bene nati infamiam obuicere ſoliti, his qui ſeſe efferũt quod nobili ſtemmate ſint nati, cùm tamen ignobilia facinora perpetrent, vulgari prouerbio dicunt, nullam affinitatem eſſe inter villanum & nobilem virum. Eadem ratione dicemus nullam eſſe comparationem inter ſolidæ eruditionis virum & ignarum, quemadmodum nec inter eum qui liberalis eſt ingenij, & inuidum. Sic quorundam malè feriatorum & moroſorum hominum calumnias repellemus, à quibus nihil vnquam prodiit, vnde docti nomen mereri queant: vt qui inter eos maximè mihi nocere conatus eſt, craſſum animal eſſe deprehendatur, quod noſtram diligentiam & curioſitatem adeò damnarit. Is veterem conſuetudinem obiiciebat, inquiens noſtros maiores feliciter vitam traduxiſſe, licet has tenues ſubtilitates haudquaquam neceſſarias neglexiſſent: itaque quemadmodum illi his abſtinuerunt, & ſine illis ſalubriter vixerunt, atque ſuas ægritudines curarunt: nos etiam illorum veſtigiis inſiſtere poſſe: talia enim relinqui debere iis qui ocio abundant, aut his qui res nimia potius curioſitate, quàm ob vtilitatem perquirunt. Huic aſino reſpõſum volumus, priſci ſeculi homines antè quàm ratio conficiendi panem inuenta eſſet, ſanos vixiſſe, atque à morbis curatos eſſe, tametſi glandibus duntaxat veſcerentur, vt Arcades. Cuperemus igitur tales ignari, veteri conſuetudine, ſola glande veſcerentur, aut ſolis ficis vt Athenienſes,

vel

vel ſolis agreſtibus piris vt Tyrinthij, canniſve aut arundinibus quemadmodum Indi, vel palmulis vt Carmanni, vel milio vt Sarmatæ, vel Terebinthi granis vti Perſæ: nobis autem frumentaceum panem relinquerent, quandoquidem illius inuentores damnant tanquam nimium curioſos. Cuperemus ſimiliter, vt architecturam contemnentes, tanquam rem curioſam, & qua etiam veteres caruerunt, ſuis ædibus relictis in antra & ſiluas habitatum concederent. Quòd ſi his nequaquam ſibi ſatisfactum eſſe autumant, velimus Ariſtotelis curioſitatem damnarent, qui animalium differentias nos edocens, non ſatis exiſtimauit exteriores nouas deſcribere, ſed factis ſingulorum diſſectionibus, ſerpentum coſtas obſeruare, piſcium & auium inteſtina, atque reliquorum animalium interiores corporis partes enumerare voluit. Hippocrates etiã & Galenus ſuorum maiorum placitis non fuere contenti. Sed tales ignari oculos de induſtria ſibi perſtrinxerunt, vt nobis ridendi materiam præberent: de quorũ vita, fabula componi poſſet ſingulis horis exhibenda: nã aulicorum more ignorare volunt, quæcunque nec videre nec ſcire cupiunt: cùm tamen vſu & ætate omnia ad publicã vtilitatem immutentur & meliora fiant. Nam qui homines ſunt, vitam ſuã prout natura eos docet inſtituere norunt, deteriora relinquentes, & optima ob ſuum commodum amplectentes, ſic vt è ſilueſtribus & cãpeſtribus vrbani & cicures facti ſint, & in contrarium planè ſuos affectus mutarint: vnde prudentiores ſingulariter ſeſe oblectantes in rerum naturalium perquiſitione, certiq; eſſe cupientes de legitimarum perfectione, in hoc toti incubuerunt vt verum à falſo diſcernerent: ſi quis enim artificio gemmam aut metallum, aut aliud quid ſimile tam exactè imitari norit, vt legitimum nõ modo forma, ſed etiam aliis qualitatibus referat: ingenij tamen perſpicacioris acumen

in eo non consistit, sed contemplari, experiri & perpendere non desinit, donec falsúmne & adulterinum, an verò legitimum & verũ sit, intelligat. Et ob id factum, nemo est qui meritò reprehendere aut accusare posit, aut illi curiositatem vtilitatis expertem obiicere. Itaque concludere possumus, ignarum nobis inutilem & minimè necessariam curiositatem merito obiicere non posse. Sed prætermissis eorum leuibus & ociosis cauillationibus, & ad intermissam de exterarum regionũ singularibus rebus narrationem redeuntes, præter institutum non fore existimauimus, si antè quàm Turcarum res adgrediamur, nonnihil quasi cursim agamus de Creta insula, quæ nunc Candia vocatur, quandoquidem vna est ex nostræ peregrinationis stationibus, in qua diutius hæsimus.

* Legitimum thymum in Bœtica Hispaniæ prouincia, circa Hispalim præsertim frequentissimum. Sedum maius Olisipone & vicinis locis. Murena in Galliæ Narbonensis maritimis.

CAP. III.

Breuis singularium Cretæ narratio, & peculiaris Græcanicorum morum obseruatio.

OMNIVM artium & disciplinarũ inuentores quorum memoriam hodie colimus, magna ex parte ex Græcia oriundi fuere, quæ (vt fortuna permittente res subitò immutantur) ex diuite & opulẽta, qualis olim fuit, virisq; in omni disciplinarum genere excellẽtibus abundante, & ob virtutem, magnæ orbis parti imperante, in eum statum nunc redacta est, vt ne vnicũ quidem pedis vestigiũ retinuerit, quod vel tributario Turcarum iugo, vel Venetorum seruitute non sit oppressum. Turca maximam eius partem obtinet cùm in continenti tum in mari. Quod Venetis cessit, in mari est. Græci Venetis subiecti, paulo meliore conditione sunt, ad religionem quod attinet, quàm qui Turcæ tributarij sunt: & vtrorumq. facta comparatione, comperimus eos qui Turcæ subsunt, Turcorum moribus

bus & consuetudine viuere, queadmodũ qui Venetis parent, Venetorum mores imitantur. Tam insignis apud vtrosque regnat barbaries, vt nulla apud eos vrbs inueniatur in qua sit academia: nemo est etiam qui suos liberos artes liberales aut literas edoceri curet. Omnes promiscuè idiomate loquũtur ex veteri corrupto: sed aliy aliis ornatiore: eorum tamen vocabula maiorem habent affinitatem cum legitimo Græco idiomate, quàm Italicæ voces cum Latinis. Vrbium quæ Venetis subsunt incolæ, Italicam linguam perinde callent atque Græcam: at rustici, sola Græca vtuntur. Græcorum qui Turcæ dominio subsunt, eadem est ratio: nã qui maiores vrbes incolũt, Turcicè & Græcè loquuntur: rustici verò, duntaxat Græcè. Græci rerũ proprias nomenclaturas adhuc retinẽt, præterquam iis locis ad quæ exteræ nationes frequẽtius commearunt, ac multo magis in vrbibus maritimis, quàm mediterraneis. Nam quum iam diu cum exteris, tũ Turcis tum Italis cõmercia exercuerint, dictiones ab iis mutuati sunt, quas cum vulgari sua lingua commiscuerunt: quod verũ esse probabimus, dũ plurimos pisces, qui paßim circa Cretenßis insulæ litora capiũtur, nominabimus. Nã piscis qui veteribus Sphyræna dicebatur, quemq; Smyrnæ & Lesbi incolæ Sphyrna *nominant, Maßilienses verò, quod gubernaculi clauo ßimilis sit,* Pes escome, *vulgari græca lingua, ad Italorum imitationem à Cretenßibus* Luczo marino, *hoc est, Lucius marinus appellatur: idq; ad differentiam veterum Aßelli, ab illis nunc* Gaidero pfaro *nuncupati. Similiter Græciæ prouinciæ Turcæ subiectæ, veteribus Græcis nominibus immutatis, noua turcica receperunt. Exempli gratia piscem proponamus, quem Barbum vocamus, cuiq; antiquitus Mystus nomen fuit, eum nunc* Mustachato, *dictione partim Italica partim Turcica appellãt, quoniam myßtaces habet. Carpam*

pam nominantes, quæ Cyprinus ab eis nuncupari soleba. Safanbaluk nunc appellant. Idem etiam Turcæ fecerũt à Græcis multa vocabula mutuãtes, vt res quas in Græcia inuenerunt exprimerent, quarum neque appellationes neque notitiam habebant: nam peculiares quosdam Græcia pisces nominantes, sua lingua Glanos baluk, & Chella baluk, hoc est Glanin piscem, & Anguillam piscem dicunt: baluk etenim illorum lingua piscem significat. Sed illud mirum videri non debet: nam exteri ad eiusmodi loca peruenientes, in quibus aliquid inueniunt, cuius proprium nomen sua lingua exprimere nequeunt, cùm nouum vocabula effingẽdi auctoritas illis desit, ab inquilinis nomina mutuari possunt. Quemadmodum facere solemus in animalibus & aromatis quæ ex Indiis adferũtur, quæ nominibus, ipsis apud suos inditis, appellare consueuimus, vt ex paruo animali constat ex Bresilia delato, & Tatou nuncupato, erinacei fortè generis, veteribus ignoto: sed à nõnullis qui eius exuuium fœno suffultum (duro etenim corio integitur) viderunt, Ichneumon credito. Erronea tamen ea est opinio, quandoquidem hoc animalculum cum Ichneumonis natura nihil commune habet. Nónne ipsimet Galli, quasdam voces abs Arabibus mutuati sunt? Nã veterũ Cedriam Cotran vel Catrã dictione arabica nominant. Nullus est nauium aut lemborum architectus, qui eam ignoret, atque picandis stipandisq; nauibus vtilem esse nesciat. Nullus est ferramẽtarius, qui eam in sua officina venalem non habeat. Et licet Græci non perinde constanter rerum eandem appellationem in vna regione seruent, quemadmodum in alia, plurimum tamen ad veterum dictiones accedunt, præsertim in rebus quæ propria habent nomina.

CAP.

CAP. IIII.

Græcos qui exterorum Principum dominio subiecti sunt, ad ipsorum Principum quibus parent, ritus & viuendi consuetudinem sese componere.

SCIENDVM est præterea omnes Græcos eadem vulgari lingua non vti: nam in vna prouincia purior ea est, nàm in alia. Et quia accentus in omnibus non conueniunt, pueros Peræ Constantinopolitanæ vrbi contiguæ insolas sæpius audire meminimus aduenarum idioma ridentes: imò ipsi etiam viri sese mutuo rident, quemadmodum Galli picardicam linguam, aut aliam quæ pura gallica non sit, imitantes.

Hominum græcanico modo viuentium ritus generaliter describturi, opifices & rusticos à nobilibus & ciuibus seiungere voluimus. Nam qui opulentiores sunt, & qui autoritatis titulo delectantur, vestibus vtuntur consuetudini ipsius Principis respondentibus. Qui Venetis subsunt, Venetorum vestiuntur more: qui sub Turca sunt, Turcicis similes vestes gestant. At vulgus vtriusq. paris, siue insulas, siue continentem incolens, antiquitatis nihil retinet: nam promissam plerumque gestat comam, interioremq; capitis fronti imminentis partem tondere solet, duplicatoq; & crasso pileo vtitur. Insulani easdem ferè in religione obseruant ceremonias, præsertim Cypriy, Rhodij, Lemnij, Chij, Imbrosij, Thasij, Pathmij, Coi, Lesbij, Corcyrenses, Zacinthij, Naxij, Cretenses, & alij qui Christianã fidem retinent, tametsi sub Turcæ dominio degant, quemadmodum & reliqui continentis Europæ & Asiæ incolæ. Omnes generaliter pauca suppellectile, vti Turcæ, contenti sunt, nec supra plumeos lectos cubant: sed culcitras siue centones lana aut panni tonsura suffultos substernere solent. Odiosum omnes censent vinum aqua diluere: & etiamnum poculis sese inuitãt, præsertim Cretenses.

tenſes. In eo autem à Germanis diſcrepant cùm ſeſe mutuò prouocãt, quòd Germani magnis poculis plenisq; hauſtibus, Græci verò minutioribus & frequentioribus poculis generoſiſſimum Creticũ ſiue maluaticum bibunt. Eam ob cauſam apud veteres græcari (quemadmodũ & nunc) dicebatur pro inebriari. Sed quoniam græco more bibendo, cæremoniæ quædam obſeruantur, eas hic adiungere viſum eſt. Græcorum menſæ humiles ſunt admodum; atque ex ordine (minimè eum confundentes) bibere ſolent: quòd ſiquis præter ordinem vinum poſtularet, inciuilis haberetur. Qui infundendo vino agilior & expeditior eſt, vini cantharum tenet, atque omnibus infundit. Moris eſt è vitro puſillo pede carente bibere, & quidquid infuſum fuerit euacuare, ne minima quidem vini guttula in eo relicta. Nonnunquam germanico more ad pocula ſeſe mutuò inuitant, tum ſeſe mutuò amplectuntur, & dextras præbent, quas deinde oſculantur & fronti admouent, poſtremò oſcula malæ vtrique figunt: at tum nullus in bibendo ſeruatur ordo. Et quoniam generoſa vina minutioribus hauſtibus bibentes, ſitim ſibi conciliant, vas aqua plenum perpetuò apud ſe habent, è quo magnis hauſtibus aquam bibunt, vt ſitim ſedent. Mulieres eorum ſympoſiis non interſunt, neque accubant cùm ſimul conuiuantur. Fuit verò hic mos apud eos ab omni ſæculo: cuius teſtis eſt Macrobius antiquus autor. Fuit & ſimilis conſuetudo ipſius tempore Romæ, qualis in Græcia fuit Platonis æuo. Nam idem Macrobius libro ſecundo, capite nono, recitans ea quæ Plato ſcripſerat, inquit: Et nõ magis inter minuta pocula, *&c.* Primis menſis poſt epulas iam remotis, & diſcurſim variantibus poculis minutioribus, ſolet cibus quum ſumitur tacitos efficere, potus loquaces. *Paulo pòſt addit Parthos in ſympoſiis vxores minimè admiſiſſe, ſed ſolas concubinas: ſed hæc ex Herodo-*

to

o desumpsit: sic inter pocula, res serias tractari non vult.

Vetus mortuos deplorandi consuetudo apud Ethnicos, tiamnum hodie perdurat in Græcia, Epiro, Bulgaria, Croatia, Seruia, Wallachia, Illyrico, Dalmatia, aliisq; prouinciis Græcos ritus obseruantibus. Sed res magis ridicula est quàm vt credi queat: nam sublato aliquo è viuis, mulieres designato quodam loco conueniunt, & a summo diluculo vlulare incipientes, pectora tundunt, malas lacerant, crines vellunt, vt spectatori commiserationem excitare queant; atque vt melius pompa procedat, feminam conducere solent bene vocalem, & craßiore reliquis voce intonantem, vt pausæ & accentus facilius intelligi queãt; sicque eiulatum continuant, laudes defuncti ab ipsis vsque natalibus ad eius interitum continua serie enarrantes. Accidit plerumque in hoc luctu, vt mulieres sese seriò verberent, atque virgines totam faciem vnguibus lacerent. Et tametsi Venetus Senatus, qui plerisque locis dominatur, vbi incolæ hanc mortuos deplorandi consuetudinem habent, vt in Corcyra, Cypro, Creta, aliquando vetuerit, ne amplius more græco deplorarent; attamen incolæ minimè eam deseruerunt: nam ipsi etiam viri aliquid sibi decedere hoc edicto existimabant. Moris est vt Græcorum vxores in publicum non prodeant: attamen si quæ formosa sit mulier in ea vrbe in qua mortuus defletur, suæ formæ præstantiam demonstrandi datam sibi occasionem gaudebit, dum reliquas per vrbem comitatur: quandoquidem passis capillis atque nudato pectore turmatim incedere solent. Ad hoc spectaculum conueniunt etiam viri, ista saltem oblectatione fruentes, quòd vicinorum vxores & filias pro suo arbitratu conspicere queant, quas alioqui alio tempore vix videre liceat: verum quidem est homines diuersis de causis ad huiusmodi spectacula confluere, quoniam alios stimulat zelotypia, alios impellit amor.

CAP.

CAP. V.

Celebriorum insulæ Cretæ locorum observatio.

PRIMARII *tres Cretæ montes vetera nomina immutarunt: nam qui olim Leuci vocati sunt, nunc* de Madara, *aliàs* la Spachia *appellantur: Ida iam* Psiloriti *dicitur: & Dicta nominatur* Sethia, *& quibusdam locis* Lasti. *Adeò celsi sunt, vt nix tota hieme eos operiat: tametsi Cupressi hinc inde inter saxa conuallium nascantur. Huius insulæ ambitus quindecies centena & viginti passuum milia continet: & quoniam adeò frequentes in ea sunt montes, rara sunt istic campestria. Itaq. multa sunt inculta loca, quæ tamen non minorem censum adferũt dominis quàm fertile solum: quoniam pecudes vberes pastiones istic inueniunt. Istic magnos greges alunt* Striphocheli, *arietum & caprarum, qui illis ex caseis & lana singulis annis magnam pecuniæ vim reddunt. Ex Idæ montis summo vertice, mare insulæ vtrumque latus alluens facilè conspeximus. Non immeritò Cretenses olim Dianæ fuêre dicati: nam etiam hodie veterem consuetudinem sequentes, naturæ impulsu & ab ipsa pueritia Scythico arcu sese exercere solent: quin & ipsi pueri in cunabulis si irascantur & eiulent, ostenso illis arcu, aut sagitta in manus data placantur: propterea ipsos etiam Turcas arcus iaculatione superant. Quemadmodum autem antiquitus strenui erant in pugnis marinis: sic etiam nunc adeò dextri, agiles & strenui sunt, vt è suis nauiculis quas* Squiraces *appellant, magno animo hostibus resistãt. Hæc ideo referimus, quoniam experti sumus, & vidimus illos à Piratis oppugnatos inter* Zacynthum, *nunc* Zante, & Cerigo, *olim Citheram, tam fortiter pugnantes, vt bini myoparones, etiam in malacia, paruam Cretensem nauiculam adgredi cominus non sint ausæ. Hæc Insula Creta difficilè vi oppugnari potest, nam cùm ad eam nullus sit*

aditus

aditus nisi per mare, & incommodos habeat portus, munitior propterea est. Verum quidem est vrbium & castellorum muris cinctorum incolis non deesse commodos portus, vt in Canea, Candia, Setia, Vouliſmeni, Chisamo, Selino, Spachia: sed præterquã in prædictis vrbibus, rari admodũ sunt in littore portus: & quotquot illi, sint procul ab vrbibus absunt, è quorum numero vnicũ dumtaxat in tota insula commodũ nouimus, la Suda *nominatũ, qui pone Caneam vrbẽ est: in quẽ Ariadeni Barbarossa cognominati triremes appulerunt, postremo quod Turca aduersus Venetos gesit bello. Sed, vt dictum est, re infecta, imo vix conspecto quidem hoste, militem in triremes recipere coactus fuit, cùm pauci essent numero, & ob loci incommoditatem. Tres sõlummodo celebres vrbes nunc sunt in insula Creta. Primaria Candia nominatur, olim Matium, à qua vniuersa insula appellationem desumpsit. Amplitudine secunda post Candiam,* Canea *vocatur, olim Cydon, à qua cotonea mala cydonia dicta sunt. Tertia est* Rhetymo, *quam veteres Rhithymnam nuncupabant: paulo incommodiorem habet illa portum pro nauibus & triremibus, quoniã minoribus sõlùm nauiculis aditus in eũ patet: at Canea & Candia cõmodissimos habent, pro omnibus nauium generibus, atque egregiè clausos, & ab omnibus ventis tutos. Hæc de tribus primariis populosis vrbibus: de castellis autem hinc inde per insulam sparsis transcursim agemus. Vouliſmeni castrum olim Panormus dictum, adhuc integrum est, inter Cytiam & Candiam ad littus maris in edito situm, ad cuius latus sinistrum horrenda est maris vorago. Cytia, olim Cyteum, quartũ est Cretæ propugnaculum: nam oppidũ pusillum est, populosum tamen ad infimam insulæ cuspidem, è regione Rhodi, vt centum duntaxat milium passuum interſit inter Rhodum & Cytiam vrbes. Duo sunt præterea alia castella in summo capite insulæ. Vnum mare ageum*

spectans ad Septentrionem, Chysamo *nunc*, *olim Cysamum appellatum, omnino ferè dirutum, cuius tamen veteres muri adhuc integri permanent: sublimi loco non est situm, sed humili, tela tactu à littore. Dimidio à Chysamo miliari, versus Canospata, vel Capospada, vetustæ cuiusdam vrbis rudera in colle sitæ inueniuntur, dimidio à mari miliari, vbi adhuc murorum restant vestigia, & tantus elegantium cisternarũ numerus, vt nemo sine magna admiratione eas contemplari queat: incolæ Paleo Helenico castro appellant. Portus muri qui iam ferè arena oppleti sunt, magno indicio sunt, eam vrbem antiquitus fuisse potentem. Ex aduerso Chysami, insula transuersim dimensa, aliud est castellum in colle situm ad maris littus nomine Selino. Aliud est præterea oppidũ Spachia nominatum, quod muris non est cinctum, sed ædificiis hinc inde sparsis magnum quendam pagum efficit ad celsissimorum montium, olim Leuci nominatorum, nunc verò de la Spachia, radices in declini situm: ibi parua quædam arx solummodo est extructa aduersus piratas perfugium, in qua præfectus vix commodam habitationem habet. Huius pagi incolæ belli scientia & sagittandi peritia reliquos insulanos longè superant: delectantur propterea validioribus arcubus, quàm reliquarum prouinciarum incolæ. Quidquid olim de Cretæ fluminibus dictum sit, persuaderi tamen non possumus, vnicum in tota insula reperiri qui nauigabilis sit, aut paruam solùm naviculam ferre possit. Certum est multos inueniri magnos riuos, in quibus sponte & sine cultura Colocasia crescit: quod mihi non mediocrem admirationem attulit tantam eius quantitatem istic conspicienti. Inueniuntur & in illis fluuiatiles cancri. Aëris temperies, & riuorum fluentium commoditas occasionẽ præbent incolis cultissimos hortos instruẽdi, & elegantia vireta, eaq. magna quantitate, quæ illis magnum censum adferunt. Horum nonnulla adeò amœno loco*

sunt,

sunt, vt eorum contemplatione nunquam quempiam tædeat, præsertim in possessionibus nobilis cuiusdam Veneti, cui nomen Dominus Ioannes Franciscus Baroczo, qui nos in omnibus suis prædiis & villis honorificè excipi curauit, & quæ in illa regione singularia erant, demonstrari. Vireta maxima ex parte sunt consita amygdalis, oleis, malis punicis, zizyphis, ficis, aliisq; fructiferis arboribus, inter quas vastæ magnitudinis aureæ mali, citriæ, & Adami poma quæ ferunt, è quorũ fructibus Græci succum exprimunt, eoq; dolia implẽt, quibus suas nauiculas Squiraces nuncupatas onerant, easq; Constantinopolim, vel in alias Turcæ subiectas prouincias vehunt; eo enim succo Turcæ plurimum in cibis vtuntur agrestæ siue omphacij loco: sed & in iisdem officinis ex dimẽso venalis reperitur, in quibus sálsamenta & garum prostant. Nonnullis Cretæ locis proueniunt Palmæ cùm maiores, tum pumilæ, præsertim ad riui cuiusdam ripam qui ex fonte quodam decurrit in aquæ sálsæ gurgitem, quẽ Cretenses sua lingua Almiro nuncupant: sed non sunt fructiferæ; cælum enim Cretense nimis frigidum est pro Palmis.

CAP. VI.

De Pseudolabyrintho Cretensi, & ruderibus quarundam vrbium eius insulæ.

LABYRINTHVS *qui nunc in Creta conspicitur, non is est cuius Veteres meminerunt. Nã qui nunc ostenditur, ad radices montis Idæ vulgo Psiloriti nuncupati situs est: qui nihil aliud quàm Latomia fuit: omnes tamen Cretæ incolæ eam adulterino Labyrinthi nomine demonstrare norunt. Latomia fuit solidi admodum & elegantis saxi, è qua lapides diuersis locis exempti sunt, cum Gortinæ & Gnosi vrbium ædificia extruerentur, quæ olim primariæ totius insulæ vrbes fuerũt, vt ex earum ruderibus apparet. Quemadmodum autem maiorem Pyramidem Ægyptiacam Busiridem nuncupatam accessuris è proximo illi pago duces sumendi sunt, qui viam demonstrent,*

& in ipsa Pyramide præluceāt: sic duces è pago quodam, vbi olim vrbs Gnosos fuit, huic Latomiæ vicino, sumendi sunt, qui viam ingredi Latomiam volentibus demonstrēt. Verum quidem est multos inesse mæandros nunc hac nūc illac, modò ad dextram modò ad sinistram seſe contorquentes, quales in arte elaborato Labyrintho esse possent: at istud duntaxat prouenit è locorum, vnde lapides exemti sunt, cauis: quod probari potest è vestigiis & orbitis rotarum, atq. è lapillis hinc inde muro inclusis ad viæ latera. Cortinæ rudera admodum sunt magna; at nunc adhuc conspiciuntur paucæ quædam columnæ rectæ, solo infixæ, & exiguus quidam pagus vulgo Metaria dictus. Murorum lapides, quoniam elegantes & quadrati erāt, omnes ex iam dicta latomia olim excisi, auecti fuerunt, idque facilè, quoniam mare nō procul inde abest. Est etiam torrens è monte delabens, quem esse existimo qui Straboni & Solino Lethyus nominatur: is vado transiri potest, nec ponte vel cymba opus est. Est etiam aquæductus adhuc integer quem magnæ fornices sustinent, plurimarum molarum rotas versans. Frequentes item sunt Platani in valle vbi fons scaturit: sed nullæ hieme folia retinent. Persistunt adhuc inter rudera quidam validi arcus & muri cuiusdam templi, tum etiam multæ fornices tenaci cemento & latere cōstructæ supra riuum Lethyum, quæ nostra opinione factæ sunt vt locum planum & æqualem redderent, ad instituendum vrbis forum.

CAP. VII.

Qua ratione Cretenses Ladanum colligant.

INTER *memorabiles res quæ in Creta obseruari possunt, est colligēdi Ladani ratio, quod ex primariis medicamentis est, nostra suffumigia siue odoratos pastillos ingredientibus. Non colligitur è Ledo, vt veteres æstimarunt, sed alia arbuscula Cisto nuncupata, cuius tanta est abūdantia, vt eius regionis montes isto vestiantur. Natura*

a est,

ea est, vt defluentibus floribus vernis, abiectisque hibernis foliis, nouis frondibus amiciatur quasi lanugine pubescentibus in proximam æstatem, quæ per Solis æstus viginoſoo quodam rore pinguescunt: quoque ardētiores sunt calores, tanto abundantior ille ros foliis innascitur. Inuenitur Cisti genus incultis Oyse locis, ducatu Cenomano, sponte nascens, præsertim circa pagum Fouletourte, apud Soulletiere (natalis nostri locum) omnibus notis Græcanico respondens, præterquam quòd Cenomanus cistus pingui rore non oneratur, quemadmodum Græcanicus: sed illo etiam longè minor est. Græci colligendo Ladano peculiare instrumentum parant, vernaculo sermone illis Ergastiri dictum. Est verò id instrumentum rastro dētium experti simile; huic affixæ sunt multæ ligulæ siue zonæ è corio rudi neque densato siue præparato confectæ. Eas leniter adfricant ladaniferis fruticibus, vt illis adhæreat liquidus ille humor circa folia concretus, qui deinde à ligulis per summos Solis ardores cultris est abradendus. Itaque Ladanum colligendi summus, imò intolerabilis est labor, cùm totos dies summo caniculæ æstu in mōtibus hærere necesse sit: neque verò facilè quisquam alius ad id colligendum operam sumit præter Calohieros, hoc est, monachos Græcos. Nusquam autem maiore copia per totam insulam cogitur, quàm ad montis Idæ radices, pago Cigualinus nuncupato, & apud Milopotamo.

CAP. VIII.

De piſce Scaro in Cretæ littoribus admodum frequenti, aliis tamen regionibus valde raro.

PISCIS *est muli barbati magnitudine, Cretæ admodum familiaris, Scarus dictus, cuius veteres Auctores sæpe meminerunt: nā apud Romanos olim in deliciis fuit, primarium locum inter reliquos pisces facilè obtinens. In nostris siue Oceani siue mediterranei maris litoribus conspici non solet, & asserere audemus, neque in Propontide,*

neque in Helleſponto, neque in Euxino, neque in Adriatico inueniri: nam eum iſtic fruſtra requiſiuimus. Attamen adeò frequens eſt in nonnullis Cretæ littoribus, vt nullus alius vulgatiùs capiatur. Quoniam verò eadẽ inſulæ regione, eodemq́ fere quo Ladanum colligi ſolet tempore, inuenitur, & quòd eius maxima captura incidat in tempus quo Ladanum colligitur: contigit vt eadem profectione vtrumque obſeruaremus, idque caſu potius & fortuito, quàm dedita opera. Iam multo tempore in inſula hæſeramus, & tamen quoniam commodo tempore eò non veneramus, neutrum videramus. Sed cùm nauem conſcendiſſemus vt ex Rhetymo ad Candiæ vrbem nauigaremus, piratæ nobis vela facientibus obuij facti, compulerunt vt fugam capeſſeremus ad littus inter Milopotamo & Cigalinus. Quò appulſi nautæ, deſerta naui, in montem profugerunt: quoniam tamen piratæ ſuas naues egredi non ſolent, vt eos qui in terram fugiunt perſequantur, direptis ſolùm noſtris impedimentis, abierunt relicta iſtic noſtra nauicula, & aliis nonnullis quæ tollere non potuerunt. Nos verò perterriti, per montes currere non deſiimus, donec Calohierorum monaſteriũ in valle iuxta littus ſitum peruenimus, vbi tunc naſſas ſubleuabant quas ad capiendos Scaros tetenderant. Et quia iſtic aliquot dies hæſimus, ſatis nobis ocij fuit, vt, cur hi piſces alibi rari, iſtic adeò frequentes eſſent, percontaremur. Comperimus Scarum piſcem ſaxatilem, præterquam quòd inter rupes & ſaxa verſari gaudet, alimento ipſius ventriculo conuenienti etiã opus habeat: id autem eſt puſilla quædam herba alibi non naſcens, cuius cùm Scarus admodum ſit appetens, libenter in ea inſulæ parte verſatur, vt eã depaſcatur. Calohieri igitur, aliiq́ eius loci ruſtici, Scarum naturã non ignorãtes, & quòd phaſiolorũ planta delectetur, eam in agris ſerunt, & eſcam ex ea parant ad Scaros capiendos, fũlia (reſeruatis inſuum vſum lobis) interdiu naſſis

naſſis imponẽtes, easq; in mare demittẽtes, quas Scari ingreſſi, capiuntur, alias difficilis foret eorum piſcatio: nam linea aut ſagena rariſſimè capi poſſunt. Quoniam autem Phaſiolorum herbam Scaris dedicarunt, vulgo eam Scarouotano appellant. Scari gregatim natant, vti Salpæ, & mulis barbatis ſunt colore proximi. Omnes Scari notas hic recenſere minimè neceſſarium eſt: eũ enim ſatis fuse cum reliquis piſcibus deſcripſimus. Sed tamen notatu dignum quidpiam prætermittendum non duximus: cùm enim in hac fuga vſq. in multã noctem ieiuni fuiſſemus, Calohierus Scarum attulit ipſorum more veru infixum & coctũ (ſolent enim ligneo veru in os infixo per corporis longitudinem eos terebrare, & ſupra prunas aſſare) qui quodammodo ridentem hominem ementiebatur: nam Scarus dẽtes more humano diſpoſitos habet, cumq; labra ignis calore contracta eſſent, hominis ridentis os quodammodo referebant. Præfertur in hoc piſce, herba quam depaſtus eſt, cuius magna in ipſius ventriculo ſemper inuenitur copia. Fecur illi magnum eſt, ad iuſculum illi faciendum accommodum: nam cum ipſis inteſtinis, ſale, & aceto tritum, gratiorem reddit totum piſcem. Vt autem quinis intelligat de quo piſce egerimus, illius effigiem hìc adpoſuimus.



CAP. IX.

Varij generis auium in Græcia obſeruatorum gallica nomina, cum veterum appellationibus collata.

VT peculiariter de auibus nunc ageremus, nos eò impulit, quòd parua nauicula inter Zacynthum & Cytheram nouo vere nauigantibus, varia auium genera vo-

lando deſſa apud nos conſederunt, quas vulgaribus nominibus exprimere tum didicimus. Sed cùm eas ſeptem libris prolixè deſcripſerimus, de ſingulis duntaxat aliquid nunc agemus. Quoniam porro non ignoramus plurimos dubitare, an animalia in oriente degentia eiuſdem magnitudinis & formæ ſint cum his quæ apud nos conſpiciuntur, eos docere voluimus, ſimilia eſſe omnia quadrupedum, auium, ſerpentum, piſcium, & plantarum genera, iis quæ in noſtris prouinciis habentur: atque ſi vlla eſt differentia, eam in toto genere conſpicuam inueniri. Verum quidem eſt multa genera iſtic eſſe noſtris ignota, quæ Veteres propriis nominibus appellarunt, quorum cognitionem vt adipiſcamur, elaboramus. Quo modo igitur Germanus, Gallus, aut alterius nationis quiſpiam nomen vulgare in ſua lingua reperiet, quo peregrinæ auis appellationem exprimat, ſi ipſius regio ea careat? Eius exemplũ proferemus quam Græci Meropem, Latini Apiaſtrum nominarunt, Cretæ adeò familiarem, vt nullo non loco volare conſpiciatur, attamen alibi adeò raram, vt ipſiſmet Græcis mediterranea incolentibus ignota ſit. Vix vnquam in Italia volare viſa eſt: attamen Galli, Germani, & alij Europæi, Gallorum Meſange, Meropem eſſe cenſuerunt, tametſi hallucinentur. Nam Merops auis eſt Sturni magnitudine, eſui minimè apta, Alcioni, quam nos Galli Martinet peſcheur nuncupamus, ferè ſimilis. Cretenſibus amplius non dicitur Merops, ſed Melliſſophago, dictione Latinæ Apiaſtri quodammodo reſpondente: nam volans in aëre apes depaſcitur Hirundinum inſtar. Solus nõ volat, ſed gregatim, & præſertim ſecundum montes, in quibus genuinum Thymum prouenit, vt apes aucupetur, à quibus appellationem ſumſit. Licet autem Gallorum Meſange, quam Græci Parum vocant, Itali Sparnoczolo, multum illis damni inferat, & Rubeline ſi-

ue Gorge rouge, Rubecula Latinis, Pettorosso Venetis dicta, apes voret, neutra tamen Apiastri nomẽ adepta est, quemadmodum hactenus existimatum est. Vt vero hunc errorem tollamus, veram eius figuram hic proponere libuit.



Elegãtissimo colore prædita est hæc auis, nec minus florido quàm sit Psittaci color. Procul auditur eius vox, illi ferè similis, quam vir ore in rotundum clauso sibilans caneret grulgruruurrurul; nec minus sonora quã Vireonis, Loriol Gallis dicti. Eius singularis elegantia pueros Cretẽses inuitat vt eum cũ cicadis venẽtur, quemadmodũ & maiores hirundines Apodes nuncupatas. Eum autem hac ratione venantur: aciculam hami instar incuruam per mediam cicadam figunt, eamq; capite filo alligant, cuius extremum manu retinent: cicada sic transfixa nihilominus in aëre volat, quam conspiciẽs Merops, impetu in eam irruit atque eam deuorat; at acicula incurua quam cum cicada deuorauit retentus capitur. Auem quã Gallis Coqu, veteribus Græcis Coccix dicta est, Cretẽses nunc De-

cocto appellant: Decocto autem significat octodecim. Sic verò appellant, quoniam Coccix suo cantu decocto exprimere videtur. Auis quã nominamus Bergeronnette, Lauendiere similis, Latini Culicilegã, Veteres Knipologum, Græcis nunc Susurada dicitur. Attagen verò Taginari: licet nonnullis Attagas, quemadmodum & Constantinopoli. Cùm verò Attagenem nostræ Canne-petiere, quam Veterum Tetracem esse arbitramur, admodum similem nouerimus, aliquam notam perquisiuimus qua discerni possent. Cannepetiere autem deprehendimus plumosa non habere crura, vti Atttagẽ habet (cui & rostrum nigrius, breuius atq. firmius; minorq; est quã Cannepetiere) aliàs colore non multũ differunt, tametsi Attagen interdum variet: nam & omnino candida inuenitur. Eam esse existimamus quam Sabaudi siue Allobroges Perdicem albam vocant, Plinius Lagopodem: nam omnino alba est, cruraque habet plumis onusta, vt Attagen, tametsi minores sint. Cùm Venetiis essemus apud Dominũ de Morwilliers, Regis tũ Legatum, vidimus Attagenes albas: Itali autem vtrumque genus Francolin vocant. Quem Romani Tetraonem nuncuparunt, nunc verò Itali Gallocedrone, Aruerni Faisant-bruyant, Sabaudi Coc de bois, frequenter in celsiorum montium Cretæ siluis cõspicitur, capone duplo maior, macula rubra vtrinque circa oculos ad tempora insignitus, vt Fasianus, cuius pluma in pectore præ nigredine splendent, vt in palumbis collum: nihil albi toto corpore obtinet præterquam in alis, cruraq; habet plumosa, vt Attagen, perdix alba sabaudica, & Gelinotte de bois Gallorum.

CAP. X.

Multarum aliarum auium Græca nomina cum Gallicis appellationibus collata.

AVES *veteribus Græcis Ciclæ nuncupatæ, Latinis Turdi, nobis Griues, Mauuis, Trasles & Tourets, nunc in Gracia nominãtur Schynopoulli, ac si Lentiscenas aues dicas:*

dicas: & quoniam Myrti baccas etiam deuorant, à nonnullis Myrtopoulli. Sed tales aues plurimum damni inferunt, vbi oleæ conseruntur. Quem Aristoteles Viscivorum adpellauit, Galli Grande Griue nominant, quoniã primaria est in suo genere, & reliquis maior. Secundus Aristoteli Pilaris dictus, nostra lingua vulgo Litorne vuncupatur: magnitudine est Merulæ. Tertius quẽ Iliacũ nominauit, vulgariter Mauuis appellamus: omnium minimus est, Sturni crassitie, in alarum complicatione & sub ventre nonnihil flaueſcens. Auem nobis Roitelet dictam vernacula lingua Trilato vocant, appellatione veteri Trochilos quodammodo respondente: quam ab altera minore probè distinguere norũt, illis Tettigon dicta, Latinis Tyrãnus, & Gallis Poul, Soucie aut Sourcicle flauas plumas vtrinque in capite gestante, crista instar, quæ illis (vt nobis supercilia) oculos tegunt; vnde hanc appellationem gallicam inuenit; locustam crassitie non superat. Gallorum Chouettes aut Choucas, quas Picardi Belgicæ populi Craues nominant, rostro & pedibus rubris, Aristoteles Corakias appellauit, Plinius Pyrrocoraces, frequẽtes sunt admodum in summis mõtium insulæ iugis: Græci nũc Scurapola vocant. Aristotelis Cyanos, & Plinij Cæruleus, quoniam in celsorum montium scopulis degit, & Merulæ similis est; nomen nunc mutauit & Petrocossipho dicitur: minor est Merula, & omnino cæruleus, ad alendum in cauea cantus gratia aptissimus, habet etiam vocem Merulæ proximam. Nullum gallicum nomen illi indere possumus, quia apud nos non reperitur, vti nec in Italia, nisi fortè in caueis adferrentur: nam interdũ pulli è nidis tolluntur, vt eos humana verba sõnare edoceant. Quemadmodum porro Aristoteles tres Merulæ species agnouit: sic illi Merulas habent nigras & albas quas veteri Græcorũ nomine Cossiphos appellant: tertiam præterea speciem cuius Aristoteles meminit, quam Galli peculiari

culiari nomine Merle au collier, id est, Merulã torquatam dicunt, quoniam albam lineam habet sub gutture versus pectus, collum omnino cingentem: eius magna frequentia in valle Morienne, & per reliquas Allobrogũ valles. Quàm multis Galliæ locis Dixhuict, Lutetiæ Vãneau dicunt, veteres Romani Parcum nominarunt, Itali nunc Paoncello, vulgari Græca voce vt antiquo nomine Aex appellatur, quoniam sæpè capræ modo vociferatur: Nonnullis Taos agrios, id est Pauo siluestris nuncupatur, quoniam cristam Pauonis instar capiti imminentem gestat, vt & Galerita. Nullas in Creta cinereas siue minores perdices habent: sed alias rubentes Gallinæ crassitie, quas vulgo Coturno appellant, voce vt apparet ab Italis mutuata. Veterum Curuca, siue Gallorũ Fauuette brune, nunc istic Potamida vocatur. Nobis asseuerarunt, eam vulgo Cuculi pullũ alere, licet plurimæ aliæ sint quæ eum etiam alant: hæc tamen peculiariter magis quàm reliquæ aues. Nõ desunt qui Potamida, Gallorum Rossignol, siue Luscinia esse velint: atque vt ingenuè fateamur, nostra etiam fuit ea opinio: attamen postea deprehendimus Luscinam istic Adoni aut Aidoni nuncupari. Rossignol appellatione Galli binas aues norunt, aliam nemoralem, alteram muralem, quæ veterum Græcorum Phœnicurus, & Latinorum, Gaza interprete, Ruticilla est. At Potamida à Rossignol siue Luscinia differt, pedesque & rostrum plumbei coloris ad cinereum vergentis habet. Gallis Fauuette brune, aut grande Fauuette dicitur, ad alterius, quam ipsi Fauuette rousse nominant, differentiam, Troglodytes veteribus dictam. Veterum Græcorum Ægotilax, & Latinorum Caprimulgus, in Creta vulgo notus est, præter Solini & aliorum opinionem: quem quoniam per vrbes noctu volat, horrendamq; vocem emittit, Fresaye vel Effraye appellauimus: Interdiu non magis videt quàm Noctua, quam Galli Cheue-

che

che aut Chahuant nominant. Nonnulli Orfraye pronũciant: sed id nomen alteri aui conuenit, Ossifrago nimirũ, cuius mentionem libro de Auibus faciemus in Nyctico-racis descriptione. Caprimulgus hic Cuculi fere magnitudine & crassitie est, & apud nos in celsis turribus & templorum foraminibus nidulatur: Cretenses autem in scopulis mari imminentibus, vbi magnum damnum pastoribus, qui Capras sub tectum noctu cogere non solent, inferunt, quoniam è caprarum vberibus lac exugunt. Ouidius 6. Fastorum eorum meminit his verbis:

Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactentia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.
Est illis Strigibus nomen: sed nominis huius
Causa, quòd horrenda stridere nocte solent.

CAP. XI.

Vetera & recentia, cùm Gallica tum Græca multarum aliarum auium nomina.

INTER omnes quas nouimus aues, nullam conspeximus quarum pedes quatuor digitos non habeant, præter Pluuier, Guillemot, Canne petiere, Ostarde, & Pie de mer, quæ olim Hæmatopus nuncupabatur. Rarà est hæc auis in nostris littoribus, tametsi aliquando visa sit. Corpore est ardeolæ, Gallis Aigrette dictæ; alis Lari siue Mouëtte Gallorum; & eorundem Flambant, siue Phœnicopteri Latinorum forma; rostro quatuor digitos oblongo instar Beccassæ Gallis dictæ (quam ob causam à nonnullis Becassæ de mer etiam dicta est) sed à reliquarum palustrium rostris, quibus rotundum est, differente: nam huius planum est in extremo & mucronatũ, & aliquantulũ nigricans, reliqua parte rubente: caput cũ collo nigrum est: nigræ sunt & alæ superius nisi albæ plumæ eas trãsuersas secarent, vnde Gallicam appellationem sumsit Picæ marinæ: interior alarum pars & venter albæ sunt:

extremæ

extrema cauda nigra, eiusdémque cum Anate longitudinis: binos habet pedis digitos simul cohærentes, interior verò ab aliis seiunctus est: calcar in pedis calce vt reliquæ aquaticæ aues non habet: eius præterea pedes molliores sunt & delicatuli, non sicci & duri vt in aliis: crura tres digitos oblonga; digiti breues, vnguiculæ fornicatæ vt in Tardis. Carne est insipida, dura, & admodum nigra, gulamq; habet admodum magnam, amplam & robustam. Becasse nostra, veteribus Ascolopax dicta, retinet etiamnum nominis affinitatem quandam cum veteri Græcorum appellatione: nam hodie Xilornitha ab illis vocatur, voce conformi cum Latina dictione Gallinago. Alaudas Chamochiladi nominant, & Palumbes Phassa. Magis proprium vocabulum non habent, vt Elorium siue Corliz exprimant, quàm Macrimit, hoc est, oblongus nasus. Græci vulgaribus dictionibus carẽt, quibus tã aptè propriis nominibus aquaticas aues distinguere possint, vt nos: nam Sarcelles & Morillons indifferenter vt Cannes, id est, Anates appellant, nomine Pappi. Mergi marini peculiare quoddam genus in Creta reperitur sub aquis natans à Cormarant Gallorum, & à reliquis Mergis diuersum: Aristoteles Ethiam nominauit, Littoris accolæ Cretenses Vuttamaria & Calicatczu appellant: magnitudine est Querquedulæ siue Sarcellæ Gallorum, ventre albo, capite, quod planum est, dorso, alis & cauda nigris: nullũ calcar in calce habet, quod illi soli inter reliquas planipedes aues peculiare est: eius plumæ nihil aliud sunt quàm tenuissima lanugo firmiter cuti inhærens: eius rostrum vtrinque admodum incidit, concauum & ferme planum, lanugine magna ex parte intectum, nigrum supernè, albũ infernè. Fluuiatilis ille minor Mergus, quem Galli Chastagneux nominant, Cretæ ignotus est. Gallorũ Verdier, Græcis Chloris & Latinis Lutea dicta, vulgari Græcorum sermone Assarandos appellatur, nomine satis

affini illi quod apud Cenomanos obtinuit, Serrant. Latinorum Fringillæ, siue Gallorum Pinsons, nunc voce prorsus à veteribus aliena Fringilari dicũtur, Veteribus Spizæ nuncupabantur. Veterum Orospizæ, quas Montains, aut Pinsons d'Ardene vocamus, à Vulgari Fringilaro, ex Italica Fringuello appellatione deducta, non discernũt. Nostri Bruants illis etiam vulgares sunt: sed veteris Græci nominis Anthi obliti, Latinã Flori appellationem vsurparunt. Vulgo etiam vocant Passerem Sporguitis, & Gallorum Mouette Laros. Veterum Pikilis, siue Latinorum Carduelis, & Gallorum Chardoneret, ab illis Carduelis aut Stragalino dicitur: licet hoc vocabulum Chardoneret conueniat alteri auiquam Græci Acanthin, Latini Spinum nuncuparunt, nos verò Serin dicimus, ipsi nunc Spinidia. Nulla auis in Creta frequentior Gallorum Piuoine, quæ per vepres & dumos volat: quoniã autem auicula est capite, cauda, & aliqua corporis parte nigris, plerique vulgo Asprocolos nominant, hoc est, albus podex. At hoc nomen non rectè illi tributum est: nam alia est auis quæ apud Gallos hoc nomine Cul blanc peculiariter insignitur, Latinorum videlicet Vitiflora, & Græcorum Oenanthe. Nonnulli, Gallorum Piuoine, aptiore vocabulo exprimũt Melanocephali, hoc est, Caput nigrum: Veteribus Grecis Melancoriphos dicta est, Latinis Atricapilla, eadem cum Zikalis, quã Galli Papafighi aut Becafigui nominant, Latini Ficedulam. Veterum Ortigometra, hoc est Coturnicum mater, rara est in Creta: sed reliquis Græciæ prouinciis non minus frequens, quàm in Italia aut Gallia: nonnullas notas cum Coturnicibus cõmunes habet: & quoniam hoc vitium habet vt commodè volare nequeat, natura illi celerrimum cursum tribuit: Galli Rasle appellant, Itali Regem Coturnicũ. Quoniam verò nigra est, & in aquis perpetuò versatur, quodammodo similis est Gallinæ aquaticæ, Italis Foulica dictæ: minor

nor tamen est, neque adeò nigra, sed albo colore in alis & lateribus variegata, caudaq; subtus ruffa, & vt in reliquis aquaticis auibus breui, rostro binorum digitorũ longitudine: sed si cum Becasse, Cheualier, & Corliz Gallorum rostris admodum oblongis comparetur, breui. Vultures, Aquilæ, & Falcones in Creta nidos exstruunt, non in quercubus aliisve arboribus, vt reliquæ aues solent, sed in scopulis mari imminentibus & propendentibus, locis admodum difficilibus & præcipitiis. Vix conspici queunt nisi è nauibus & mari. Itaq. cùm eorum pullos habere volunt, longo fune opus est secundum scopuli longitudinẽ demisso, cuius caput palo in montis vertice terræ infixo firmiter adligatum sit: per eum rusticus quidam se demittit, donec ad Vulturis nidum peruenit, deinde per eundem funem denuo in altum subit. Vel puerum magno corbi impositum ex summo scopulo demittunt: cumq; ad nidũ peruenit, pullos eximit, eosq; corbi imponit, quem postea rursus sursum attrahunt. Vultures tum furui, tũ nigri, Cretæ montes incolunt, in quibus greges pascuntur, agnosq; & hœdos, tum etiam lepores, si quos in aperto deprehendant, rapiunt. Idcirco pastores iis capiendis inuigilant ob quæstum: nam alas iis qui sagittas conficiũt, vendunt, vt suas sagittas plumis exornent: cutem autem detractam pellionibus, qui eam adparatam magno vendũt. Falcones vulgo Falconi nuncupant, licet Aucupem Hieracari, voce ex Hierax deducta, quæ omnibus rapacibus auibus cõmunis conuenit, quas propriis nominibus tam aptè distinguere non norunt quemadmodum nostri Aucupes: nam Sacre, Autour, Gerfault, Lanier, & Tiercelet cũ Falcone apud illos confunduntur, nulla specierũ distinctione facta. Miluius seu Gallorũ Milan, quẽ veteres Ichtynõ nuncupare solebãt, nunc apud eos Licadurus dicitur. Sed quoniã de omnibus auibus in alio opere egimus, in quo singulorũ effigies exhibemus: nũc de iis plura dicere supersedebimus.

C ..

CAP. XII.

Insecti cuiusdam Cretæ familiaris Phalangium nuncupati descriptio.

CRETENSES *Phalangia appellare norunt Sphalangi: insecta sunt parua, admodum pernicioſa, Araneo paulo maiora, octo pedibus prædita, vtrinq. quatuor: singuli pedes seu crura quatuor articulis constant, binosq; vngues habent incuruos: bina vtrinque crura anteriora illis data sunt ad progrediendum, bina posteriora ad retrocedendum, obliqua in terra foramina inhabitant binos pedes alta, quæ retrocedentes ingredi solent, atq. cibum ita attrahunt: aditum foraminum quæ inhabitant stramine muniunt, ne obturentur, sed aperta maneant. Corpore sunt superiore parte cinereo, binis rubentibus maculis anteriore dorsi parte insignito: inuersa autem, nigris maculis notata conspiciuntur ea parte qua singuli pedes corpori inhærēt: venter flauet. Si quis autem scire cupiat qua parte nocere queāt, eorū os intueatur, & binos parnos nigros aculeos deprehendet, iis similes quos Scolopendra obtinet, quibus mordent atque cibum retinēt: telas Araneorum more texunt, muscisq; & papilionibus vescūtur. Circiter sexaginta oua ponunt, & pectori adhærentia fouere solent, pullosque exclusos ventri inhærentes gestant donec adoleſcant. Piloso sunt corpore: quoniam autē magnitudine differunt, foramina pro corporum magnitudine excauant: variare autem inter se pro Insularum diuersitate obseruauimus. Immortale est dissidiū inter exiguum hoc animal & Vespæ cuiusdam genus à Latinis Ichneumon vocitatū: quod libro secundo, vbi de Ichneumone Ægypti agemus, ex nostra obseruatione describem⁹.*

CAP. XIII.

De Hirci feri quodam genere Cretæ familiari, quod Galli Bouc-estain appellant.

INSVLA *Creta Lupis caret; eam ob causam magna cum securitate animalium greges noctu in aruis pasci sinunt, præsertim ouium & arietum Striphoceri ab illis*

appellatorum. Si insulani, Hirci feri, quem Galli Bouc-estain nuncupant (quorum istic magna est copia) hœdos capere queunt montibus oberrantes, eos cum domesticis seu cicuribus capris educant, vt deposita feritate mitescant. At feri, iis cedunt, qui primi eos apprehendunt aut occidunt. Cicurem capram magnitudine non excedunt: sed non minus carnis obtinent quàm Cerui, similibus pilis fulvescentibus & breuibus præditi, non caprinis. Mares prolixam nigricantem barbam gestant, quod nulli alteri animali Ceruinis pilis præditò accidit, præterquàm (vt arbitramur) Hippelapho. Senectute canescunt, & secundum dorsi longitudinem nigram lineam excurrentem habent. Hunc etiam nostri montes alunt, præsertim præcipitiis & accessu difficilibus locis. Admiratione profectò nõ caret, tantulum animal adeò grauia cornua ferre, quæ aliquando mãnibus tractauimus quaternos cubitos longa: tot autem transuersos radios habent, quot hircus & capra annos nata sunt. Duo eius diuersa inuenimus genera, vt ex eorũ cornibus Cypro & Creta delatis demonstrauimus, quæ Domino Ioanni du Choul, montium Lugdunensis agri Præfecto reduces dedimus. Illorum venationi aliquando interfuimus. Rustici quidam in summis Cretæ montium iugis inueniuntur adeò iaculandi periti, præsertim circa montem Spachiæ & Madaræ, vt viginti quinque passuum interuallo eos ferire queant: capras verò à se educatas, & à paruulis cicuratas, loco quodã in mõte alligant, qua mares tansire solent. Sagittarius verò inter vepres seorsim latitat aduerso vento, cũ nõ ignoret Hircum alias centum passuum interuallo odoratu perceptu-rum. Mas feminam inueniens, consistit; tum rusticus sagitta illũ petit. Si Hircus læue acceperit vulnus, aut alioqui sagittæ ferrum vulneri inhæserit, illico sibi mederi nouit: nam ad Dictamum confugit, herbam Cretæ scopulis inhærentem, quam depascitur, atque hac ratione breui

ui curatur. Mirę agilitatis est hoc animal, eiusdem cum Caprea naturę: nam ambo in asperis scopulis & aditu difficilibus degunt: at Hircus ferus ex scopulo in alium desilire solet sex etiam passuum interuallo distantem, quod qui non viderit, difficilè admodum credat. Quoniam porro iis locis fuimus, vbi eius veram & genuinam effigiem nanciscì potuimus, eam ad viuum expressam hìc posuimus.



CAP. XIIII.

De Cretensi ariete Strepsiceros nominato: disceptatio prætera quædam edocens quid sit Vnicornu.

ARIETVM *genus est in Creta, cuius magni greges aliis haud minores vulgo conspiciuntur, præsertim in mõte Ida, quos pastores Striphoceri nominant, nostris in hoc dissimiles, quòd nostri cornua inflexa & contorta gestant, hi verò omnino erecta vt Vnicornu, in ambitu caniculata. Cũ primũ tantos eorũ greges cõspiceremus, ignari Veteres eius meminisse, in mentẽ subiit inquirere, si quid cum Vnicornu cõmune haberet. Quæ causa fuit vt hoc loco de*

Vnicornu disceptationē instituueremus, quod nūc in tanta æstimatione & precio esse conspicimus, vt valde mirandū sit, præsertim cùm apud Veteres in vsu medico nullius fuerit autoritatis: nam si quam habuisset, Auctores procul dubio eam non reticuissent. Aristoteles inter ea animalia quæ bisulcam vngulam habent, cuiusdam meminit, quod Oryx nominatur vnicorne: at facultatum cornu nō meminit. Columellæ etiam fuit Oryx cognita, quando scribit cū reliquis animalibus muro & viuariis includi sōlere. Quòd si Romani, res exoticas plurimum æstimantes, tam insignes Vnicornu (quales nunc illi tribuuntur) facultates intellexissent, haudquamquam silentio pressissent. Non negamus quin Vnicornu rarū & precioſum æstimarint, sed non vt in medicamenta reciperetur, vt nunc fit. Eam ob causam vt ingenuè quid de eo nobis videtur dicamus; comperimus vnicornu quod Veteribus cognitum fuit, nigrum esse debere: id tamen quod apud nos in vsu est, candidum est. Quisnam obsecro è veteribus cum Græcis tum Latinis fidem facit, rei incognitæ portiūcu̇am, quam tamen plerumque scimus esse dentis piscis illius quem Galli Rohart, Septentrionalis maris accolæ Morſ appellant, trecentis ducatis æstimari debere? Etenim data nobis sunt fragmenta inspiciēda, an agnosceremus, quæ pro Vnicornu trecentis ducatis emta fuerant, quum tamen orbiculi essent è dente piscis Rohart. Vnus Ælianus auctor est Vnicornu medicū vsum præstare: attamē illud nigrū facit: cū verò nostrū alterius coloris sit, dicemus ab eo quod Veteres descripserunt diuersum esse: præsertim cùm ipse Ælianus scribat asinū Indicum, cornu in fronte gerere, cuius inferior pars alba sit, superior phœnicea, media verò planè nigra. Plinius Aristotelis verba expressit: Vnicorne (inquit) Asinus tantū Indicus, sōlida vngula. Deinde paulo pòst: Vnicorne bisulcū Oryx. Ex quibus verbis colligitur, duo esse animalium genera Vnicornia, quorum

Lib. 4. cap 52.

rum alterum est Asinus Indicus solida vngula, alterum Oryx bisulca. Certum Asinos feros, qui Latinis Onagri dicuntur, cornu carere: necessarioque itaque consequitur, monocera alicuius alterius esse animalis, cuius descriptionem non habemus. Sed cùm variis locis Vnicornua conspiciantur, negari nequit quin reperiantur: etenim in nostra Europa viginti integra inueniri queant, & totidem non integra, sed confracta. Duo integra ostenduntur in Diui Marci thesauro apud Venetos, sescubitalis vtraque longitudinis, crassiora inferiore parte quàm superiore, crassiore tamen parte tres pollices coniunctos non excedente, quæ notæ satis respondent iis quas Veteres Asini Indici cornu tribuunt: attamen reliquæ notæ non conueniunt. Scimus etiam ea quæ Angliæ Rex habet, striata & in gyrum canaliculata esse, quemadmodū & illud quod apud D. Dionysij Phanum est, quod omnium maximum existimamus inter ea quæ hactenus conspecta fuerunt. Maius præconiū meretur quàm aliud quoduis cornu quod in animali procreatum viderimus. Naturale etenim est, haud artificiale, in quo omnes notæ quæ alterius animalis cornu conueniunt, reperiuntur: & quoniā concauum est, existimandum est non esse deciduum, vt nec Caſellarum Chamoix, Bouc-eſtain cornua, contra quam Damis, Cernis, & Hinnulis quibus decidunt. Nullus est procera quantumuis statura, qui vix ad illius summitatem pertingere queat: septem enim magnos pedes longum est. Decem & tres duntaxat libras & vncias quatuor pendet: si quis tamen subleuet, plus quàm decem & octo libras pendere existimet. Eius figura recta est instar cerei, inferiore parte crassa, deinde paulatim vsq. ad mucronem gracilescens: eius etiam crassitiem manus complecti nequit, cùm quinque digitos in diametro habeat: atq. si quis funiculo crassitiem metiatur, palmū & tres digitos inueniet. Inæquale nonnihil est ea parte quæ capiti inhæsit, tota deinde re-

liqua parte læui & polita. Leuibus canaliculis ſtriata eſt cochleæ in morē ab infima parte ad extremū mucronē, à dextera ad ſiniſtrā, omnibus ſtriis in gyrū vergentibus, quemadmodū in Limacū teſtis, aut fuſte quē periclymenū ambierit. Eius color nō omnino albus eſt: nam tēporis iniuria fuſcū nonnihil redditū eſt. Integro pede cauū eſt aut eo amplius infima parte qua oſſi quod capiti firmiter adhæſit, inſertū fuit. Hinc iudicare licet, minimè deciduū eſſe. Cùm porrò tantū onus animalis capiti incūbat, animal quod illud geſtat, ingentis corporis boue non minus eſſe coniiciendū eſt. Strepſiceros (cuius ante meminimus, cuiuſq. cornua recta, canaliculata, & cochleæ in modum contorta ſunt) arietē magnitudine nō ſuperat Illius effigiē hìc ſubiecimus: nō quòd eā ab aliquo Auctore deſumpſerimus; nemo etenim de eo quidquā tradidit (præter eius nomen quod in Plinio legimus) eiúſve iconem præbuit.



CAP. XV.

De Cretenſi quodam lapide, cuius Solinus meminit, Dactylus Idæus nuncupato.

ADIICERE *hic libuit, lapidem quem Solinus Dactylum Idæum, alij Belemnitem appellant, nos verò erro-*

nec̃ Lapidem Lyncis, ab Ida Cretæ monte, vbi primũ inuentus fuit, nomẽ sumsisse. Verùm nõ modo in Creta inuenitur, sed etiam in quodam monte Luxemburgo vicino, Diui Ioannis nomine nuncupato videre meminimus, cùm Rex Franciscus Literarum parens, eum montem muniri iussit: nam postquam Calones trium pedum altitudine solum excauarant, nihil ferè nisi Dactylum Idæũ eruebant. Mercatores in suis officinis pro Lapide Lyncis non sine errore vænum exponunt: nam id nomen flauo succino, de quo postea agemus, debetur.

CAP. XVI.

Celsissimi totius Cretæ montis, qui Græcis vulgo Psiloriti dicitur, veteres Idam nominabant, descriptio: tum de stirpibus quæ in eo nascuntur.

IN summo montis Idæ culmine consistentes, eum subsequente modo describimus. Summus montis vertex fere mucronatus est Strobili siue pineæ nucis instar, summis aliorum montium iugis imminens. Licet autẽ totius montis moles & amplitudo, vtrumque maris littus attingat: nihilominus ea pars quæ cæteris sublimior est, peculiariter hoc nomen obtinuit. Certum est Madaram montem in maiorem amplitudinem & crassitiem extẽdi quàm Ida: attamen non æquè sublimis est. Cretenses Idæ nomen immutarũt, & Psiloriti nunc vocant. In summo eius montis fastigio sacellum est, quod ædificiolo duntaxat constat saxis sibi inuicem impositis & sine calce cohærentibus forninicis in modum constructo, ad tectum præbendum. Sublimi adeò loco est, quem vehementiores interdum venti ita perflant, vt lapillos inde transferant. Paulo infra ad sacellum planicies conspicitur montibus vndiq. cincta, in quæ multa sunt pascua, vbi arietes & capræ Cretenses æstate pinguescunt. Si quis ex summo montis vertice vndique prospiciat, parum aberit, quin totius insulæ ambitum videat cum alijs vicinis insulis Milo, Cerigo, siue Cythera, reli-

reliquisq; Archipelagi. Aëris intemperies in hoc monte adeò magna est, quemadmodũ & in ceteris præcelsis montibus, vt in ipsis Caniculæ ardoribus meridie, nullo etiam spirante vento ingens sentiatur frigus: qua de causa nec hieme nec æstate quisquam eum incolit. Nam licet pastores interdiu ouium greges istuc ad pascua agant, noctu tamen in valles se recipiunt. Ea montis parte quæ ad Orientem spectat, magnæ planicies sunt ad ipsius vsque radices pertingentes, in quibus plurimæ amœnæ & frigidæ aquæ scaturigines. Qua verò ad vrbem Candiam obuersa est, nemora eam muniunt, in quibus Acer admodũ crispa materie, Ilices plurimæ, & Acillacæ nascuntur. Pars Meridiei opposita, siluis haud est ornata: attamen nonnullas arbores alit, quæ alibi duntaxat frutices sunt, nimirum Arbutos, Andrachnes, Elæprinos, hoc est Philicas, quæ Latinis Alaterni dicuntur, Cistos, & alias huiusmodi arbores quæ apud nos non inueniuntur: ea autem parte colligitur Ladanum. Pars Messariam spectans, hoc est, eam planicem in qua sita est Gortina, Cupressis abundat, Piceis, Gallis Pignets. Hîc etiã nascuntur Chamælea, Thymelea, & Oxycedri: Pseudolabyrinthus ea parte situs est. Magnos ferorum Hircorum greges in eodẽ monte conspicere est, & plurimos lepores. Tribus diuersis tẽporibus eũ conscendimus, & diuersis semitis, attamẽ nullum locum inuenire potuimus in quo Rubus Idæus nascatur. Nerion flore albo Aprili floret medio quasi montis ascensu, apud pagum Camerachi, qua Candiam iter est. Qua occidẽtem spectat difficilimus ascẽsus est & admodũ præceps, ac si ferè per erectam scalam ascendẽdum esset. Istic ad radices montis pagus est, à quo subire incipientibus septem passuum milia ad summum vsq. iugum conficienda sunt. Pars Orienti obiecta, reliquis temperatior videtur: nam ad montis radices solum vndiquaque admodum pingue & humectum; ibi etiam frequentissimi

sunt

sunt pagi, & omnia excultissima, siue arbores fructiferæ, siue vites & oleæ, agriq; omni leguminum genere & frumento sunt consiti. Tota illa moles quacunque tandē patet, possidetur à Dominis Calergis, nempe ab Antonio & Matthæo fratribus, qui iam à mille annis primū dignitatis & nobilitatis gradum in tota insula semper obtinuerunt: de quibus adhuc posteà.

CAP. XVII.

Rariorum arborum & herbarum quæ sponte circa Idam montem in Creta nascuntur, nomina: tum de colligēdi cocci baphici ratione.

DE Stirpibus circa montem Idam nascentibus commodè agere nequimus, quin Dominorum Calergorū qui hunc possident, & in vniuersa insula Creta summæ sunt auctoritatis, insignem humanitatem & liberale ingenium prædicemus. Quemadmodum enim Dominus Ioannes Franciscus Baroczo ex vrbe Rhetimo à suis ministris securè nos conduci curauit in montes Spachiæ & Madaræ: sic Magnificus Eques Dominus Antonius Calergo patritius Venetus Candiæ habitans, suos ministros nobis duces dedit in Idam montem, atque victui necessaria deferri iussit, vt aliquot dies in eodem monte consistere possemus: nam stirpes inquirentes, noctu ad pastorū tuguria, in quibus caseos conficere solent, redibamus & istic pernoctabamus. Ionis sepulchrum, quale Veteres descripserunt, etiamnum ostēditur, integrum adhuc. Latè porrò patet hic mons, eiusq; radices vtrinque maris littora vt antè diximus, attingunt, eiusq; territorium admodum amplum est. Nam licet eius radices vrbi Candiæ sint vicinæ, meditullium tamen insulæ occupat adeò in sublime erectus, vt niues eius vertice perpetuo tegant, tamq; frigida aura mediis etiam æstatis ardoribus istic est, vt vix ferri queat: tametsi in cōuallibus magnus sit æstus. In illis inter stirpes memoratu dignas crescit Saluia poma ferens esui apta, quæ rustici legere solent, hisq; saccos plenos in

proximas vrbes venales deferunt. Initio Maij foliis inhærentia inueniuntur gallarũ magnitudine, lanugine obducta, dulcia, & grati saporis. Eodẽ tẽpore ſpinoſarum Capparum flores legunt, eosq; in forum venales proponũt, non conditos, ſed elixos duntaxat & nonnihil ſalitos. Mãdragora mas & femina, Pæoniæ duo genera, vulgo Græcorum Pſiphedile nuncupata in omnibus vallibus humidis naſcuntur candido flore. Tragium ſecundum riuulos creſcit luteo flore, Ceciliane ſemine. Leõtopetalon craſſa radice iſtic hieme floret, vt Mandragora. Vera Melilotus odorata in collibus herboſis prouenit, Ononidi ſiue Arreſtæ bouis ferè ſimilis, Maioranæ noſtræ, quam in hortis colimus, reſpondens, ſponte creſcit ſub finem Iunij, rubentes flores proferens, ruſticis Matherina dicta. Nihil vulgarius Trifolio mœnanthe. Heliochryſon extremo Iunio floret, adeò frequens in montibus, vt vix (vbi naſcitur) alia planta conſpiciatur: quod autem leporibus cubilia grata præbeat, vulgus eius inſulæ Lagochimithia appellare nouit. Heliochryſi autem nomine noſtram Stœcadem citrinam non intelligimus: nam vt Hieronymus Hungarus Medicus nobis in Creta demõſtrauit, ea eſt quæ Ageratum nominatur. Nerion candido flore, tota inſula non inuenitur, niſi in Montis Idæ conuallibus apud pagum Camerachi. Acer in frigidis montibus naſcens, à ruſticis Aſphendannos nuncupatus, in monte Ida criſpiore eſt materie, quàm vſquam alibi. Andrachne frutices genuinum nomen retinuerunt; ſic etiam Acylaca, & Philyca quæ magnæ ſunt arbores glandiferæ. Cupreſſi in ſiluis non creſcunt, vt plerique exiſtimarunt, ſed ſparſim variis montium locis, licet iſtic ſatæ non fuerint: meridiano tamen ſole gaudẽt, eiusq; ſunt naturæ, vt infima parte reciſæ, ex parte tamen radicibus proxima multis ramis repullulẽt. At eo loco in altum non attolũtur, ſed in craſſitiem excreſcunt, propterea capſæ ex cupreſſo inueniuntur

tur in Candia vrbe parata admodum lata. Nascuntur etiam perinde in Leucis montibus, Spachia vocatis, atq. in Ida dicto Psiloriti. Tragacantha in montium superciliis abundè crescit: eius duo genera obseruauimus. Asserimus autem eius gummi minimè istic colligi, licet nonnulli inconsideratè id scripserint: quam nostram assertionem, si opus esset, auctoritate primarij insulæ Domini Equitis Antonij Calergo, probare possemus, coram quo de ea re verba fecisse meminimus. Staphis agria passim sponte prouenit. Coris admodum frequens est, quæ nostro iudicio inter reliquas stirpes radicem habet ingratissimi saporis, vtpote quæ degustata vomitum nobis prouocarit, quod nulla alia vnquam fecit. Anagyridis arbustū passim fere secundum Regias vias nascitur, tam fœtido odore vt capitis dolorem inducat, antiquum nomen etiamnū retinens; nam Anagyros vulgo dicitur: adeò ingrati est saporis, vt ne famelicæ quidem capræ degustare sustineant. Istic Tithymalum dendroidem duorum hominum altitudine, caudice humanæ coxæ crassitie conspeximus. Thapsia, ferula, Libanotis & Seseli istic abundant. Prouenit etiam frutex Agriomelea vulgo nuncupatus, exiguorum malorum pyris forma similium ferax. Nusquam hic frutex in Gallia reperitur, præterquam in scopulis Fontainebleau arci Regiæ vicinis, quibus delectari videtur. Fruticem Sabaudis sine Allobrogibus Malancier dictum, Cretenses Codomalo appellant. Veratrum nigrum in insula Creta diligentissimè perquisiuimus: at nunquam inuenire potuimus, eaq; nostra est opinio, neque album neque nigrum istic nasci. Aristolochia porrò quartū quoddam genus, à tribus reliquis veteribus descriptis diuersum inuenitur, arbores scandens & premens Ephedræ & Smilacis modo, alioqui conueniens foliis, floribus, semine, radice, sapore & odore cum Clematitide. Cocci baphicæ census ingens est in Creta: cuius collectioni potentiores operam

ram impendere nolunt, sed pastoribus & pueris istam prouinciam relinquunt. Inuenitur mense Iunio in exiguo quodam frutice ex Ilicis genere quæ glandem fert sine pediculo inhærens illius fruticis stipiti, colore ex cinereo albicante. Quoniam verò istius fruticis folia spinis horrent, vti Aquifolia, pastores furculam sinistra gestant, qua ramulos deprimũt & inclinant, dextera autem falcem putatoriam, qua illos demetunt, à quibus rotundas vesiculas exigui pisi magnitudine auferunt, qua parte ligno adhæserunt apertas & hiantes, pusillis rubris animalculis lende minoribus plenas, qui per hiatum istum effugiunt, & vesiculam inanem relinquunt. Pueri coccum iam collectam ad Quæstorem deferunt, qui ex dimenso ab illis redimit. Is animalcula à vesiculis cribro segregat, deinde ea summis digitis leniter prehendendo in pilas efformat oui gallinacei magnitudine: etenim si nimium comprimeret, tota in succum resoluerentur, & color periret. Itaque duo infectionis genera, vnum pulpæ, alterum vesicularũ: quoniam autem pulpa ad inficiendum cõmodior est, eius precium quadruplo maius, quam vesicularum. Aliud præter iam commemorata genus adhuc inuenitur, cuius neque veteres neque recentiores meminerunt: excrementum est, eadẽ qua superior ratione, in Myrtis nascens, vtpote animali viuo vesicula incluso præditum.

CAP. XVIII.

Plurimarum aliarum stirpium in insula Creta sponte nascentium breuis narratio.

INTER reliquas stirpes quas Creta alit, insigne est Dictamum, quod vix in terra nasci vult, sed sponte semper in scopulorum fissuris prouenit, nusquam alibi, soli etiam Cretæ peculiare: at Pseudodictamum non modò in Creta, sed alijs etiam locis nascitur. Vulgo Cromido filo nuncupatur: Sonchus Zucho, Alnus Schlitro, Lactuca Maroulla, Periclymenum Agioclima, Viburnum Gallorum Clemacida, Cichorium Picra, Vrtica Zuchnida,

nida, Lotus arbor Cacauia, Iuiubæ Zinziphia, Ferulæ Artica, Polium Denaida. Tria Origani diuersa genera Iunij initio florent: at Onitis peculiariter inter scopulos colliculorum siccissima parte Meridiei obiecta: Heracleoticum cõtra humẽtibus locis gaudet: quod siluestre appellatur, neutrius naturæ particeps est; nam libentius circa sepes crescit quàm apertis locis. Spinæ genus est in Creta quam omnes vulgari græco idiomate Ascolimbros appellare norũt: Veteres Latini etiã nomine græco Glycyrrhizon vocarunt, à Glycyrrhiza tamen diuersum. Sponte passim nascitur, flauo flore, lacteo succo abundans. Radix & folia edi solent antè quàm in caulem abeat. Rauennæ cùm essemus cũ aliis herbis in foro venalem conspeximus; tum etiam Anconæ, vbi mulierculæ eam cruentes, Riuci nominabant. Sed & agro Romano colligi obseruauimus, & ab incolis Spinaborda nuncupari. Ea est quæ recentioribus Græcis Ascolimbrous dicitur. Plinius variis locis & libro 21. cap. 16. de spinis agens, vbi Carduum à Scolymo distinguit, per Carduum Artichocam intelligere videtur: deinde ait, Scolymus quoque floret sero & diu. Postea subiicit: Scolymus carduorum generis ab iis distat, quòd radix eius vescendo decocta. Sed Galenus ipse nonne de Scolymo & Cinara eodem capite meminit? Itaque assentiri possumus iis qui Artichocam siluestrem nominari debere Carduum contendunt, & hortensem cultumque Scolymum: quoniam siluestris semper spinis horridus est. Spina quam Veteres Græci Acanon appellarunt, rusticum nomen ab Acanou deriuatum mutuata est, nimirum Aconachia: quæ vox illi propriè conuenit: nã cùm præ cæteris spinis horreat, inde factũ vt aculeatæ plãtæ Acanaceæ dicantur. Thymelæa qualis Dioscoridi describitur, in Creta prouenit, ab ea differens quã Germani in suis picturis nobis proponunt. Gladiolus siue Xyphion in aruis nascitur, & cum Vere germinat vnicum folium

folium non admodum latum & octonos digitos longum, mucronatum, septem neruis distinctum promit: è cuiusſinu aliud minus exit, deinde tertium, poſtremò caulis floribus onuſtus ſerie quadam propendentibus adeò nitentis coccinei coloris, vt nullam comparationem admittat: terra erutus cum ſua radice ſagittæ inſtar conijci poteſt; quandoquidem eius radix craſſa & rotunda eſt, vt ſagittarum craſſioris capita, & eius folia terna vtrinque in caule diſpoſita pennarum vicem præbent Titymalus myrſinites cùm in Cretæ montanis tum maritimis creſcit: quemadmodum & Paralius. Securidaca agri abundant, illiſque Peleki dicitur. Terebinthi, Lauri, Arbuti, Lentiſci, & pumilæ Cedri veterem appellationem retinent: vti & Aſpalathos, & alia ei valde ſimilis Achinopoda illis dicta. Marina littora Gnaphalio candicant: nam quod ab Herbarijs depingitur, adulterinum eſt. Iiſdem littoribus frequentes ſunt Theophraſti bulbi littorales, quos noſtri Aromatarij Galli pro Scilla vendũt. Silueſtres braſſicæ in ſcopulis ad portũ Sudæ naſcũtur. Chamæſyce & Soldanella littorali arena delectãtur. Dracũculus hederæ folio in humidis Spachiæ locis ſolummodò reperitur: at alter nobis notus plurimis inſulæ locis indifferenter exit. Halimi frutex nunc Halimatia appellatur; tota inſula adeò frequens, vt maxima ex parte ſepes eo conſtent: huius cymæ edules ſunt. Noſter Agnus caſtus, ſiue, Veterum Agnos Liya appellatur. Sedum iſtic fruticeſcit. Legitimum Thymum iſtic adeò frequens eſt, vt alterius ligni loco vratur. Thymbra vulgari nomine Græcis Tribi dicta, hoc eſt, Satureia ſilueſtris, macilenta & ſterilia loca amat, præſertim autem apud Rhetimo: in his duabus ſtirpibus, potiſſimùm autem Thymo, naſcitur Epithymum. Tribulus terreſtris quem illi vulgo Atriuolo vocant, agris maximè eſt noxius præſertim autem leguminibus. Hoc autem loco reticere non

non possum, eos qui sacras literas interpretantur vbi scriptum est de Tribulis ficus, *hallucinari, dum Tribulum esse existimant carduum: nam Tribulus vniuersæ* Galliæ ignotus est, saltem terrestris: aquaticus autem is est quem nos Macles aut Chastagnes d'eau nuncupamus. Heliotropium nominatur Heliocrota, Atractylis Ardactila, Orobanche Lycos. Hyssopo cùm hortensi tum siluestri carent: eius autem loco pharmacopæi inutilem quandam pusillam adulterinam plantam substituunt. Stœchas sponte plurimis locis nascitur. Inter rariores stirpes, singulares quaspiam conspeximus in Franciscanorum horto vrbe Candia, nimirũ Scammoneam & Apion, quæ alioqui sponte in montanis nascuntur, vti & Styrax, Ricini planta quoniam istic hieme non corrumpitur, multosque perdurat annos, in arborem euadit adeò sublimem vt non nisi scalis admotis conscendi possit. Xylum & Sesamum magnum censum adferunt; atque Aprili seruntur. Cogitur istic & Cedria siue Katranum, & pix, præsertim in Leucis montibus, vulgo Spachia dictis, in quibus plurimæ siluestres pini, alias Piceæ, proueniunt. Inter res memorabiles quas in Creta obseruauimus, est planicies Sethia & Lasti nominata, magnæ longitudinis in sublimiũ montium iugo, paulo supra Voulismeni in media insula, qua Sethiam iter est. Restibile autẽ est solũ, in quo multæ segetes, leguminaque nascuntur, & Orobus, leguminis genus nobis quidem in vsu, sed quod nullum nomen Gallicum inuenit. Eam planitiem vberem reddunt riuuli è collibus illam vndique cingentibus decurrentes. Nascuntur apud Cretenses siluestria quædam exigua pyra, ab incolis Achladas nominata, à nostris diuersa: alias pyra siluestria apud eos Agusaga appellantur. Vix in Creta reperias Asparagi genus illud quod in hortis colimus: siluestrem enim Corruda nuncupatum passim sponte nascentem duntaxat habent. Sed aliud præterea genus apud*

ipsos

ipſos conſpicitur, antiqua & vulgari appellatione Polytricha nominatũ. Inconſtãs Anemones flos pluribus quã decẽ coloribus variat. Cycadæ Symphogna nuncupantur, qua etiã voce Itrã appellãt, Symphitũ maius Stecouli. Supra Chiſami arcem, ea montis parte qua Calohierorũ monaſterium, cui nomen D. Ioannes de Predermos, ſitum eſt, Artichocæ ſilueſtris genus creſcit, paſtoribus Agriocinara appellatum, cuius radix cubitalis longitudinis, & humani cruris craſſitiei, foris & intus nigra, pyri in modum turbinata, quam Coſtum Indicum in Aromatariorũ officinis venalem eſſe aſſerimus. Intelligimus autem nigram illam radicem quam Coſtũ nominãt, quamq; ab omni antiquitate in vſu eſſe credimus. Capita fert inſtar Cinaræ ſiue Artichocæ, quæ paſtores cruda mandũt. Eius flos maxima ex parte candidus eſt (licet & purpureus inueniatur) & ſuauis odoris. Ipſius radices Chamæleonis albi radicibus ſimiles ſunt, & folia Chamæleonis nigri foliis. Differt ab aliis Artichocis ſilueſtribus multis Italiæ locis naſcentibus. Fruſtra inter reliquas noſtrates ſtirpes Chamæleon albus & niger depicti fuere: nam neuter nec in Germania, nec in Gallia, nec etiam in Italia naſcitur: vnde certũ eſt (cum venia ſit dictũ) iſtas tres nationes hallucinari: neq. enim Carlina, neq. alij ſimiles cardui, Chamæleon albus vel niger ſunt. De nigro autẽ aliàs agemus. Albus porrò radicẽ producit humanæ coxæ craſſitie, pedali, interdum etiam cubitali longitudine, adeò odoratam, vt in conclaui repoſita, illud violæ odore ita repleat, vt capitis grauedinem inducat. Cretenſes paſtores, & ruſticani pueri, præſertim apud Rhetimo, eius gummi colligunt, quo fœminæ pro maſticatorio vtuntur, vti maſtice in Chio, & Condrillæ gummi in Lemno. Cola vel Chamæleous vulgo nuncupant Chamæleonem album. Acanthus mollis variis humidis locis frequens eſt: at ſpinoſus in agris & iuxta ſemitas. Anonidis cimas

con-

condiendi consuetudo apud Cretenses nondum abolita est, neque etiam Eryngij tenella germina edendi: at Eryngium illud marinum est maris littoribus nascens, à mediterraneo diuersum. Breuiter Creta insula multas stirpes profert, atque alias res singulares, quas alibi non reperias. Ab omni etiam antiquitate generosarum stirpium ibi nascentium nomine celebrata est. Macrobius cap. 5. lib. 7. Saturnalium idem testatur his verbis: Sed nec mõstrosis carnibus abstinetis, inferentes poculis testiculos Castorum, & venenata corpora Viperarum: quibus admiscetis quidquid nutrit India, quidquid deuehitur herbarũ, quibus Creta generosa est. Serpentũ duntaxat tria genera in Creta obseruauimus, primũ Ophis, alterũ Ochendra, tertiũ Tephloti à rusticis nominatũ. At affirmare audemus verum esse quod antiquitus proditũ est, Cretam nullũ venenatum animal alere. Nã cũ serpẽtis illud genus, quod proprio nomine Ophindici retulimus, persequeremur, dux nostri itineris sublenans lapidem sub quo latibulum quærebat, ab eodem præmorsus fuit in manu: attamen licet sanguinem etiam elicuisset morsura, nullum aliud malum sequutum est, quàm leue vulnus.

*Gallia tamen Narbonensis copiosum tribulum terrestrem alit.

CAP. XIX.

De Cretensi Maluatico vino Pramnio dicto, illudque nusquam alibi confici.

VINVM quod Maluaticum vocamus in sola Creta fit: atque affirmare audemus illud quod in exteras regiones etiam longissimo dissitas interuallo defertur; quemadmodum Germaniam, Galliam, & Angliam, primùm fuisse decoctum. Nam naues quæ Maluatici vini in exteras regiones transferendi causa Cretam appellunt, potissimùm id quod in Rethymo natum est, tollunt, cùm constet illud generosissimum diu conseruari posse, atque longa vectura maiorem adhuc præstantiam adquirere. Porro in vrbe Rethymo quæ Veteribus Rhythymna dicta

est, magni sunt lebetes ad littus maris dispositi, in quibus Vindemiarum tempore vina decoquunt: attamen omnia maluatica vina decocta esse non asserimus. Nam quæ circa Caneam, & vrbē Candiā, colliguntur, & duntaxat in Italiā transuehuntur, non decoquuntur, quia periculum nō est vt aceſcāt. Sed singulis annis vina cōmiſcētes, vetera nouis admiſtis meliora faciunt, & horna veteris admiſtione generoſiora reddunt. Cretica vina olim quemadmodum & nunc dulcia fuere. Maluaticum proprio nomine Pramnium vinum dictum est, vt ex Dioſcoride patet, cuius hæc sunt verba, Creticum cognomine aut Pramnion aut Protopon. *Huc accedit quòd Homerus magnopere commendarit Creticū, illud Pramnium appellans. Insula Creta etiam eximium Muſcatellum vinum præbet: cuius duo sunt genera; vnum præcocius ante vindemias confectum, alterum ipſis duntaxat vindemiis: ſed neutrum vix vltra fretum Herculeum transuehitur. Ceterùm duo etiam sunt Maluatici genera; dulce, & acerbum quod Itali garba appellant, Galli viride, ſiue rude: illud autem ad nos non deuehitur, quoniam, vti dulce, non est coctum, eamque ob cauſam diu conſeruari non poteſt.*

CAP. XX.

De Veterum ſaltandi cum armis ratione, quam Pyrrhicam ſaltationem nominarunt.

Cvm in campeſtri quodam pago verſaremur apud Dominum Ioan. Antonium Baroczo non procul ab vrbe Spachia, vicinorum pagorum incolas ad diem quendam feſtum conuenisse conſpeximus, alios cum vxoribus, alios cum amicabus, ſic vt magna hominum esſet frequentia. Bene poti, ſaltare ceperunt ſummo totius diei æſtu; non in vmbra, at ſub dio, tametſi is dies totius menſis Iuly esſet ardentiſſimus: eamque ſaltationem vſque in noctem protraxerunt, licet ſuis armis eſſent onuſti. Solent iſti ruſtici

ferè

rè perpetuò incedere alba interula amicti, quam lato ngulo magna fibula prædito constringunt: deinde femolia linea applicant, quibus interulam nõ includunt, sed beram fluitare permittunt: postmodum ocreas caligaum & calceorum vicem supplentes inducunt, ad cingum vsq. pertingentes, cui eas alligant sic vt interula aneriore & posteriore parte propendeat. Sic ornati, atque pharetram centenas & quinquaginta circiter sagittas quadam serie dispositas continentem ex tergo propendentem gestantes, tum tensum arcum brachio inducentes, aut transuersum gerentes, & gladio latus accincti, elegantiores suos saltus facere nituntur; neque decoram suam saltationem esse existimarent, nisi his omnibus essent onusti. Hæc Cretensium armatorum saltatio veterum Curetum saltationem nonnihil respere videtur, quam Latini Pyrrhicam nominarunt. Græci sic saltantes tribus mensuris vti solent: vna est progressus, anterius subsiliendo altero pede subleuato, vt Germani solent: altera orbicularibus saltationibus quæ in pagis per Gallias fiunt, non est dissimilis: tertia mira est, nam modò alterum pedem in anteriorem & posteriorem partem iaciunt, mox altera similiter faciunt, atque sibi mutuò respondent cantando, tum saltationes cantilenis accommodando; modò in gyrum, modò in longum, atq. interdum bini & bini; omni conatu interea saltãtes. Ab omni antiquitate Græci saltando cantare consueuerunt. Ipse etiam Aristoteles id testatur primo capite, lib. septimo, his verbis: Vox iis qui rem veneream incipiunt agere, mutari in sonum asperiorem inæquabilioremq. incipit. Abstinentibus verò, à contrario fit, & si curam adhibeant: quod aliqui faciunt ex iis qui choreis indulgent.

Mulieribus moris est vt velum duntaxat capiti imponant liberum nec adnexum: pectus verò & humeri perpetuò nuda sint (nullum enim amictorij vsum ha-

bent) qua de causa fuscæ sunt & sole adustæ: nulla etiã tibialia gestãt, de rusticanis intelligimus, quas pub licè conspicere licet: Nam vrbanæ perpetuo latẽt, & vix prodeũt nisi noctu, siue tẽpla adituræ, siue sese mutuo visituræ. At quoniam nostrũ institutũ alio nos reuocat, de Cretensibus rebus plura differere super sedebimus, cùm nauigatio in eã insulã adeò trita sit vt nunquã desint qui eò commeent & inde redeant: atque de Turcicis rebus agere incipiemus.

CAP. XXI.

Quotquot mandatum siue diploma liberi transitus à purpurato aliquo Bacha, vel à Turcarũ Imperatore impetrauerint, modò turcico vestitu incedãt, ducemque itineris habeant qui interpretis vice fungatur, tutò per omnes Turcæ prouincias commeare posse.

TAMETSI *Turcæ magno numero per turmas, quas ipsi Carauannas nominant, conuenire soleant, vt securius profectiones suas suscipiant, quilibet tamen eorum vestitu amictus, diplomaque habens ex aula Turcarum Imperatoris, comite interprete qui illi dux itineris sit, libere quocunq. libebit proficisci poterit, exceptis desertis & extremis Prouinciarũ limitibus. Si quis porrò eodem desiderio, quo nos, impulsus, idem experiri vellet, abs re facturi non videmur, si quidpiam hic adscribamus. Cùm primo Byzantium appulissemus, & ocium in socordia transigeremus, singulis diebus portus canalem siue sinum qui Peram à Constantinopoli separat trauiciebamus, vt ea quæ Turcæ in suis officinis venalia proponere solent conspicientes, obseruaremus quæ ipsi haberent nostris officinis incognita. Vtque id commodius facere possemus, conquisito docto Turca, qui Arabicam linguam adprimè calleret, de precio cum illo conuenimus, vt omnis generis mercium, aromatum, atque aliarum rerum quæ in officinis Turcarum venales habentur, indicem conscriberet, qui nihil aliud continebat quàm Auicennæ indicem Arabica lingua descriptum, omnia quæ illis peregrè aduehuntur complectentem. Et vt verum*

rũ fateamur, ea res plurimũ nobis profuit ad earũ rerum quas desiderabamus, cognitionem adipiscendam. Nam absoluto indice, Turcam nobis singula vocabula sigillatim & distinctè pronunciare iussimus, eaque cum pronunciaret, singula nostris characteribus exarabamus, vt erant arabicè prolata: deinde rem prolatam nobis demonstrari curabamus; vt ea conspecta, rem cognitam vocabulis ab ipso descriptis, nostra lingua subscriberemus, cupientes ea ratione, aliis locis, quotiescumque opus esset, ipsa petere posse: & in quibuscumque sanè Turcarum Prouinciis fuerimus, plurimum nobis apud ipsos profuit is index. Nam interdum euocati ad ægrorum curam, cùm quidpiam ex materialistæ officina (nullos etenim pharmacopæos habẽt) expeteremus, si ipsorũ idiomate probè exprimere nequibamus, indicem scriptum proferebamus, vt mercator conspecto vocabulo melius intelligeret. Ista profectò ratione multa simplicia conspeximus, quæ à nostris mercatoribus Turcarum prouincias adeuntibus iam aduehi desierunt. Hanc itaque laudem mercatorum negociationi tribuimus, quòd ei accepta referre debeamus, quæcunque singularia habemus è procul dissitis regionibus aduecta. Atque vt rem sic se habere comprobemus; num sine negotiatione aromata haberemus canellæ, carophyllorum, myristicæ nucis, piperis, aliarumque similium rerum? Cur tot præclara medicamẽta, & alia singularia veteribus adeò trita, nunc sunt incognita, nisi quòd illorum negotiatio fieri desiit? Num tellus Amomum, Terebinthinam, Calamum odoratum, Ammi, Costum, Acaciã, & alia huiusce modi veteribus adeò trita proferre destitit? Non profectò, sed subsistunt, quia nemo est qui illa eis mare aduehat. At cũ in Oriente essemus, plurimarum cognitionem negociatoribus impertiymus, quæ antè illis ignota istic remanebant, nunc verò vulgo vanalia esse incipiunt cùm Venetiis, tum plu-

rimis aliis locis: potissimùm autem legitimũ Nitrũ, Cardamomum maius, vera Terebinthina, & alia similia, de quibus fusius nostris in Dioscoridem Commentariis. Certi autem sumus nobis nõ defuturos probatos testes, si probare vellemus nos omnium primos retulisse plurima medicamenta nostris ignota, & quæ neque auro neque argento comparare potuissemus.

CAP. XXII.

Turcas eandem dictionem suis characteribus multifariam exprimere.

VETERES *Terræ quoddam genus in plurimis medicamentis admodum commendarunt: quod etiamnum minore non est in vsu, quàm vnquam fuerit. Latini* Terram Lemniam, *siue Sigillatam appellant, Galli* Terre sellée. *Adeò celebris est hæc terra, vt Principum Legati Constantinopoli redeuntes, eam referre soleant, quam muneris loco Principibus viris offerant. Nam inter alia singularis est aduersus pestem & omnes defluxiones. Venalis reperitur in Aromatariorũ officinis Terræ sigillatæ nomen obtinens, sed quæ magna ex parte adulterina sit: in vniuerso etiam orbe non inuenitur nisi in vna Lemno insula. Et quoniam nobis animus erat in Lemnum nauigare, eã ob causam antè quàm Constantinopoli excederemus, diligenter inquisiuimus quibus rationibus negotiatores illã adipisci queant; tantumq; effecimus, vt duodeviginti diuersis impressionibus signatam inueniremus. Pastillos igitur omnis generis impressione notatos nacti, cuidam Turcæ arabicæ linguæ perito ostẽdimus, vt intelligeremus cur tot genera inuenirentur. Ille verò omnibus perlectis, respondit singulas nihil nisi duas arabicas dictiones cõtinere.* Tin imachton, *quæ significant Terra sigillata: & pastillum qui plures haberet notas, eandem dictionem expressam habere, idemq; significantem, quam ea quæ paucioribus notis esset exarata. Omnis hæc terra in pastillos, hoc est, exiguos*

exiguos panes circiter quatuor drachmas pendentes, vel paulo interdum graniores, nonnunquam & leuiores efformata est. Et licet pastillorum characteres inter se varient, intelleximus id dũtaxat inde procedere, quòd Turcæ, vt eandem rem exprimant, variè suos characteres miscere queant: Alia item est eius rei ratio, nimirum diuersos magnates ei rei præfuisse, ideoq; diuersis sigillis impressisse. Non desunt impostores qui eã adeo dextrè adulterare norũt, vt legitimæ quàm simillima videatur. Vt verò characterum vario modo pastillis impressorum diuersitas conspici possit, eos prout variè impressi fuere exprimi iussimus.



CAP. XXIII.

Variarum specierum eiusdem Terræ sigillatæ descriptio, atque de sigillis ipsi impressis.

COLLECTIS *igitur quibuscunque sigillis, terræq; generibus quæ nanciscipotuimus, in Lemnum nauigare constituimus, vt rei veritatem expiscaremur, atque legitimam ab adulterina dignoscere disceremus: ea autem sic descripsimus: Antiquissimum sigillum, referentibus Græcis & Turcis, inter varias Terras id est quod pollicis latitudinem non excedens quatuor duntaxat characteres continet, quorum qui latera occupant, hamulis similes, alij verò medij valde intricati sunt, characteris ☧ ferè instar, qui medicinalem vuciam denotat; in medio autem*

sigillo inter vniuersos characteres quatuor duntaxat puncta sunt addita: huius sigilli terra adeò pinguis est, vt è seuo constare videatur, dentibusq; cedit quando mãditur, atque minimum arenæ continet; eius color in rubedine ad obscurum accedente pallet. Aliud est præterea genus in minores pastillos superioribus respondentes efformatum, cuius characteres impressi paulo grandiores sunt, numero tres, septem punctis interpositis: hoc paulo magis rubet priore, gustuq; est nonnihil acido, atque præmansum calculis arenaceis abundare deprehenditur: minus pingue est superiore: sed bonitate illi non cedere creditur. Est & tertium genus exiguorum pastillorũ, superioribus magnitudine respondentium, cuius characteres differunt: nã veluti vncum hamo piscatorio similem habet medium inter binos alios characteres notæ ʒ similes. huius color à superioribus differt, quoniam veluti paruis albæ terræ rubræ permixtæ maculis conspersus est. Quartum genus reliquis dilutius rubet: huius tria sigilla differentia eidem terræ generi impressa obseruauimus. Terra sigillata quæ Constantinopoli magis vulgaris inuenitur, maxima ex parte adulterina est, atque in maiores pastillos efformata quàm reliqua, eius etiam color diuersus est: nam reliquorum generum ad rubedinem tendit, huius verò flauescit. Et quoniam adulterina est, propterea maiore quantitate reperitur. Inueniuntur & duo alia genera cum forma tum characteribus dissidentia, quæ in selectissimorum numero habentur: in eo discrepant quod alterum magis arenosum sit, alioqui idem ferè est sapor: rara autem sunt. Inuenitur & aliud genus bolo armeno dissoluto adulteratum, cui impressæ sunt duæ notæ admodum contortæ, eiusdem cum postremis duabus magnitudinis, sed ab illis diuersæ. Est præterea & aliud genus in pastillos rudes & impolitos efformatum, cæteris rotundiores, nucis iuglandis magnitudine, globis ferè similes, nisi e a parte qua sigillum impres-

impressum est, sessiles & planiores essent. Hos omnium purissimos comperimus. Sed & alia est sigilli species in officinis admodum rara, vtpote quam duobus duntaxat locis Constantinopoli reperimus: eius etiam precium, reliquis maius est; aromaticum habet saporem, vt quis ex gustu, aliquid illi admixtum quod eum saporem conciliet, iudicare possit: cùm tamen naturalis sit ipsius terræ, cuius color saturatius rubescit: habet id sigillum plures impressas notas. Perspicuum itaque est omnia terræ sigillatæ genera eiusdem coloris non esse: nam sæpe contingit vt in ipsa vena candidioris coloris reperiatur, nonnunquam magis rubescentis, interdum etiam ex vtroq. colore mixta. Qui sphragidem Lemniam ex gustu discernere cupiunt, certius iudicium de ea ferre possunt, quum eam in ore aromaticum quidpiam spirare, atque arenaceam nonnihil esse deprehendunt, quàm qui an linguæ adhæreat periculum faciunt. Omnes porrò eas differentias, dum Constantinopoli essemus, descripsimus, & depingi curauimus, atq. in Lemnum insulam nobiscum detulimus, vnde hæc terra eximi solet: sed eam duntaxat vnico totius anni die, sexto videlicet Augusti huic rei cõsecrato eruere moris est. Ante quã verò Byzantio solueremus, ab omnibus nautis cuiusdã nauis quæ è Lemno aduenerat perquisiuimus, an Lemniam terram detulissent: omnes responderũt, eam non posse haberi, nisi ab Insulæ Gubernatore: atque si eam natiuam conspicere vellemus, in Insulam nobis nauigandum: nam omnibus incolis capitis pœna prohibitum est, ne quis eam efferat. Addebant præterea, si quispiam incolarum unicum duntaxat pastillum vendidisset, aut domi seruare inscio Gubernatore deprehenderetur, magna pecuniæ summa mulctandum: nã nemini, nisi Soubachi, eam distribuere licitum est, qui Insulæ prouentum obtinet, atque eius rei causa censum Turcarum Imperatori persoluit. Hæc omnia cupidiores nos effecerunt, vt ipsam terrã

in sua vena & fodina conspiceremus. Primùm autẽ salvus quem vocant conductus, ipsi mandatum appellant; nobis impetrandus fuit, quò securius per Turcarum Prouinciam proficisci possemus: eum autem fauore & auctoritate Domini du Fumet, in Domini d'Aramont absentia tum Legati, facilè obtinuimus.

CAP. XXIII I.

E Constantinopoli in Lemnum maris Aegei insulam, italico sermone Stalimene vulgo nuncupatam, profectio.

CELOCEM *nacti quæ Salonichi, amplam vrbẽ olim Thessalonica nuncupatã, proficisceretur, & in Lemnum appellere debebat, necessariis omnibus rebus ad profectionem paratis, eam conscendimus, atq. vela fecimus. Secundo autem vento minus quatuor dierum nauigatione Constantinopoli in Lemnum peruenire potest. Per Propontidem nauigantes, Galipolim peruenimus, vbi vnicũ diem hæsimus. Sed quandoquidem in nauigationis per Propontidem mentionem incidimus, asserimus illud mare esse omnium commodissimum: atque eius rei hæc est ratio; quòd totius Euxini maris atque Propontidis aqua nec incrementum sumat nec decrescat secundum Lunæ motum, vti in Oceano, & magna mediterranei maris parte: tum etiã quòd naues habeant huic mari (quod nec fluit nec refluit) accommodas. In Propontide, Hellesponto, Bosphoris, atq. etiam in Cycladibus insulis, & magna Ægei maris parte, æstus perpetuò profluit: sic vt si nauis pleno illo mari malacia corripiatur, singulis diebus plus quàm decẽ passuum millia de suo cursu decedere comperietur, propter aquas ab Euxino in Propontidem, & inde per Hellespontum & Cyclades in Mediterraneum mare rapidè profluentes. Cuius rei plurimos antiquitus admirationẽ cepisse comperio: quam nec etiam Plinius subticere voluit, qui 13. cap. 4. libri sic scribit:* Non est omittenda multorum opinio, priusquam digrediamur à Ponto, qui maria omnia inferiora illo capite nasci, non Gadita-

no

no freto, existimauere, haud improbabili argumento, quoniam æstus semper è Ponto profluens, nunquam reciprocetur. *Quod ad me attinet, in ea sum opinione, locum illum omnium marium esse originem, quoniam inde magna aquarum quantitas profluit, quæ nunquam refluunt: sed eas necesse est transitū & egressum habere per Gaditanum fretum, alioqui terram inundarent & omnes vicinas circum regiones submergerent. Ex Hellesponto egressis, & maris Ægei planum æquor ingressis ventus nos, qui tribus celocibus nauigabamus, destituit, atq. sub noctis crepusculum, tribus Piratarum nauibus conspectis, in portum Imbri insulæ confugere coacti sumus, vbi ventus aduersus exoriens, duobus diebus nos detinuit. Tertio die in planum æquor progressi, magna remorū cōtentione inter duo promontoria, alterum Lemni insulæ, Blaua nuncupatum, alterum Imbri, Aulaca dictum, sibi inuicem opposita, & duodeviginti passuum millia inter se distantia, cursum dirigentes, in Lemnon maturè appulimus. Nauem egressis, & significato insulæ Gubernatoribus nostro aduentu, qui potissimùm erat, vt terræ sigillatæ fodinam conspiceremus, eius videndæ spes omnis ademta, nisi ad sextum Augusti rediremus. Sed cùm multo tempore in plurimis insulæ pagis subsisteremus, in quibus sæpenumero accitus fuimus vt ægros Græcos & Turcas visitaremus, magnam occasionem nacti sumus conspiciendi varietatem terræ, præsertim in vrbe Lemno. Nam vnus ex primariis totius insulæ, domicilium habens in arce supra rupem exstructa, tum æger, nobis commoditatē præbuit videndi omnes species quæ in ea vrbe adseruabātur, cùm illi persuasissemus, ad medicamentum quod illi parabamus, selectissimam inter ceteras terram nobis esse deligendam: maxima verò earum pars nullum sigillum impressum habuit.*

CAP.

CAP. XXV.

Vrbium & ruinarum Lemni insulæ descriptio.

LEMNON *italicè Stalimenen vocari comperimus, nomine è duabus dictionibus vulgaribus Græcis Sto & Limni corrupto: Sto enim adsignificat, & Limni Lemnon. Vrbs nunc Lemnos dicta, olim Myrina nũcupabatur, parum celebris, licet adhuc integra. Forma arcem Corcyrensem refert, aut Bucephalam vrbem, vulgo Cavalla nuncupatam: in colle enim mari imminenti sita est, binas maris oras habens, vtrinq. vnam, vt ingressus continentem spectans admodum angustus sit. Collis in quo vrbs sita est, vetustis muris cincta est; in cuius supercilio arx in rupe exstructa, vbi præsidiarij plerumq. sunt milites; non quòd vrbs aut arx munitionum loco habeantur, sed vt Pyratis & triremibus resistere queant, si fortè illos inopinantes adorirentur: sed reuera præsidia turcica istic duntaxat in speciem sunt collocata, vt totam insulam in officio contineant, néve rebellare possint incolæ, & eã Christianis tradere. Ceterùm Hephæstia nunc Cochyno dicta planè deserta est & destructa: accidit enim plerumque vt vrbes olim sterili solo structæ & difficili, incommodoq;, ob rerũ necessariarum ad vitam sustentãdam penuriam, præsertim aquæ dulcis, sponte corruerint, nec postea restauratæ sint. Istic deprehendimus generosi vini sex libras continentem mensuram vno aspro æstimatam, quæ respondet tribus pintis Parisiensibus pro carolino, aut decem æreis minutis denariis. Eius vrbis incolæ, vt commodius habitarẽt, in planicie ædes vrbis portis contiguas exstruxerunt, eo numero vt ingens & maximè amœnus pagus conspiciatur, in quo magna sit vinearum quantitas. Vniuersa insula tumulis abundat, & inæqualis est; inter quos tamen elegantes & bene culti agri interiacent. Reliquæ insulæ Lemno viciniores, vt Thassos, Scyros, Tenedos, & Imbros, altiores habent montes. Arx vrbis Lemni*

duas

duas ſolùm portas obtinet; ea qua in inferiorẽ vrbem deſcenſus eſt, aditu difficilis eſt, quoniam in rupe excisa eſt, pontemq; habet ſublicium; quo ſubleuato, ingens eſt præcipitium ad mare vſque: altera in ſummo colle ſita eſt, ad quam acceſſus adeò præceps eſt, vt equo conſcendere non liceat. Neque vrbs, neque arx ædificiis abundant, neque ita munitæ ſunt vt oppugnationi vehemẽti reſiſtere queãt. Vterque portus malè tutam habet ſtationem, quoniam ventis naues expoſitæ ſunt. Oppidum Lemnos ſine Myrina minus eſt nunc habitata quàm vnquam: inſulæ tamen ſolum multo fertilius, & omnibus rebus magis abundat quàm vnquã antea. Tametſi autem inſula magnum ambitum non habeat, quinque & ſeptuaginta tamen pagos continet, incolis diligentibus & opulentis præditos, qui legumina & pleraque alia colunt, veluti piſa, fabas, cicer, cicerculam, Lentem, Triticum, vina, carnes, caſeos, lanam, linum, & cannabim. Porro ſciendum eſt, omnium Græciæ inſularum quæ in Mediterraneo mari ſitæ ſunt, & in quibus Græco idiomate vtuntur, incolas, cùm ſecuri ſub Turcæ dominio viuant, ad nullã aliam rem animum applicare, quàm vt vitæ neceſſaria comparent, omni conſeruandarum arcium & propugnaculorum abdicata cura, qua Turcæ eos ſubleuare ſolet. Inde fit vt perinde ruri habitare cupiant atque in oppidis. Ad terræ itaq. culturam animũ applicant, neque vulgare idioma aut ſuam religionem ob Turcarum aduentum mutarunt. E quinque & ſeptuaginta pagis quos in Inſula contineri diximus, binos duntaxat aut ternos deprehendimus, in quibus Græcè non loquerentur, aut nõ eſſent Chriſtiani. Verum quidem eſt eos qui propugnacula inhabitant, Turcas eſſe, ſed pagorum incolæ Græci ſunt. Senex quidam inſulæ inquilinus nobis referebat, eam nunquam adeò cultam aut opulentam, frequentioreq; incolas habuiſſe quàm nunc. Quæ ſanè res diuturnæ pacis & quieti, qua illis

illis sine aliqua molestia frui licuit, adscribenda est. Insula equis coloris gilui abūdat, gradarij omnes natura, nulli succussatores; adeò humiles, vt vix inueniatur cuius precium decem ducatis æstimari possit: attamen cōpacto sunt corpore. Insula magis in longitudinem quàm latitudinem patet, ab oriente in occidentem, vt circiter Solis occasum Mons Athos qui plus quam octo leucis inde distat, vmbram in portum extrema insula situm, ad sinistrū vrbis Lemnos latus, eiaculetur, quod secunda Iunij à nobis obseruatum est. Nam adeò celsus est mons Athos (vt licet Sol nondum occasui vicinus esset) eius vmbra sinistrum insulæ cornu pertingeret. Riuum quendam sequuti sumus, è rupe ab oppido dimidia leuca distante labentem, & pagum qui in planicie iuxta portum est, alluentem. Eius fons qui è loco sublimi decurrit, vulgo Cataracti nuncupatur. Nulla vulgarior est in insula planta Chamæleone nigro, florem cæruleum gestante adeò elegantem, vt ipsum cæruleum colorem prouocare possit. Eius color adeò intēsus est, vt ipsum cælū, ipse cyanus flos, & cyaneus color cū illo collata pallescere videantur. Qui à nostris vulgo Carduus benedictus appellatur, spōte in agris nascitur, nec aliqua cultura indiget: Græci nomine corrupto Gaideracantha, hoc est, Asininam spinam nuncupant. Asphodelo montes abundant. Quæ in Creta Ascolymbros dicitur, istic Scombrouolo vocatur, hoc est, Scōbri carduus: est autem lacteo succo prægnans ille carduus, cichorij modo, flauo flore, esui admodum aptus, adeò vt nullam radicem in hortis cultam nouerimus, quæ cum Ascolymbro sapore conferri queat, etiamsi in earum numero siser & pastinacam comprehendas. Quoniam verò Plinius scripsit Lemni insulæ incolas Gracculos ob id colere, quòd locustas insulæ vorarent: occasionem nobis præbuit inquirendi quænam auis esset Gracculus: sed de eo agemus in libro, quo omnium auium icones exhibebimus.

CAP.

CAP. XXVI.

Stirpium in Insula Lemno vulgarium nomina.

CONSPEXIMVS *in aruis Lemni insulæ nascentia Psyllium, Thlaspi, Drabam; Cyperum longum & rotundum verò, atque Conizæ Species secundũ riuos: præterea Lampsanam, nusquam neque in Gallia neque in Italia nascentem, propterea nostris ignotam. Inueniuntur etiam plures Iunci Species, Pulegium, Helxine, Cotyledon, Appium maius & minus, quod Græci Pattimendilla nunc nuncupant, Attractylis, Scorpioides, Scorpiuros, Chrysanthemum quod crudũ edunt, Menthastrum, Maiorana siluestris, Aspalathus, Synonis; Filicis omnia genera, Anagallis, Ruscus, Adianthon, Phyllitis, Hemionitis, Tragopogõ, Tithymalus mas, Cichoriũ, Scordiũ, Anchusa, Dracũculus, Melanthij variæ Species, herba Millegrana nuncupata, ab aliis Herniaria, Lactuca siluestris, Brassica siluestris in scopulis ad littora maris nascens, Brassica marina, Chamæsycæ, Daucus, Anonis, Scabiosa, medica, quã Atriuola vocãt, siue Atriuolo, codẽ quo Tribulũ terrestrẽ nomine, Oxalis, Papauer corniculatũ, Rumex, Nerion, Hipposelinon, Ascyron, Ilex, Pimpinella, Cucumis siluestris, Phalaris, Vrtica romana, Polypodion apocynon, Peplis, Populus alba & nigra. Nascuntur & plurimæ aliæ stirpes, quas nec Latinis, nec Gallicis, nec veteribus Græcis nominibus exprimere quimus, earum tamen vulgaria nomina prodidimus, vt intelligi possit quænam stirpes in ea regione nascuntur, quibus hic caremus. Inter ceteras autem, vna est quam Archipelagi & Cretæ & Nicomediæ incolæ vulgo Sarcophago nominant, at in Lemno Phrocalida appellatur, Phryges, & Lesbij Mauronia nominant, Itali Crabonella. Alia est Andrayda nominata, alia Aguroupes, alia Coutuzu sonnada à Papauere rhœade differẽs, altera Achinopoda vel Cachynopoda, quã incolæ struendo igni colligunt. Congerũt & herbam Agurupes, & Asphodeli siccos caules quia ligni*

ligni penuria laborant, tum etiam quia ipsum solum alendis arboribus nisi domesticis haudquaquã est accommodum. Insulæ pars Orientem spectans siccior est, & producendis arboribus minus apta. At quæ ad Occasum & Meridiem tendit, paulo humidior est, & virentior: loca in quibus arbores nasci queunt, & humida inter colles sita, fructiferas proferunt, vti ficus, iuglandes, amygdalas, & paucas oleas: istic nascuntur & Ziziphi duo genera, quorum alterũ satis in Gallia notũ est, plurimis locis, cùm Lutetiæ tum alibi Oleaster falsò nuncupatum: attamen Ziziphus alba est, Columellæ non ignota. Quæ Lutetiæ vicinisq; oppidis frequens nascitur, nullum fructum fert, aut si quem fert, non matureſcit. Lemni incolæ Nerij flores spargere, & Punicæ mali ramis infigere solent, ista ratione quodãmodo indicare volentes, facultatem haberé punicas conseruandi, ne flores abijciant: imo sibi persuadent id prohibere quo minus mala punica findantur. Omnes incolæ Origani penuria quandã herbam inter vepres & sepes magna quantitate colligere solent, quam singuli domi conseruant, & cum piscibus edunt: eam vulgo Lagochymeni, hoc est, Leporis cubile nominãt, eius sapor & odor Origani heracleotici sunt, foliaq; Millefolio similia, semẽ globosum, vt pilulæ Vrticæ romanæ. Diu illam diligẽterq; perpendimus, & degustauimus: at nihil vnquam comperimus quod legitimũ Ammi magis referret, ista planta. Nõ immeritò igitur ea vtuntur condiẽdis piscibus cùm recentibus tũ salitis: Græci vulgo Paliurũ vocant fruticem quẽ plurimi Rhamni tertiũ genus esse existimarunt, quod certo asserere possumus: nã cùm insulanus quidã dolore se affici diceret ex punctura spinæ Apaliura nuncupatæ, eum in montem comitati sumus vt fruticẽ videremus; at comperimus nihil aliud esse quã Apaliura nominabat quàm Paliurum. Eorum sepes ex Rhamno constant, qui sponte istic nascitur, vetúsque

nomen

nomẽ istic retinet: nã vulgus eũ Rhamnos vocat. Altissimi totius insulæ montes Macedoniã spectant, littore Occidẽti obiecto in sinistro Insulæ cornu: eos Veteres Soace appellarunt. Cum Chamæleonis nigri radices apud pagum quendã Liuadochorio nuncupatũ erui curaremus, plurimi Græci & Turcæ spectatũ venerũt quid eruueremus: eas verò frustulatim secabamus, & filo trauciebamus, vt faciliùs exsiccari possent. Turcæ in eo negocio occupatos nos vidẽtes, similiter eas radices tractare & secare voluerũt: at cũ summus esset æstus, et omnes sudore maderẽt, quicunque eã radicẽ manibus tractauerãt, sudorẽq; abstersẽrãt, aut faciẽ digitis scalpserant, tantã prurigĩnẽ iis locis quos attigerãt postea sensẽrunt, vt aduri viderentur. Chamæleonis enim nigri radix ea virtute pollet, vt cuti applicata ipsam adeò inflãmet, vt nec squillæ, nec vrticæ vllæ cẽtesima parte ita adurãt: at prurigo nõ adeo celeriter sese prodit. Post vnã aut alterã porro horam, singuli variis faciei locis cutẽ adeo inflãmatam habere cœpimus, vt tota sanguinea videretur; atq. quo magis eã confricabamus, tanto maior excitabatur prurigo. Fõti assidebamus sub platano, atq. initio pro ludibrio habebamus & ridebamus: at tandẽ illi plurimũ indignati sunt, & nisi asseuerassemus nunquã expertos tali virtute eã plantã pollere, haud dubiè malè nos multassent. Attamẽ nostra excusatio fuit ab illis faciliùs accepta; cùm eodem incommodo nos affectos conspicerent. Mirum sane, quòd in tantilla radice tam ingentẽ efficaciã nostro malo experti simus. Chamæleon albus non minore copia in ea Corcyræ parte quæ Leschimo appellatur, & in Cretæ planis nascitur, quã niger in Lẽno. Galli & Germani medici frustra laborarũt in depingendo Chamæleone albo & nigro, quem non conspexerunt; & dicere audemus neutrũ in Italia nasci: nã præterquam quòd stirpes per Italiã perquisiuimus, nobis etiã fidẽ facit D. Aloisius herbarius horti Patauini præfectus: nam & ille asserit, vtrumq. cõquisiuisse, sed nõdum istic reperisse.

CAP. XXVII.

Turcarum Satrapas suo more viuentes, videlicet & sine deliciis epulari.

QVI *Soubachi loco erat, vulgo Vaiuoda appellabatur: à quo cùm obtinenda esset licentia, locum vnde terrà sigillata eruitur, adeundi, nos ad prandium inuitauit, & suæ mensæ adhibuit; quæ res occasionem mihi præbuit, vt describerem qua ratione Turcæ suos conuiuas in priuatis & familiaribus epulis excipere soleant. Non dubium est, quin si Legatum quempiam delicatiùs tractare vellent, lautiore ciborum apparatu vti possint, quàm in eo epulo quod nobis dedit: sed narrare duntaxat volumus, quibus ordinariè vescantur. Prima patina fuit crudorum cucumerum absque oleo & aceto, quos cum solo sale edere solent: Deinde adpositæ fuere crudæ cepæ, & cruda Mouronia: tum iusculum tritici elixi, mel & panis. Et quoniam aderant Christiani Græci, vinum bibimus, quod Calohieri vicini attulerãt. Hi sunt Turcarum in suis epulis apparatus: mantilium aut mappæ nullus est vsus. Turcæ nulla difficultate cum Christianis versantur, longéque malunt cum eis commercium habere quàm cum Iudæis. Admodum sunt auari, nec id iniuria: at nobis dolet totes expertos esse. Nam & postridie cùm ex Linado chorio discedere cogitaremus, vt locum vnde terra eruitur conspiceremus, Vaiuoda nobis denunciari iussit, ne eò proficisceremur, & nostros duces inhibuit ne nos deducerent, ni primum binos aureos ducatos persolueremus; quos tandem illi dare oportuit, nec quidpiam vtilitatis in hac re diploma nobis attulit: nam aperte nobis indicauit, quòd si locum videre cuperemus, binos aureos numeraremus, alioqui abiremus. Hanc rem describere voluimus, vt pateret quantæ sint Turcarum expilationes, quando cum illis negocium est cuipiam. Nemini gratificantur, nisi parata pecunia, & reliquis orbis nationibus sunt magis pecuniæ auidi: imo si vnicus duntaxat*

xat denarius expilandus restaret, eum habere volent, nec teruntium remittent. Id verò accidit, quoniam vnico forsitan mense vel anno, plúsue aut minus vni prouinciæ quispiam præerit, quam deserere cogetur, & ad alterius gubernationem ablegabitur, mille leucis à priore distantem: itaque nullam expilandi occasionem vel minimam negligunt.

CAP. XXVIII.

Loci in Lemno, vnde terra sigillanda eruitur, descriptio.

ACCEPTA à Vaiuoda licentia, iter ad montẽ instituimus: ille tamẽ antè aliquot pastillis terræ sigillatæ me donauit, & Ianissarum comitem addidit. Concessimus in proximum pagum nomine Rapanidi, qui à portu Hecatoncephales appellato non procul abest. A Liuado chorio vsq. ad Rapanidi, trium leucarum est distantia: cumq. quinque essemus numero, primum Hephæstiæ rudera videre voluimus: conspicitur adhuc vetus arx, omnino fere disiecta, cuius muros mare alluit, omniq. habitatione caret: attamẽ eius portus elegãtior est Lemni portu, magisq. fidam nauibus stationem omni tempore habet. Hephæstia directè Samothraciæ opposita est, quæ vix quatuor leucis ab insula distat. A destructo castello digressi, secundum eius murum ad sinistram progressi sumus, versus collem iter facientes, qui non longiùs inde abest quàm quaternis sagittarum iactibus. Inter montem & portum, sacellum est Sotira nuncupatum, ad quod Calohieri oppidi Lemnos conueniunt sexta die Augusti, quo terra è sua fodina erui solet. Id sacellum exiguis quibusdam parietibus solummodo constat, tectum lapideum sustinentibus. A sacello digressi, rectaq. ad montem tendentes, in binas semitas incidimus, quarum altera dextra, altera sinistra ad binos fontes ducebant teli iactu inter se circiter dissitos. Quæ ad dextram est scaturigo, æstate non exarescit: atque quæ ad sinistram est, omnino exarescit, & cùm locus sit humidus, soli iunci ibi proueniunt. Nos ad dextram

equitauimus, vbi nullæ arbores creſcunt: at gradus lapidei ſunt additi quo facilius perueniatur in eum locũ vnde terra ſigillanda deſumitur. Aſcenſus eſt ſupra terram ipſam, & ad alterum locum humidum peruenitur, atque ad ſiniſtram paulo ſuprà conſpicitur locus terram ſexto Auguſti die eruendam continens. Et quoniam eruitur vena aperta, nihil aliud conſpicitur quam obliquum foramen, quod terra denuo tegitur. Licet verò peregrinus eò proficiſcatur, atque illi locus demonſtretur, nunquã coniicere queat vbi nam ſit fodinæ os, quoniam terra obturatur, nobisq; impoſſibile fuit vt fodinam aperiri curaremus: quoniam vnico die in anno conſpici ſolet, non ſine magno apparatu & ceremoniis.

CAP. XXIX.

Res viles & paruæ æſtimationis celebriores fieri ceremoniis, & exigui precij rebus auctoritatem conciliari, ſi ſuperſtitione nobilitentur.

PER *hanc terram demonſtrabimus, quantam auctoritatem rebus vilibus & nullius alioqui per ſe momenti, ceremoniæ concilient: nam licet terra de qua agimus magnæ ſit efficaciæ, ſi tamen adeò vulgaris eſſet, vt cuilibet eã ſumere liceret, dos quam illi mortales ob eius efficaciam tribuunt, vileſceret, niſi ceremoniis nobilior reddita eſſet: ita vt non dubitemus, quin, etiam ſi in alia inſulæ parte ſimilis terræ vena illi quæ in Cochino eſt, inuenatur, Græci ea vti nolint, niſi adfuiſſent Calohieri cùm eueretur, & ſolitas ceremonias adhibuiſſent: imò etiamſi ex eodem Cochino erutam haberẽt alio die quàm ſexta Auguſti, ea vti aut aliis vtendã dare nolint, exiſtimãtes aliquam efficaciæ partem, ex rebus hominum ceremonias celebrantium, vel qui illis adſunt, artificio factis, illi accedere: atque eius vim nullius eſſe momenti putarent, niſi eam erui conſpicerent. Aliis exemplis demonſtrabimus, ceremonias & ſuperſtitiones ea quam diximus facultate pollere: & quoniam peregrini eius rationem nondum intelli-*

telligunt: exempli gratia Iridis radicem proponemus; quæ licet abundè in Macedoniæ montibus ſponte naſcatur, & vili in officinis vendatur, eam tamen cuiuis colligere non licere creditum eſt, ſed ſolis caſtimonia præditis, & terra vndè eruenda erat, tribus antè menſibus mulſa circumfuſa, hoc veluti placamento terræ blandiẽtibus. Aliis inſuper multis ſuperſtitionibus rem peragebant, quas Theophraſtus deſcripſit: eamq; ob cauſam à veteribus Conſecratrix nuncupata eſt. Idem dici poteſt de Viſco quercino, quod Druides aurea falce demetebant, aliasq; cerẽmonias adhibebant quas Plinius ſcribit. Ceremonias in terra ſigillata variis modis fuiſſe adhibitas certum eſt, illiq́ue pro ætatum ratione diuerſa ſigna fuiſſe impreſſa. Nam Dioſcoridis ætate, qui diu ante Galenũ vixit, hircinus ſanguis paſtillis formandis admiſceri conſueuerat: vnde colligere licet quaſdam ceremonias fieri ſolitas dum occidebantur hirci Veneri ſacri, quæ, vt narrant fabulæ, efficiebat, vt Lemni mulieres hircum olerent, cuius rei cauſa à viris deſpectæ, vno conſenſu omnes inſulæ mares trucidarũt. Inde factũ vt ſacerdos paſtillos capræ imagine ſignaret, vnde nomine Græco Sphragida agos, hoc eſt, ſigillum capræ appellauere. Quoniam autem caprę & hirci vulgo in inſula immolabantur, eorum ſanguis terræ admiſcebatur. Meminit Ariſtoteles conſpectum eſſe in Lemno hircum, atque ſecundum ab illo generatum, qui lac in vberibus caprarum inſtar habuerint; at pro prodigio illud refert. Galenus huius terræ miſtionis modum cognoſcere cupiens, dum Romæ in Alexandræam Troadã Romanorum coloniam nauigaret, Lemnum appulit, & perquiſiuit an hircinus ſanguis etiamnum terræ admiſceretur, antè quàm ſigillũ imprimeretur: at ille cùm eodem loco eſſet quem memoramus, eam conſuetudinem deſiſſe comperit. Ceterùm quæ in eius locum ſucceſſerat, deſcribit, nempe Sacerdotem conſcenſo colle certum quendam

Imo Plin. lib. 22. cap. 7.

Lib. 16. cap. 44. ſub finẽ.

tritici & hordei numerum in terrã conieciſſe, aliisq; quibuſdam pro religione patria perpetratis, plauſtrum totum terra impleuiſſe, atque in vrbem Hephæſtiada conuehi curaſſe. Hæc ſcripſit Galenus, & pleraque alia, quæ breuitatis cauſa prætermittimus. Mirum ſanè eſt Lemniam ſphragida tam longo æuo in vſu fuiſſe, atque inter homines adeò fama celebratam, etiam ipſius Homeri & Herodoti æuo, qui Dioſcoridem & Galenum multis ſeculis præceſſerunt, adeò celebrem fuiſſe, vt ceremoniis & patrijs ritibus auguſtior redderetur. Hoc porro noſtro ſeculo, vtrique illi ritus, quantum obſeruare & intelligere potuimus, planè obſoleuerunt, aliiq; ſunt inducti, quos quidem non vidimus (nam ſexta Auguſti in inſula non fuimus) ſed veros eſſe aſſerere non verebimur; quandoquidem plus quam ſexcenti viri toto ſuæ vitæ curſu eos ita celebrari viderũt. Totius ergo inſulæ primæ auctoritatis viri cùm Turcæ tum Græci ſacerdotes & Caloieri, in ſacellum nomine Sotiræ conueniunt, celebratáque Liturgia more Græcanico, precibúſque fuſis, omnes ſimul, Turcis comitantibus, collem (qui à ſacello, gemino teli iactu duntaxat abeſt) conſcendũt, atque quinquaginta aut ſexaginta viros ad fodiendum adhibent, donec venam terræ aperuerint: detecta vena, Caloieri ſacculos quoſdam ex animalium pilis confectos terra implent, quos Turcis adſtantibus tradunt, nempe Soubachi, aut Vaiuodæ: cumq; tantum terræ exemerint, quãtum in illum annum ſufficere exiſtimant, iiſdem operis, qui illic adhuc præſto ſunt, venã denuo tegi curant aggeſta terra. Tum Soubachi maximam effoſſæ terræ partem ad Turcarum Imperatorem Conſtantinopolim deuehi curat. Reliquum mercatoribus vendit. Et ne quis niſi eorum opera illam habere queat, ſeueris legibus incolas coërcent; atque fieri etiam non poſſet, vt quiſpiam viginti operas integra nocte adhibens, ad terræ venam vſque pertingere poſſit, quin facilè

facilè animaduertatur. Qui circumsistũt cùm effoditur, singuli in suum vsum, eius pauxillum sumere possunt: at eam diuendere non auderent. Turcæ minus scrupulosi sunt quàm Græci, & pleræque aliæ nationes: nam vt Græci Christiani suas imprecationes supra terram sigillatam ipsis præsentibus faciant, permittunt, eosq; etiam adiuuant. Porro si verum est quod seniores insulæ nobis narrarunt, ritus ille deligendi certam diem in anno, primùm inductus fuit cùm Veneti imperium haberent in Lemnum, & reliquas Ægeimaris insulas. Ipse collis non adeò sterilis est, quin triticũ in eo satũ optimè proueniat. Nullus est incolarum qui de Vulcano quidpiam recitare non norit. Atque quemadmodum in insula Corsula, pueri historiam Delphini, recensere sciũt, tanquam si recens accidisset: sic & in Lemno de Vulcano fabulantur, sed diuersè: nam alij referunt ipsum equi lapsu crus confregisse, atque eodẽ loco, terræ vi & efficacia sanitati restitutũ fuisse: alij, coxendicem fregisse solum, istícque hærere coactũ donec curaretur; quæ opinio antiquitatis aliquam scintillam retinet. Nulli sunt homines designati ad terram conseruandam, neque vllà murorum vestigia conspiciũtur, quibus illum locum sepierint ad faciliorem tutelam, vt olim creditum est.

CAP. XXX.

Piscium ad littus insulæ frequentium nomina.

CVM montem circumiissemus, in pagum Rapanidi, sexto globi iactu à Cochino monte solùm distantem: montem appellamus, non quòd præaltus sit, sed tumulus duntaxat, collis instar, ascensu non adeò difficilis, neque ex media parte tam magnus, quam Mons martyrum, vulgo Mont-martre, Lutetiæ vicinus, & per quem boues currum ad summum vsque verticem trahere queant. In Rapanidi existentibus, plurimi pisces nobis delati fuere, capti in proximo portu, vix ter-

tio globi iactu inde distante. Ex his nonnulli hamo capiuntur, vt Veterum Cana, quem ipsi Cano, Massilienses Serran, & Genuenses Bolasso appellant; alius item vulgo illis Ropho dictus, veterum Orphus. Sagena capti pisces erant Blenni, Glini, Atherinæ, Sargi, Gobij, Merulæ, Turdi; & veterũ Græcorum Iulides, vulgo verò Sgourdelles, ij nempe quos Venetι ob elegantiam Donzelle vocant, Genuenses Zigurelle. Nunquam impetrare potuimus vt Græci eius pagi incolæ, nobis terram ostenderent, ob Turcarum metum: tandem vnicus repertus qui eius sacculum clam traderet, atque tota nocte iter faciens in oppidum vsque Lemnos deferret: qui si proditus fuisset, Soubachi siue Insulæ Præfectus magna facultatum parte eum multasset. Varia terræ genera in diuersis insulæ pagis inuenimus: at nemo vnquam sigillatam ostendit, præterquã in nõnullis ædibus Myrinæ, nunc Lemnos nuncupatæ. Nobis etiam certo affirmatum est, iam ab omni æuo terram eodem loco eximi sõlitam, nec fodinæ locum immutatum. Nulli labori & diligentiæ pepercimus, vt Labyrinthi vestigia in insula Lemno inueniremus: atque arbitramur, si adhuc aliqua supereſſent, ea nos perinde atque reliqua alia reperturos fuisse. Insula Lemnos magna arborum penuria laborat: nam nullæ ferè abundãter crescunt, nisi apud pagum Rapanidi, vbi Æsculi arborum siluula est, quæ ad struendum ignem non cæduntur, sed eas conseruant, pharmaci cuiusdam, à Græcis & Italis Velonie nuncupati, ex illis exstillantis gratia: calicibus verò & glandibus eius arboris (quæ perpetua fronde viret) ad curanda coria vtuntur. Velonie ex Insula non transferũt, verùm in suum vsum & commodum seruant. E loco vnde terra in colle effoditur, vsque ad oppidum Lemnos, mille & ducentorũ duntaxat passuum est distantia. Peragratis omnibus insulæ locis, in pagum Lynado chorio redimus, & nostrum Ianisarum

nisarum dimisimus. Subsequentibus diebus, errabundi per insulam vagati sumus, nauim vectoriam expectantes, quendamque virum è Chio oriundum reperimus in Lemno medicinam excercentem, at ipsius artis adprimè rudem, qui nihilominus breuiore quàm biennij spacio plus quàm trecẽtos ducatos lucratus erat: arbitramur etenim nullos vnquam ad medicamenta sumenda procliuiores fuisse eius insulæ incolis. Illi mercedẽ nõ persoluũt præsente pecunia, sed ex iis quæ possident largiuntur; alij hordeũ, alij caseos, tertij allia & cepas, & limi semẽ: quæ res omnes tam nobis erant vtiles, quàm præsens pecunia, quandoquidem eas in nostrum vsum comparare oportuisset.

CAP. XXXI.

De gummi Condrillæ, aliisque singulatibus rebus, & serpentum qui in insula Lemno reperiuntur nominibus.

INTEREA *dum per Insulam iter facio, negocium dedi vt omnia serpentum qui in insula reperiuntur, genera viua caperent, quorum diligentem sectionem & anatomiam feci. Et quoniam vernacula istic nomina obtinent, ea subsequente ordine descripsimus, Cenchriti, Laphiati, Ochendra, Sagittari, Tephliti, vel Tephlini, Nerophidia: quæ omnes appellationes licet vulgares sint, antiquas tamẽ nõnihil respiunt. Nã Cenchriti, Veterum Cenchris est, cuius iconem ad viuum expressam, hic subiicere libuit.*



Laphiathi, illorum est Elaphis. Ochendra nihil aliud est quàm Echis aut Echidna, quæ tamen non est legitima

vipera. Amphisbæna vetustum nomen retinet. Sagittari veterum est Iaculus. Andri tamẽ & Pari incolæ in huius serpentis appellatione non conueniunt: nam Iaculus maculis nigris oculi picturam affabrè referentibus, in dorso insignitus est, vti Torpedinis piscis dorsum, quam Plinius Oculatam nuncupauit, ad Melanuri differentiam. Tephliti, vel Tephlini conuenit nomine cum veterum Typhlope. At omnium icones & historias libro de Serpentum natura exhibemus, Phalangia Lemni, vnius solùm sunt coloris, eam ob causam à Cretensibus & Zacinthiis discrepant. Conspecta tanta Chamæleonis nigri in Lemno abundantia, existimauimus albi Chamæleonis gummi facile nos inuenire posse, eaque, de causa incolas percontati sumus an Collam non haberent: Chamæleonis enim gummi, ipsiusque Chamæleonis albi planta, Græcis Colla vocatur. Capsarum quidam opifex respondit se proferre posse, & quod Colla vocabat, nobis attulit: verùm Chamæleonis albi gummi id non erat, sed Chondrillæ, qua in testudinibus & tessellatis operibus glutinandis vti solent; idq. ad radicem ipsius plantæ generatur opera vermiculi cuiusdam, ipsam radicem prærodentis, deinde tuberculo quodam fabæ magnitudine, è lacteo succo ex radice profluente conflato, sese includentis. Id Lemni incolis notum est, &, vt dixi, proprio nomine illis vulgo Colla dictũ. Cera genus illud quod veteres Propolim appellarũt, flauius est in Lemno, quàm vulgaris propolis, quæ plerumq. alibi nigricat. Stirpes in insulæ parte ad Orientem spectante, proximè collem vnde terra eruitur, nascentes, sunt Thapsia, & Centaurium minus. Seduli sunt in Xylo serendo atq. Sesamo. Nullus illorum ignorat Andraida herbæ decoctum epotum, aduersus stomachi & pectoris dolores vtile esse. Rustici diligenter obseruant aspera & montana loca, in quibus caprifici nascuntur: horum etenim ramos, die, illum qui D. Ioanni baptistæ sacer est præcedente, demetere, & domesticis ficubus impone-

imponere solent, illorum fructus ab omni noxa conseruatos iri hac ratione sibi persuadentes. Aquarum scaturigines diligenter etiam ab illis excoluntur; quoniam hortos alunt, in quibus inter cetera, allia & cepas libenter serunt, atque cucumeres, quibus non memini edere suauiores. Illis verò cum solo pane, nullo addito oleo aut aceto, vesci solent. Quòd si quis familiaris hortum ingrediatur, tum rusticus selectiorem aliquem cucumerem decerpet, eig; manu sinistra apprehenso, & recto detento corticem secundum longitudinem vsque ad pediculum adimet, quem supra manum stellæ instar propendere sinet; deinde cucumere in quatuor partes fisso, cum honoris gratia adstãtibus partietur, qui sine alio condimẽto illũ edunt. Hæc ideo adscripsi, quoniam nostris noua erunt: at apud illos summæ ciuilitatis æstimatur; quemadmodum cùm apud nos pyrum aliquod optimi succi alicui præbetur.

CAP. XXXII.

De Ostreis quæ vulgo in Lemni insulæ littoribus capiuntur.

IN Lemno nullum est flumen: eam ob causam incolæ nullum fluuiatilis piscis nomen nobis indicare potuerunt: sed quoniam insignes habent in littore maris piscationes, marinis piscibus abundant. Et quandoquidem Ostreorũ, quæ Gaideropoda nominant, piscationẽ vidimus, eius rationẽ hîc adducere libuit. Piscator oblongã perticã, in extremo cuspide ferrea plana munitam, manu tenet qua magnis ictibus Ostrea scopulis inhærẽtia verberet, quibus in mare deiectis, manu ferrea (qua pertica altera extremitate munita est) illa subleuat & eximit: eadẽ ferrea manu Erinaceos marinos piscari etiã solet. Differũt illa Ostrea plurimum à nostris: nam eorum testæ duobus tuberculis tam firma articulatione connexæ sunt, vt difficilimè aperiri queant: ea quoniam magnam similitudinem habent cùm asini vngula, Græci vernacula lingua Gaideropoda, hoc est asini pedem, appellant. Nullum paruum Cancrum alunt, quemadmodum nostratia. Myrina discre-

Rondeletij Spondylos est sine πάχυος.

Contrà Rondeletium lib. 1. de Testaceis c. 2. 4.

discedẽtes, riuulũ quendã sequuti sumus nomine Salinari, atque iter ad molam quandam à vento versatilem, in tumulo qui ad dextram est, sitam, instituentes versus Candiæ portum, sterilem locum inuenimus, in quo nihil nisi Chamæleon niger, & quibusdam etiam locis albus: atque terram rubram conspicientes, fodere cœpimus, & venam quandam terræ aperuimus, cuius aliquam quantitatem desumpsimus, & cum Hephæstiana diligenter contulimus, ipsamq; omnibus notis illi quam rusticus è Rapanidi attulerat, respondentem deprehendimus. Nam quemadmodum diximus, omnis terra sigillata vnius coloris non est: sed interdum sit vt vena inueniatur candidior, nonnunquam magis rubra, aliquando vtriusque coloris particeps. Coriarij in Lemno ad glutinanda coria, glutinis loco, pingui terra vtuntur: Attamẽ propterea haud dicimus terram Cochini montis pinguem esse: sed peculiarem habet macilentiam, vti ferè marga.

CAP. XXXIII.

De calidarum aquarum scaturigine quæ in Lemno est, & de Græcorum monachorum monasteriis.

NVLLA *est in Archipelago siue Ægæo mari insula, quæ Calohierorum Christianorum monasterium non habeat, quemadmodum etiam & Lemnos: quod monasteriũ à pago Lynado chorio non procul abest, & Agio Paulitico appellatur. Calidarum aquarum scaturigo est in insula, quam Græci vulgo Thermes nominant: adeò tamen calidæ non sunt, vt pleræq; aliæ; nam ad ipsam etiam scaturiginem sese in eas immergere licet: quod in reliquis, quas per Phrygiam, Ciliciam, Arabiam, Macedoniam, Italiam, Germaniam & Galliam vidimus, Thermis obseruare non potuimus, quandoquidem eæ aquæ primùm refrigerari debeant. Nulla propterea istic ingens est structura, sed sólùm exiguũ tuguriolũ, in quo quilibet vestes exuere potest, & inde in fornicem ingredi, vbi sola ingens est lapidea pila, quæ olim sepulchri vsum præbuit.*

Exi-

Exiguam scaturi ginem habet hæc aqua; eam ob causam vnicus solummodo, aut bini simul lauare possunt.

CAP. XXXIIII.

E Lemno in Thasson insulam nauigatio.

INDE *in Thasum Lemno admodum vicinam cum duobus Calohieris traiecere volui. Ante aurorã è portu soluentes, illucescente iam die tantum progressi eramus, vt medio quasi itinere inter Lemnum & Thasum essemus: verùm aduersus ventus adeò vehemens exortus est, vt etiam inuitos in Scyrum insulam quinquaginta miliaribus infra Lemnum sitam appellere cogeret. Tanta tempestate quatuor horarum spatio nostra nauis deferebatur, vt ante noctem in Scyrum appelleremus: in ea altissimi sunt montes. Subsequente die vela vento commisimus, vt Thasum peruenirem us, satisq; secundo vento in nauigatione vsi sumus. Istic tribus diebus hæsimus, hac illac errabundi, deinde nauem conscendere oportuit quæ in Montem sanctum, alionomine Athos nũcupatum, cursum tenebat. Non mirum est si Romani olim Thasium marmor in precio habuerunt: nam ipsi montes & scopuli illius insulæ ex elegantissimo candidissimoq; marmore constant. Oppidi portus fidem præbet olim id admodum excultum fuisse. Insulæ montes abietibus & piceis abundant, frequenteq; in iis nascuntur Thapsia & ferula. Nõnullis adhuc insulæ locis magni Scoriæ, hoc est, metallicorum recrementorum cumuli reperiuntur, ex quibus manifestum indicium est, olim istic opulentas fuisse fodinas, nobisque conuenire videtur cum his quæ Herodotus scripta reliquit, Thasum auri argentique fodinis illustrem fuisse vrbem. Nobis demonstrata fuerunt vetera numismata argentea, quorum inscriptio Græca erat. Thasiorum Rex. Thucydides Græcus Auctor Thasi fodinis Præfectum se fuisse scribit: Erant verò sub Alexandro Macedone Thasy: nam licet insula sit Thra-*

Thraciæ vicina, attamen Macedoniæ admodum propinqua est, non procul à Bucephalæ portu, atque Thasi portus solùm duobus miliaribus & semisse distat à Macedoniæ continēti. Thasi fodinæ olim singulis annis octoginta talenta Philippo & Alexandro pendebant: at nunc planè desertæ sunt. E Thaso soluentes vt in Montem Athon traiiceremus, quatuor horarum spacio ad monasterium Liatopedi appulimus, quod inter reliqua in totius montis Athou Isthmo consistentia monasteria facilè primarium est.

CAP. XXXV.

Montis Athou descriptio, & de rebus in eo memorabilibus.

QVEM *nunc describemus montem Græcè Athos, Italicè Monte sancto appellatur. Nihil scribere meminimus, quod, hoc monte, magis sigillatim describi mereatur: nam veteres Auctores illius adeò frequenter meminerunt, vt eorum scripta meritò celebrem illum reddiderint. Et sanè mira est eius forma. Quod olim Herodotus de Persarum rege & hoc monte scripsit, nimirū Xerxem eū in ipsius isthmo quà angustiis quibusdam continenti coniūgitur, fodisse, vt classem istac traiiceret; planè à veritate alienum nobis videtur: attamen certò statuere non audemus. At cùm istac transiremus, de industria locum diligenter obseruauimus: nam ex Hierisso oppido digressi, vt an incisionum & fossarum aliquot vestigia extarent conspiceremus, nulla obseruauimus: vel si olim fuerunt, nunc planè obruta & adæquata sunt.*

Tametsi in diuersis totius orbis partibus plurimæ sint nationes Christianam religionem variis ritibus colentes, omnes tamen Christum agnoscentes; nulla tamen est, quæ summum aliquod caput in sua Ecclesia non constituerit. Atque asserimus Græcanicæ Ecclesiæ ritus latius patere quàm Latinæ: Græci autem cùm à Romana ecclesia secessionem fecerint, alios ritus sibi delegerūt, à Latinis admodum differentes. Quemadmodum autem Latini vnicum

Eccle-

Ecclesiæ caput agnoscunt quod Romæ suã stationẽ habet, eique omnes nationes eius doctrinam sequentes obediunt: similiter Orientalium Ecclesiarum capita, Patriarchæ nuncupantur, quorum sedes variis locis designatæ sunt: nam plurimæ sunt nationes, etiã Græco sermone nõ vtentes, quæ Patriarchis subiectæ sunt. Poëtæ & Historici hunc montem mirum in modum illustrarunt: fuit etiam ab omni antiquitate Græcis religiosis dedicatus: & arbitramus Ethnicorum etiam tempore à sacrificis idola colentibus habitatum fuisse. Vnica est per vniuersam Græciam Religiosorum differentia, quorum masculini sexus Caloieri, feminini verò Calogriæ appellantur; quæ appellatio nostro idiomate reddita, tantum valet, quantum apud vulgus bellus pater: Attamen Caloieros probum senem, & Calogria bonam vetulam propriè significat. His mons Athos olim dedicatus fuit, & priuilegium datum, quod etiamnum hodie retinent, nempe, neque Græcum, neque Turcã hunc montem habitare posse, nisi Caloierus sit. Caloieri nunquam matrimonium contrahunt, licet Græci sacerdotes coniugati sint. Per omnem vitam carnium esu abstinent, atque etiam frequentissimè piscium sanguine præditorum, præsertim quadragesimæ ipsorum tempore. Duriter admodum viuunt, & vix vllũ ferculum illis est vsitatius oliuis conditis, non iis similibus quas nos condire solemus, sed nigris & maturis, quæ sine muria, instar prunorũ exsiccatorũ seruantur. Ceterũ quoniã sex ferè Caloierorũ millia variis eius montis locis habitãt, in quo propemodũ quatuor & viginti ampla vetustaq; monasteria validis altisq; muris septa, hinc & inde sparsa cùm maris litore tũ continente, quæ ingressi sumus; tũ etiã quod qui ea adeũt gratis alãtur: præter institutũ facturus nõ videor, si ipsa eo ordine quo sita sunt recensẽa, propriisq; nominibus appellẽ: nãq. certus sum, Græcas ceremonias istic diligẽter obseruari, eãque ob causam

istos

istos Calohieros sanctimoniæ maius nomen adquisiuisse, reliquis qui in monte Atho educati non fuerunt. Prouinciæ autem quæ Græcorum religionem sequũtur, sunt Circassi, Walachi, Bulgari, Moscouitæ, Russi, potior Poloniæ pars, & Mingreliæ, Bosinæ, Albaniæ, & Illyrici siue Sclauoniæ, cum nonnullis Tartaris, deinde Seruiani & Croatæ. Breuiter omnes prouinciæ circa pontum Euxinum sitæ, cùm circa ipsius littora, tùm continẽte, Græcorum religionem sequutæ sunt. Hi omnes montis Athoi Calohieros maiore in honore habent atque æstimatione, plusq; illis tribuunt quàm aliis qui in eo monte non fuerunt. Imo ipsi Turcæ qui in omnes supra enumeratas prouincias imperium obtinent, magnas illis eleëmosynas conferunt ob vitæ sanctimoniam & strictam ceremoniarum obseruantiam. Monachi montes Sinai & Libani incolentes, Diui Antonij solitudines, oppidum Tauri, exteriorāque loca ad Erythræi maris littora sita, Antiochiã item, Alexandriam, Hierosolyma, Prusam, Damascum, atq. pleraque alia monasteria, passim per Asiam & Turcarum ditionem sparsa, etiam apud Christianos maiore in precio habentur, cùm in monte Atho habitarunt. Omnia monasteria & monachorum genera per Asiam sparsa, quæ recensuimus, sub Turcarum imperio quæ sunt, sua sacra idiomate Græco peragunt. Atque licet Græcanicæ ecclesiæ caput, Patriarcha nuncupatus, Constantinopoli sedem habeat, plerique tamen alij idẽ nomen, similemq; potestatem obtinent, in iis prouinciis quibus præsunt. Nam Patriarcha Alexandrinus absolutam habet potestatem in eos qui Græcos ritus obseruantes in Aegypto & Arabia viuunt, magnificasq; in Memphi siue Cayro habet ædes (quas vidimus) ædibus Patriarchæ Constantinopolitani (quæ peculiari nomine Patriarchatus nuncupantur) non multum inferiores. Alius Patriarcha Damasci residet, qui absolutè imperat omnibus monasteriis & homini-

hominibus Græcam religionem amplectentibus, Syriamq; incolētibus: isq; cogitur singulis annis adesse decima quinta die Augusti in Monasterio supra montem Libanum vt istic liturgiam celebret. Est præterea alius Antiochiæ qui Monasteriis & aliis Christianis Græcis præest, qui Barut, Tripolin, Haleb, aliaq; plurima Asiæ loca inhabitant. Turcarū Imperator hos Patriarchas sua religione vti permittit, modo tributum persoluant. Dicitur verò Constātinopolitanus pro monasteriis in monte Atho sitis, aliisq; per Europā sparsis, duodecies mille ducatos aureos pēdere. Porrò cum istorū Patriarcharū quispiā è viuis excessit, Episcopi & Metropolitani, qui nostrorū Cardinalium instar sunt, conueniunt vt alium eligant: perpendendum autem est, neminem Patriarchā creari posse, nisi primùm Metropolitanus fuerit, quod cum Pontificia constitutione conuenit. Ceterū ex sex Religiosorum quos Caloieros appellauimus milibus in monte Atho degentium, ne quem ociosam vitam traducere existimetis: nam summo diluculo è suis monasteriis egressi, singuli sua instrumenta gestant; alij bipalium, alij ligonem, alij falcem, peramq; habentes ex humero dependentem, in qua panis biscoctus & cepæ. Singuli pro sui monasterij œconomia sustinenda laborāt; alij vineas fodientes, alij arbores cædentes, alij naues fabricantes. Neque aptiorem eorum comparationem facere possemus, quàm cum Principis cuiuspiam familia œconomicè & bene cōstituta: alij etenim sartores sunt, alij fabri murarij, alij lignarij, alij alia opificia exercentes in communē omnium vtilitatem, ad lanæ vsq; pensa etiam ducenda, è quibus sibi interulas texūt, & vestes comparant: vili profectò vestitu amiciuntur, eorum ferè modo quos Heremitas vocamus, & furua veste vtentes, quos Galli Enfumez & Bons hōmes nominant. Ipsos nuncupassemus monachos vulgari nostro loquendi more, qui hac dictione abutimur: nā monachi vocabulum, vni-

cum designat, qualis nobis Heremita, siue in monte Atho Phileremos dictus.

Ad huius montis formam rectè exprimendam, proponenda est nobis hominis resupini in mari ab occidente in Meridiem extensi Idea. Trium autem dierum itinere eius longitudo patet. Quemadmodum verò si quispiam resupinus natans pedibus littus contingeret, id spacium quod pedes occuparent, angustius efficeret, quàm quod reliquæ corporis partes, atque inde paulatim in latitudinẽ sese explicaret ad scapulas vsque, & inde denuo, vbi collum est, in angustias coiret, deinde caput rotundum magisq; eminens reliquo corpore appareret: sic etiam summum iugum in extremo monte Atho attollitur, quod à nauigãtibus plus quàm triginta miliariũ interuallo conspici potest; estq; illa eminentia totius montis caput. Atq. procul è Macedoniæ montibus ipsum conspicientibus, supini hominis formã referre videtur: nam vt mentum atq. nasus supini hominis magis eminent, deinde paulo pòst interuallum conspicitur inter mentum & pectus, expressum eo cauitatis spacio quod à mento ad guttur descendit: eadem planè ratione conspicitur mons dilatari, humeroriũ altitudinẽ ostendẽs, deinde in arctũ quodammodo sese cogẽs: sic vt corporis medietas in ipso vmbilico constituatur: postea denuo intumescit, vt in corpore coxẽdices, atque progressionem faciens vsque ad genuum locum, quæ attolluntur non secus ac si resupinus crura nonnihil contrahat. A genubus deinde crura extẽsa in arctũ ita desinunt, vbi videlicet continenti iunctus est mons, vt Cherronesus illa montis Athou, hominum industria expresse facta videatur, vt humani corporis resupini formam exprimeret. Eam ob causam facilè accedimus ad id quod de Dinocrate architecto dictum est, qui Alexandro persuadere conatus est vt supini hominis formam ædificaret, vna manu oppidum sustinentem, & altera cratere-

rem,

rem, ex quo profluëret aqua omnibus aduenis potum ſubminiſtratura.

CAP. XXXVI.

Quinque vel ſex nunc eſſe Caloierorum Græcorum in Atho monte degentium millia, hinc inde per Monaſteria ſparſa.

VNIVERSVS hic mons cum peditibus tum equitibus aditu perdifficilis eſt: in quo recenſeri poſſent quinque aut ſex Caloierorum millia in monaſteriis habitantia, quæ vigeſimum tertium aut quartum numerum explent. Nullum verò eſt cœnobium quod plus quàm ducentos Caloieros pro portione nõ habeat: etenim in quibuſdam trecenti aluntur, in nonnullis ducenti, in aliis centum & quinquaginta, in aliis centum, atque in aliis ſimiliter plures vel pauciores.

CAP. XXXVII.

Omnia monaſteria in monte Atho firma & munita eſſe aduerſus Pyratarum incurſiones: atque Pyratas illis non admodum iniquos aut moleſtos eſſe.

EX viginti tribus vel viginti quatuor monaſteriis in hoc monte exſtructis, nullum eſt, quod munitum non ſit, & muris probè cinctum; cùm vt hoſtiũ vi, ſi eos inuaderent, tum piratarum excurſionibus, ſi opus foret, reſiſtere queant. Nam cùm maris littora incolant, moleſti illis eſſe poſſent piratæ, niſi munita haberent monaſteria. Attamen illi ipſi piratæ, licet etiam ſint Turcæ, ab omni humanitate alieni, vix moleſti eſſe ſolent, neque illos offendere magnopere conantur. Iuſticia etiam inter latrones locum obtinet: atq. etiam ratio inter ſceleratos imperium habet. Nam licet omnium mortalium ſint nequiſſimi, & religionis maximi hoſtes: conſcientia tamen illorum animos vrgente, montis Athou Caloieros minimè lædunt: imo qui neque patri matrive, neque fratri aut ſorori, aut cuiuis ſanguine iuncto, neque amico parcerent, quin eos venundarent, naturæ quodammodo inſtinctu Caloieros obſeruant. Illi verò piratæ hominibus inſidiantur non modò ob eorum facultates, ſed etiam vt ipſos in ſeruitutem

redigant: nam de singulis mancipiis quinquagenos ducatos aureos accipere possunt.

CAP. XXXVIII.

Montem Athon in eadem æstimatione apud Græcos esse, qua Roma apud Latinos.

IAM *ab eo tempore quo Græci scriptores celebres esse cœperunt, fuit hic mons magnoperè commendatus: quod etiam ipsum nomen quod obtinet, indicat. Nunc apud Græcos in ea est sanctimoniæ æstimatione, qua Roma apud Latinos. Græcis vernaculo sermone Agion oros appellatur. Quibus per eum montem iter facere contingit, cuiuscumq. negotij causa, victus per monasteria gratis subministratur: verùm à Caloieris nihil aliud sperandum est, quàm quo ipsimet vesci solent, videlicet oliuæ conditæ, crudæ cepæ, fabæ aqua maceratæ deinde salitæ, panis bis coctus, rarissimè recens panis, & nonnumquam salsi vel recentes pisces; quoniam maris littora accolunt. Omnia porrò monasteria vsque adeò vicina non sunt: duo verò duntaxat inter ea sunt primaria, vnum Vatopedi nuncupatum, alterum Agias Laura. Magna verò maris opportunitate vtuntur, cùm propter nauigationem qua illis omnia necessaria aliunde aduehuntur, tum propter piscationem quæ illis perutilis est. Temporis etenim fallẽdi gratia piscationi indulgere solent, quæ illis magnam vtilitatem adfert: atque vt illã comodiùs excercere queant, nauiculas ex crassis Platani truncis conficiũt sine magna difficultate, atq. sine impẽdio, ex singulis videlicet truncis excauatis, singulas fabricantes, illis scaphis fere similes quibus Ararim aut Sequanã traiicere solent. Aliàs binos truncos excauatos ligneis clauis in nauicularum formam coniungunt: quibus (dum venti silent & malacia est) tam altè in mare progrediuntur, quantũ ad piscationẽ requiritur: illorũ verò retia, suberis defectu, cucurbitis, vti in Propontide pini corticibus subleuari solent. Monasterium Ageas Laura nuncupatũ, inter reliqua totius montis monaste-*

nasteria facilè principatum obtinet, atque ad radices celsissimi iugi (quod verus Mons Athos est) situ est, qua parte Lemnon spectat: in eo sunt circiter trecẽti Caloieri. Monasteria igitur per montem sparsa, ea parte qua Macedoniæ continenti coniunctus est, recensebo.

CAP. XXXIX.

Monasteriorum nomina, serie quadam enumerata, sumto ab iis initio quæ continenti sunt proxima.

MACEDONIA *digressis, & magnum quendã pagum Hierizos nuncupatũ paulo supra isthmũ situ ingressis: atque inde secundum maris littus progredientibus, in isthmum nomine Aladiesna peruenitur, deinde vlterius in Prulacas: postea in collem Megaliuigla appellatum ascensus est. Eo loco interdiu & noctu fiunt excubiæ, præsertim quando piratarũ excursiones metuuntur. Nõ diu est, quòd Hierizos ingens duntaxat pagus esset: at abhinc octẽnium Turcarum Imperator muro includi & muniri iussit, ob piratarum metum. E Megaliuigla progressis, primus fons in ipsa via occurrit, Græcis Protonero nuncupatus, quo prætergresso, & isthmo superato, in mõtis Athos ditionem fit ingressus, atque monasterium nomine Sguraf occurrit. Littus deinde versus Orientem legentibus, aliud monasterium inuenitur Chelandari appellatum, postea monasterium Simeon elegans & peramœnum, nequaquam tamen magnitudine, amœnitate aut opulentia cum sequente Vatopedi nuncupato comparandum. Quinto ad Pantocratorou, sexto ad Yuero supra tumulum in littore situm peruenitur; septimo ad Philotheou, octauo ad monasterium Caracoul omnium fere postremum: nam quod in extremo monte ad radices altissimi iugi Athos situm est, Agias Laura nominatur. Ex Agias Laura monasterio digressis, atque ad aliud montis latus obuersis, alia similiter monasteria cùm in littore, tũ in continenti occurrunt, quemadmodum in eo quod descripsimus latere. Montis igitur ambitum sequentibus,*

& ex Laura digressis primũ occurrit monasteriũ Agiou Paulou, quod insulæ Scyro obiectum est, deinde monasterium Dionisio, tertio Glygoriou, quarto Russio, Russiæ peculiare. Postea inueniuntur monasteria Xenopho, Archangelos, Diocherio, & Castamoniti: quæ monasteria in montis ambitu secundum mare sita sunt. Quæ longiùs à littore absunt, vel in planicie aut vallibus, aut siluis, sunt Castamoniti, Simon petra, Ischares protato, Cothleomus, Philotheou. Nemo porro mirari debet, tot monasteria in eo monte exstructa: nam trium dierum itinere in longitudinem, dimidij verò diei in latitudinem patet. Habent hæc monasteria in suis templis sacras reliquias, ad quas frequens fit cõcursus. Tẽpla egregiè ornata & exstructa, in quibus Caloieri singulis diebus Liturgias canunt, omnia Græco sermone proferentes. Olim in eo monte boni libri Græci manuscripti inueniebãtur: nã eius mõtis Græci tũ tẽporis multo doctiores erãt quàm nũc sunt. At iã omnes indocti sunt, vixq; in singulis totis Mõtis Athou monasteriis vnicum eruditũ Caloierum reperias. Si quis Theologicos libros manuscriptos cuperet, fortassis inueniantur: at nulli poëtici, nulli historici, nulli philosophici.

CAP. XL.

Cur plerique in Græcia perierint, & de monasteriorum in monte Atho fundatione.

HVNC *Græcorum librorum interitũ, Græciæ populorum, qui à suis maioribus prorsus degenerarunt, negligentiæ & ignorantiæ adscribendum esse necesse est. Nam non sõlùm nostra memoria, sed etiam iam multo tempore, neminem per vniuersam Græciam aliqua eruditione præditum reperias. Concedimus quidem aliquos Græci & Latini sermonis peritos: at de doctrina & eruditione studio adquisita intelligimus, quemadmodum nunc apud Latinos plerique inueniũtur. Inter sex Caloierorum millia, qui nunc in eo monte versantur, vix bi-*

nos

nos aut ternos in singulis monasteriis inuenias qui legere aut scribere norint. Nam Græcanicæ ecclesiæ præfecti, & Patriarchæ, Philosophiæ hostes, omnes sacerdotes aut religioni initiatos, qui alios quàm Theologicos libros legerent aut describerent, anathematis fulmine petierunt: atque aliis persuaserunt nemini Christiano operam in Poëtica aut Philosophia nauare licere. Ecclesiastici autem fulmine excommunicationis icti, absolui non poterant, nisi arctissimis quibusdam ieiuniis, & certa pecuniæ summa, aliisq; corporeis quibusdã punitionibus præcedentibus & pœnitentiæ loco influctis. Omnia monasteria supra enumerata olim à diuersis nationibus cùm peregrinis tũ Græcis fuere instituta, suosq; reditus in variis orbis regionibus nuncupatos habuerunt. Multa adhuc exstant quæ cẽsum annuũ ex Russi ipsq, Walachia, Trapezũte, Italiaq; & Roma missum accipiunt. Caloieri enim Vatopedi, suum monasterium ex Romano quodam templo censum accipere solere referebant, vnde nihil amplius ad eos perferretur. Atque licet Russi, Walachi, Bossenæ, Mengreliæ & Circassiæ incolæ atque Moscouitæ sermone, eoq; à Græco dissimili, inter se differrent: nonnullum tamẽ adhuc censum ab illis recipere: eum autem qui à Latinis prouenire solebat, intermissum esse Omnia quæ enumerauimus, ritu Græco, minimè autem Latino sese habẽt. Per Latinum ritum intelligimus quicunque Romani Pontificis mandata obseruant. Ceterùm quoniam inter Caloieros nulla est vestiũ varietas, omnes inter se ferè sese norunt, quorum viuendi ratio sanè mira est. Neque canabeas neque lineas gestant interulas, sed laneas, quas ipsimet nere solent: eorum amictus colore & forma conuenit, vt diximus, cum eorum vestitu quos Galli infumatos nominant. Nec quispiam est cuiuscunque etiam monasterij, qui artem aliquam mechanicã non exerceat, nec operas externas vnquã conducũt ad sua negotia peragenda:

sed si quid in communem monasterij vsum peragendũ est, omnes simul id peragent, aut peculiaribus quibusdam id negotium committetur, veluti, vitium putatio, agrorum cultura, lignorum inuectio, hortorum cultura, piscatio. Alij etenim sunt sutores, qui calceos aliis consuunt, & laceros concinnãt: alij sartores, qui talares vestes consuunt, & parant: alij fabri lignarij ad lembos, naues, atque alia opera lignaria fabricanda: alij monitores: alij murarij & cementarij: alij similiter alia opificia exercent. Vera est inquam œconomia in monasterij vtilitatẽ instituta, plurimum differens cùm moribus tum victus ratione à Latinorum monasteriis. Religio Græca sic inter eos instituta est, vt si quispiam pauper celebs aut alioqui adolescens sese mũdo abdicare vult, & Caloierus fieri, & aliquã facultatulam obtineat, ea in communẽ totius monasterij vsum cedet. Fratris nomine inter se non compellant, sed patris & filij. Singuli recipiuntur ad ea munia exequenda, ad quæ magis sunt idonei. Si quis autem Græce legere norit, aut eruditior aliquantulum sit, plus auctoritatis interdum obtinebit quàm reliqui: nam ad aliis præcinendum adhibebitur: cùm in suis templis eam consuetudinem obseruent, vt quispiã publicè legat, quod alij canẽdo pronũciare debent. Pauci Caloieri inueniuntur sacerdotes, & qui Missam celebrẽt: atq, licet ij in monasterio sint sacerdotes, nõ magis tamẽ à manualibus operibus liberantur, quàm reliqui Patres: singuli enim manus operi adhibere debent. Inde fit vt studiis & scriptioni vacare nequeant: imo ne vernaculam quidem linguam legere discunt, in tanto ignorantiæ regno versantur.

CAP. XLI.

De quibusdam Græcanicæ Ecclesiæ ceremoniis, & de summa in qua Græciæ Ecclesiastici versantur ignorantia.

IAM *dictum est omnes in vniuersum Græcos, eósque qui illorum ritus obseruant, Patriarcharum mandatis obsequi: singulásq. Prouincias peculiarẽ habere, atq. eũ*

qua

qui Alexandriæ præest, Memphi habitare, alterum Damasci esse, tertium Constantinopoli, cui omnes Caloieri montis Athou per omnia obsequantur, non secus ac nos Romano Pontifici. Huius item montis Athou Caloieros quocumque in monasteria per Græciam aut alias orbis prouincias sese conferant, semper maiore in precio haberi, quàm qui in eo monte non vixerint: imo Caloieros Ierusalem, montis Libani, Cairi siue Memphis, Damasci, Bulgariæ, Russiæ, Bosniæ, Wallachiæ, Moscouiæ, Epiri siue Albaniæ, Illyrici siue Sclauoniæ, aliosq; per alias prouincias sparsos, in quibus idiomate vtantur à Græco diuerso, montis Athou Caloieros magni facere: quoniam ceremonias diligentius obseruare ferũtur reliquis qui ritu Græco viuũt. Cereis etiã & accẽsis lãpadibus vtuntur in suis templis, statuásque atque picturas, instar Latinorum, halant, & campanis vtuntur. Porro Græci qui sub Venetorum ditione viuunt, maiore libertate fruuntur quàm quibus Turca imperat. At cùm hi, tum alij, ferrum habent è templi valuis clauo suspensum trium digitorum crassitudine, & brachiali longitudine, & arcus modo nonnihil inflexum, quod campanæ ferè instar sonorum est, aut æris modo tinnit: alium verò in monte nolarum quàm huius ferri strepitum non habent: & ad preces huius ferri sonitu omnes conuocantur. In toto monte neque gallinas, neque columbas, alteriúsue generis aues, neque vaccas, neque capras, neque arietes alunt, quoniam carnibus non vescuntur. Aues duntaxat nomine tenus, quod illarũ appellationem interdũ audiant, norũt: nã quoniã iis non vescuntur, nullas aucupantur. Nihilominus tamen obseruauimus, eã auem quæ apud Cenomanos Pinson royal, Lutetiæ Vngros bec, quæq; ab Aristotele & Græcis * μαλακορυνεὺς, à Latinis Molliceps nuncupatur, ipsorum lingua Gros bec, id est, Crassi rostri appellationem inuenisse: atq. auiculam illam per arbores

repentem, quam Galli Terco vel Turcot nominant, & Latinis Torquilla, Græcis Iynx dicta fuit, vulgarem istic etiam esse, & Alcionis appellationem obtinuisse. Nullum autem in vniuerso orbe locum monasteriis aptiorem noui, ipso monte Atho.

* De hac re vide ipsius Bellonij historiam de auibus lib. 6. cap. 7. & lib 7. cap 30. vbi Mollicipem à Pardalo distinguit.

CAP. XLII.

De rarioribus montis Athou stirpibus, sponte nullaque cultura adhibita prouenientibus.

MONTEM *Athon præ reliquis, vbi vnquam pedem fixerim, locis, herbosum obseruaui: nullaque in eo rarior est planta, quæ eodem antiquo nomine non sit cognita, quod à Theophrasto, Dioscoride, & Galeno traditum est: Planta illa, parvula radice prædita, quã Veteres Apion nominabant, nũc Chamæpydia nuncupatur, nullusque est Caloierus in toto monte, qui eam laxandi facultate prædutam esse non norit. Quoniam verò multos magni nominis viros hallucinatos comperio, qui eius loco aliã sumunt, atq. corruptã eius iconẽ exhibẽt, eius viuã imaginẽ oculis subiicere libuit, quam ex ea exprimi iussimus, quæ ex radice per octo menses integros à nobis extra terram seruata, eáque tandem telluri commissa, folia, flores, & semina produxit, qualia in sequenti figura conspiciuntur.*



Montis Athou Caloieri hoc priuilegium obtinuerũt, vt nemini toto eo monte præter ipsos habitare liceat: eam ob-

ob causam, fructiferis arboribus, vitibus & oleis eum excolunt. Merito illis dicatus est, quoniam hominibus secessu & solitudine gaudentibus conuenit, dignúsque est qui cũ deliciarũ quodam paradiso cõparetur, iis qui rure delectãtur. Hippoglosson istic admodũ frequens est, quod ipsi Coraco Votano, hoc est, cornicis herbã nuncupãt. Veratrũ nigrum in multis vallibus crescit. Nemo est in toto monte, cui arbor quã Plinius Alaternũ appellauit, veteri legitimo nomine, quo ipse Theophrastus vsus est, Philicæ, nota non sit: Corcyrensibus verò & Cretensibus Elæ prinos dicitur, quoniam, vt Plinius scribit, folia habeat inter Ilicem & oleam media. Fagus quam Galli Fousteau nominant, in eo monte frequens est, ab omnibus Oxya appellata; de qua postea plura, quia diu per eum montem oberraui, illam quærens, Oxyam à Fago differre existimans. Quæ veteribus Ostria dicta fuit, antiquam appellationem istic adhuc retinet, eáque mons abundat; illa ipsa est quam Galli Haistre vocant. Mirari verò subit quosdam meos populares doctos & rerum peritos, adeò hallucinatos esse, vt Latinorum Cerrum, eam quam vernacula lingua Haistre appellamus, esse putarent; quandoquidem Haistre nullam glandem ferat, & Ostria à Theophrasto tam graphicè sit descripta. Aria etiam vetustum nomen retinet, licet Idæ montis in Creta incolis Acilaca dicatur. Quandoquidem autem tanta est riuorum è numerosis limpidis fontibus defluentium commoditas; quoquò te obuertas, & in vmbra deambulare voles, tanta elegantium stirpium frequentia oculis obiicitur, vt nullus quantumuis tristis aut melãcholicus, ilico non recreetur tam numeroso arborum perpetua fronde virentium aspectu, tanquam is locus de industria pro deliciarum quodam viridario exstructus fuisset. Sed quoniam in mentionem incidimus arborum in isto monte perpetuo virentium, eas ordine recensebimus.

CAP.

CAP. XLIII.

Ferarum arborum perpetuò virentium in montis Athou vallibus sponte prouenientium nomina.

CELSÆ *Lauri atque Oleastri istic summos Solis æstus perpetuò reprimunt: atque Arbuti, quæ aliis in locis plerumque duntaxat fruticant, ingentes istic fiunt arbores. Andrachnes istic abundant. Aria, Philica, seu Alaternus, Ilices, in celsam magnitudinem excrescentes montes istic vestiunt, quemadmodum & Piceæ & Abietes. Myrti latifoliæ cùm steriles tum fructiferæ, Rhododendri rubro flore in summam celsitudinem attolluntur, earúmque caudices crassitudine Ficubus non cedunt. Smilax lævis ad summum vsque celsarum Platanorum fastigium perreptat, perpetuam gerens virentem comam aduersus ventorum iniurias & Solis ardores. Sed quandoquidem aliæ sunt arbores perpetua fronde virentes præter eas quas in monte Atho inueniri diximus, non immeritò illas hoc loco subiungemus.*

CAP. XLIIII.

Arborum & Fruticum, quos in variis prouinciis perpetua coma virere obseruauimus, nomina.

QVANDOQVIDEM *stirpes perpetuò virentes describendi occasio datur; rationi consonum videtur, vt à celsissimis totius orbis arboribus, videlicet Cedris, auspicemur. Eas verò sigillatim describere non est animus: sed eas breuiter hoc loco enumerare sufficiet. Præter iam dictas Syriæ præaltas Cedros, aliæ pumilæ inueniuntur Lyciæ, quarum folium spinosum, est, ob id à Græcis Oxycedri cognominatæ, atque hac nota ab aliis Cedri Phœniceæ generibus differentes, quæ obtuso mucrone prædita folia habent. In eo numero recensentur etiam Myrti, licet eius varia sint genera; nã aliæ cãdidæ, aliæ nigræ, aliæ angustiore folio, aliæ latifoliæ: quintũ insuper est genus nobis admodum frequens, nempe quod in frigidarum regionum hortis colitur. Omnes coniferæ siue resiniferæ arbores, excepta Larice, eo etiam numero comprehenduntur: quas*

Gallicis



Gallicis nominibus efferemus, prout ab vrbium & pagorum Sabaudiæ & Aruerniæ incolis ea didicimus. Quo verò facilius intelligi possint, illis antiqua nomina adiiciemus. Quæ nunc Gallis Aleuo dicitur, Pinastri nomen obtinebat, arbor Græcis incognita, atque à Pino siluestri differens. Quæ Gallis Suiffes dicuntur è genere Abietum sunt, quarum aliæ mares aliæ fœminæ, eas Sapinos siue Abietes fœminas appellabimus. Nam quæ veteribus Abies dicebatur, à Sapino differt. At Abies tribus gallicis nominibus donata est: nam aly du Sapin, aly du Vergno, terty du Sap vocant: verùm Sapinus Latinorum, Gallis de la Suiffe dicitur. Atq. vt facilius discerni queat, eius iconem hic adposuimus.

Quæ vniuersæ Græciæ adeò familiaris est, & veteribus Picea dicebatur, plurimas appellationes Gallicas obtinet: nã Lugdunẽsis galliæ incolæ in Tarare monte, partim Pignets, partim Pins sauuages nominant: at gallica appellatio qua & Sabaudi & Aruerni vtũtur, constantior est in Pignets quã Pins sauuages. Larix in Græcia nõ nascitur, Galli Melese nominant, sola inter coniferas folia hieme abiicit: sed hæc sigillatim in libro, cui titulus est de Arboribus coniferis, scripta sunt. Aureæ mali, Poma Adami, Citria siue Poncires, Citrones & Limones eo etiam numero recensentur. Multa quoque Capparum genera perpetuo virent: quorum nonnulla in rupibus & scopulis Cretæ crescunt alia spinosa, alia spinis carentia. Aquifolia, Acacia, Aria siue Acilaca, Cassiæ solutiuæ arbores, Palmæ, Sena, Thamarindi, Andrachnes in Græcia frequentes, Philica, Balsami arbor, Buxus, Cupressus, Trapesuntina arbor ceraſifera, Esculus & Cerrus alias Volagnida, Ephedra siue Anabasis, Erica, Phana, Cisti frutex, Ledon, & Glans vnguentaria perpetua fronde virent: Item Hedera cum alba tum nigra, Halimus, Hennæ frutex in Ægypto nascens alio nomi-

nomine Alcanna, à Liguſtro differens, quod Gallis du Troeſne dicitur, & hieme foliis ſpoliatur, at Alcanna ea retinet. Ilex arbor, Gallis Cheſne verd dicta; Ilex coccifera, Gallis Graine d'Eſcarlate nuncupata, Iuniperi cùm maiores tum minores, Lauri quinque genera, quorum vnum odoris expers eſt, Lentiſcus è qua Maſtiche fit, Lycium, & Laniſera arbor, Libanotis coronaria, Sebeſte, Sycomorus Ægypto peculiaris, Sabina prima & altera, Thuya, Suber, Taxus, Siliqua ſiue Ceratia, Nerion & Oenoplia, quæ alio nomine Napeca dicitur, & in Ægypto atque Syria creſcit, Perſea, Polemonia, Geniſtæ quoddam genus in Arabiæ ſolitudinibus naſcens, Tragium Cretæ familiare, Acacia altera, Myrobalani, & Saluia cretica poma geſtans edulia, & Anapala arbor dicta perpetuo virent. Idque non ex alterius ſcriptorum lectione, ſed ex noſtra met obſeruatione cognouimus: nihil etenim ſcripſimus quod ipſi non viderimus. Prætermiſimus multas puſillas ſtirpes quæ hieme etiam folia non abiciunt, quale eſt Gallorum Freion, Thymum verum, Satureia græca, & alias ſimiles; cùm arbores & frutices dũtaxat enumerare animus fuerit. Nõnullæ aliæ vt Terebinthus in arborum perpetua fronde virentium numero habitæ ſunt: adiucere tamen noluimus, cùm aliter rem ſeſe habere experientia didicerimus.

CAP. XLV.

Vicinorum locorum obſeruatio, quæ ex ſummo montis Athou vertice conſpici poſſunt.

CANTHARIDVM *genus eſt in Athomonte à noſtris vulgaribus diuerſum, quod Græcis Bupreſtis dictum eſt, Vulgaribus Cantharidibus alioqui forma ſimilium, niſi craſſiores eſſent, pallidi ſiue lutei coloris, & admodum putidæ, indifferenter veſcentes, vel rubo, vel cichorio, vel vrtica, vel coniza, vel aliis herbis. Caloieri eas antiquo nomine appellant Voupriſti: alis ad volatum aptis præditæ ſunt, vt muſcæ. Eius nominis rationem ſatis manifeſ-*

nifestam nobis dederunt, quam suo magno malo experti sunt. Nam si iumenta aut alia animantia ruminantia, simile insectum deuorent, vel herbas quibus inhæserunt depascantur, intumescunt & moriuntur. Quemadmodum autem Vipera cui nomen Prester est, morsus hominibus pernicio sus est: sic cantharis illa lutea suprà dicta, bobus præsens est venenum, atque etiam vt credimus hominibus: eam ob causam Græci olim Bupresti nominarunt. Alia adhuc eius veteris appellationis etyma in variis Auctoribus inueniuntur. Montis Athou Platani altitudine cum Libani Cedris, & montis Olympi & Amani Abietibus comparari queunt. Smilax aspera in dumetis nasci gaudet, & per eius montis sepes, quemadmodū & Smilax læuis (quæ à domestica siue culta, quæ varij coloris fabas profert, distinguēda est) in summā altitudinē mōte Atho libenter excrescit, vt etiam ad celsarū Platani arborum cacumina pertingat, ipsisq; supremis ramis sese cōuoluat. Vitis silvestris naturā obtinet, quæ semper in altū tēdit, præsertim si inueniat cui innitatur, quēadmodum & Ephedra. Si Smilax, cuius nūc meminimus, pumilā arborem cui incumbat nanciscatur, supra illius altitudinē nec attolletur nec excrescet vt illam deprimere possit: contrà verò si vastā arborem nacta fuerit, perpetuò attolletur donec eius cacumen occupet, licet ipsa etiam arbor sidera petat. Nunquam à rustico, à quo Smilacis nomen percontati sumus, adeò propriam dictionem expectassemus, qua antiquum eius nomen exprimeretur: eam etenim vulgari Græca appellatione Smilachia nominabat. Altissimum montis Athou iugum, magisq; celebre, in extrema Cherroneso: atque propter summam altitudinem, perpetua ferè niue tegitur, quæ in æstatem vsq. permanet: summum fastigiū sterile est, & ex asperrimis difficillimisq; scopulis constat. In eo cùm essemus, atque montis partem quæ Septentrioni obuersa est, in qua etiam

etiam nix diutißimè antè quàm dißoluatur, permanet, contemplaremur, eam vberiorem, atque arboribus magis abundantem, pluresq; ſtirpes in conuallibus producentem obſeruauimus. Ea verò pars quæ Meridiem ſpectat, arida eſt, ſterilis, nec vllas arbores habet, præſertim circa ipſum verticem. Summum montis iugum pyri formam refert; nam & acuminatum & rotundum eſt: in cuius ſummo vertice ſacellum eſt, quò monaſterij Agiæ Lauræ ad montis radices ſiti Caloieri, certa anni die conſcendunt, ibique liturgiam canunt: eam autem diem certo inter ipſos conſtitutam omnes norunt, eamque eſſe existimo quæ menſe Auguſto Diuæ Virgini ſacra eſt. Cùm porrò in ſummo montis iugo eſſemus, inſulas & prouincias vicinas, veluti Caſſandriam, quam Schiatho vocant, Scyron, Lemnon, Thaſſon, Samothracen, Imbron, adeò facilè conſpiciebamus, ac ſi viciniores nobis fuiſſent. Semper iſtic aura eſt frigidiſſima, ſic vt eam diu perferre nequiremus. Inde deſcendentes per eam partem quæ Meridiei obiecta eſt, & ad montis radices vicini, Abietum & Picearum ſiluas inuenimus, quæ à Cretenſibus & Aruernicis nonnihil differunt: nam earũ coni adeò firmiter ramis inhærent, vt ſi vi detrahantur, rami fragmentũ cum coni pediculo ſiue haſtula ſemper ſimul euellatur: præterea politi ſunt, neque vt alij ſcabri. Iſtic etiam Ferulam, & Peucedani Centaurijq; maioris abundantiã inuenimus. Quocunque per montem pergas, nullam viam reperies, qua aſcendendũ aut deſcendendum non ſit: nam tota regio inæqualis eſt.

CAP. XLVI.

Montis Athou Caloieros ſiue monachos, mechanicas artes exercere.

IAM antè ſcripſi Caloieros ipſos ſuam lanam in fila ducere: eam ob cauſam, qua ratione id faciant, deſcribere conſentaneum duximus; quandoquidem eorũ colus, fuſus, & verticillũ noſtris diſſimilia ſint. Colus ex can-

na siue arundine constat quæ Donax dicta est, & intra tres nodos duntaxat resecta est, vt foramine facto tres in id læuæ manus digitos inserere possint, nempe minimũ, & binos ab illo proximos, liberum relinquentes pollicem & indicem illi proximũ, ad lanæ pensa trahenda, & fuso applicanda. Sũmæ cãnæ articulatio furcula in modũ incisa est, vt lana illi imposita firmiùs cohæreat. Caloierus suæ regionis more fila ducens, colum lateri non applicat, sed tribus digitis subleuatam sustinet. Lanam magno apparatu non præparant, sed eam calida duntaxat lauant, & paululum carminant; propterea fusus colui quodammodo respondere debet. Mirum igitur non est si veteres nonullas stirpes colus, fusi, & verticilli nomine donarunt: nam & hodie Attractilis herba fusi vicem illis præbet: eius enim caulis rectus est & lauis, tamquam arte expolitus esset. In eius penuria bacillo minimi digiti crassitiem non æquante, æqualis vbique crassitudinis vtuntur, cui ferrum hamuli piscatorij modo efformatum infigunt, vt filum comprehendat è quo fusus dependeat. Verticillum etiam colui & fuso respondere necesse est, quod cum eo quo nostræ mulieres vtuntur nihil cõmune habet. Quoniam autem verticillum solummodo excogitatũ est ad fila commodius ducenda, atque vt fuso pondus addat; indicare volumus Græcorum verticillum, etiam nunc illi simile esse, quod veteres descripserunt, quodq; eam auctoritatem obtinuit vt & herbæ & pisci nomen daret Sphondilion, quem frequentiùs in Anglia quam in Gallia reperiri scimus. Græcorum verticillum dimidiato pyro in binas partes per medium secto simile est; per medium perforatũ est, dentibusq; caret. Id verticillum superiori fusi parti infigunt, inferiore fusi parte deorsum propendente: fila autem nostro more torquent. Nullam vnquam in totius montis ambitu vrbem muro cinctam fuisse credimus: quia nulla murorum vestigia exstant: Vranopolis etiam Palæotriũ, Thyssus,

Thyssus, Cleone, Apollonia, Cassera, à Plinio enumeratæ solummodo, exigui pagi fuisse videntur, vbi nunc monasteria sita sunt. Caloierum inter reliquos inuenimus, qui recens ex Sophia in montem Athon habitatum aduenerat, lagenas è salicis amerinæ virgultis, aut tiliæ cortice, aut castaneæ summis surculis, alióve ligno sequaci vt est vlmi cortex, texendi admodum peritum. Absoluta & probe contexta lagena, aliqua materia, ne perflueret, inducenda erat: ad eam igitur rem Piceæ resinam, Græcis πευκίνη, & Latinis Spagas dictam dictione Plinio vsitata, sumebat, quam (cum pinguis & lenta sit) paululum decoquebat, & calidam in lagenam iniiciebat, quæ foramina & surculorum corticúmve interstitia complebat & indurabatur, hacq; ratione lagenæ stipabantur ne exstillarent. Eiusmodi lagenæ viatoribus sunt cõmodissimæ: nam neque Solis ardore facilè finduntur vti ligneæ, neq; fragiles sunt vt terreæ, neque graues vt stannea. Quoniã verò leues sunt, atque diu conseruari possunt, iisque qui illas conficiunt Sophiæ (in Seruia Græciæ Prouincia ea vrbs est) habitant, qui eas per Græciæ insulas venales circumferre solent, Sophiæ lagenas appellant. His Walachi, Bulgari, & Circassi libenter vtuntur.

CAP. XLVII.

De cancris aquæ dulcis, in montium riuulis versantibus, à nostris fluuiatilibus Cammaris, quos vulgus Cancros appellat, diuersis.

PEDESTRI *itinere per montem euntibus (nã equiti, nisi qui regiam viam sequeretur, non liceret, imo ne peditiquidẽ, nisi quis agilitate præditus, animi gratia spretoq; omni labore & molestia id faciat) itineris dux à via nota aberrauit, sic vt quo destinaueramus eo die peruenire nequiremus, nec commeatum vllum nobiscum sumseramus. Tandem sub noctis crepusculum ad quendam riuum peruenimus cancris, nostris cammaris dissimilibus, adeò abundantem, vt mille temporis momento capi potuis-*

sent. Caloierus eos crudos manducare cœpit, asserens coctis melius sapere. His etiam cum illo vescebamur, neque iucundiorem saporem vllo in cibo inuenire memini, siue fame vrgente, siue cibi nouitate id accideret. Cùm autem eos cancros à nostris cammaris diuersos esse obseruaremus; eos è mari perreptasse arbitrabamur: at obuertentes nos, & regionem ad mare descendentem contemplantes, locum adeo sublimem & aditu difficilem animaduertimus, vt nullo modo perreptare eò potuisse iudicaremus: deinde cùm exactius illos obseruassemus, inter eos & marinos magnam dissimilitudinem deprehendimus, & istic expressè annotauimus cancros esse fluuiatiles à cammaris diuersos. Stirpis genus quoddam in valle inuenimus Elegia nuncupatum, cuius ramis pro calamis scriptoriis vtuntur: nam neque Turcæ neque Græci anserum plumis vti norunt.

CAP. XLVIII.

De portentosa viuendi inter Græcos sacris addictos ratione, deque asperitate, superstitione & ceremoniis quibus in cibo & potu vtuntur.

PORTENTOSAM *cuiusdam Caloieri viuēdi rationem describere volo; vt qua ratione reliqui viuant, faciliùs intelligi queat. Postridie cùm in monasterium Simeon peruenissemus, Caloierus quidam, ferrariam artem exercens, asthmaticus, lenta febre laborabat, quem ingens tussis vexabat & magna sitis perpetuò torquebat: is ad prandium nos inuitans, Saracosti, hoc est, vnius ex illorum quadragesimis siue angariis tempore, ciborum delicias quibus vti solebat nobis adposuit. Isti Caloieri quadragesimarum suarum tempore piscibus sanguine præditis non vescuntur: itaque herbis, alioque huiusmodi modico apparatu vti necesse est. Nobis igitur erucam, eleoselini radices, porri bulbos, cucumeres, cepas, atque pusilla allia virentia apposuit. Hæc omnia ex communi monasterij horto desumta erant, tametsi nonnulli etiam priuatos*

tos hortos colant. Herbas prædictas crudas sine oleo & aceto edimus: quoniam apud istos miseros ea est consuetudo. Nobis præterea adposuit olivas nigras conditas, quas Dermatias appellãt, atrum panem biscoctũ, atque vinum. Biscocto pane vtuntur Caloieri, ne sæpiùs clibanum calefacere cogantur. Inuitauit & binos è suis sodalibus qui salitos & desiccatos nonnullos pisces attulerunt, sepias, polypos, lolligines. Eo autem tempore omni cancrorum genere, marinis cochleis, aliisq; testa inclusis, quales sunt mytuli & ostreæ, illis vesci licet, quoniam sanguine carent. Miser ager cõquerebatur appetitum planè esse dejectum, aiebatq;, nisi nuces sibi à morbi initio reseruasset, iam diu terra obrutum fore: atque istis solis vitam conseruatam referebat, quoniã illi orexin excitarẽt ad paululum panis aqua intincti cum oliuis salitis edẽdum. Isti Caloieri à crudis cepis & alliis cœnas suas inchoare solẽt, atque eruca & nasturtio finire; media & primaria cœnæ fercula olivæ salitæ, & fabæ aqua maceratæ sunt: atque cuiuscunque tandem conditionis sint, sani vel ægri, vinum aqua temperare non solent. Huius Caloieri victus ratione considerata, persuadere conati sumus vt boni succi pisce aliquo recente vteretur, quoniam admodum macilentus erat, & toto corpore valde extenuato: at ille respõdit, quòd etiã si illi statim moriendũ esset, illo vesci nollet, nedum carne. Ea viuendi ratio nõ modò apud Caloieros locum obtinet, aut apud sacerdotes, aliósve sacris initiatos in Græcanica ecclesia: sed etiam apud plebem, quæ mortis etiam pœna proposita, quadragesimæ ipsorum tempore piscibus sanguine præditis, aut alia re pingui vesci nolit: adeò rigidi sunt huiusmodi superstitionum obseruatores.

CAP. XLIX.

E monte Atho in Saloniki profectio, & de raris piscibus qui istic capiuntur.

MONASTERIA *ad maris littus sita, vt sunt Laura, Ruero, Vatopedi & pleraque alia, noctu suas nauiculas in portu aut maris littore non relinquunt, præsertim vbi portus minimè tutus est: sed eas è mari educunt, deinde locis quibusdam concludunt, quorum valuæ sunt ferreæ, vt igni quem pyratæ inicere possent, resistant. Pauci sunt tuti portus in montis ambitu, exceptis qui in Vatopedi & Laura sunt: propterea frumentum rarius serunt. Sed cùm vites, oleas, ficus, cepas, allia, fabas & legumina colant, permutationem cum Nautis faciunt qui illis triticum aduehunt, vel illud præsenti redimunt pecunia. Molas in hoc monte vidimus tam pauca aqua impelli, vt riuus profluentem vix brachialem crassitudinem æquantem cõtineret. Piscinam autem humili loco struunt, partem superiorem amplam & capacem habentem, inferiorem verò paulatim in angustum coactam infundibuli modo: in ea foramen est tanto impetu aquam emittens, vt in exiguam rotam incidens alia ratione quàm nostræ sunt fabricatam, quamtumuis magnum molarem lapidem impellere possit. Lauri cuius in conuallibus magna est copia, baccas colligere solent, è quibus oleum exprimunt, quod venum exportant per Wallachiæ, Bulgariæ, Seruiæ vrbes atque loca vicina. Marinos vrsos, quos Neapolitani & Masanenses Massacara nominant, istic capiunt, Astacis marinis siue Homar Gallorum fere similes: sed inualidi sunt vt Locustæ, & aculeis carent vt Astaci: nam Locustæ dorsum aculeatum habent vt marina Aranea: atque adeò hunc piscem intellexit Suetonius Tiberij cæsaris crudelitatem describens, qui aspero Locustæ cortice misero piscatori os dilacerari iussit. Nos Gallicè Sauterelle de mer reddere possemus. nã quæ Massilienſibus corrupto sermo-*

sermone Langouste dicitur, puro sermone gallico Sauterelle appellari posset. Itaque excusatum volumus errorem ab operis typographicis nostra absentia commissum, quæ huius piscis iconem in aliud caput Libri piscium transtulerunt. cuius rei admonitum lectorem volui.



E monte Atho digressi vt Salonikì proficiscèremur, facile biduo istuc peruenimus. Saloniki ingès est oppidum, celebre & opulentum, olim Thessalonica nuncupatum, cuius D. Paulus meminit: in Thessalia proximè Macedoniam sita est: in ea pestis adeò grassabatur, vt plurimi mercatores vrbem desererent, & suas facultates negligerent. Turcæ inter reliquas nationes omnium minimè à pestis contagio sibi metuunt, ideoque nulla formidine inter eos qui peste icti sunt versantur, quod in Salonikì obseruauimus. Biduũ dũtaxat in itinere à Saloniki ad Siderocapsæ fodinas insumsimus, quæ eo sunt loco qui Veteribus Chrysites appellabatur: nunc autem pagus est, tam magni prosentus Turcarum Imperatori, ob auri & argenti copiam quæ ibi colligitur, quàm maxima vrbs quæ sit in vniuerso eius imperio: attamen non diu est quod fodina erui cœperit, ex qua aurũ et argentũ cõflatur. Antea paucis ædificiis pagus instructus erat: nunc verò, oppidi formã refert. Siderocapsa inter valles sita est, ad radices montis cuiusdam in edito siti ad maioris cuiusdam montis cliuum, quã aptius comparare nesciremus quam cum oppido Ioachims thal in Bohemia sito, quod Latinè

Vallis Ioachimica dicitur. Metallica quæ ex Siderocapsa eruũtur; in causa sunt, vt qui huic rei student eò confluxerint, & magis populosam eam reddiderint. Peramenos hortos & vireta istic instituerũt, & vbiq. adest aqua quæ hortos multo commodiores reddit: præsertim autẽ vineta vicinis locis sita egregiè exculta sunt. Siderocapsæ fodinarum incolæ hominũ est colluuies, linguæ varietate inter se differentium, vt sunt Illyrici, Bulgari, Græci, Dalmatæ.

CAP. L.

De auri & argenti fodinis Turcatum Imperatoris, atque de obrizi auri origine disceptatio.

SIDEROCAPSA *in Macedonia sita est Seruiæ contigua: eumque esse locum, in quo Philippum Alexãdri Magni patrem, aureos Philippicos primùm cudisse Diodorus scribit, puta cùm Crenidas fodinas inuenisset, atque eas excoluisset: namque refert illa ætate singulis annis, mille & amplius auri talenta reddidisse. Metallicæ quæ nunc istic laborant operæ, magna ex parte Bulgari sunt. Vicinorum pagorum eò ad mercatum confluentes rustici Christiani sunt, atque Seruianicè & Græcè loquũtur. Iudæi similiter istic adeò sunt aucti, vt Hispanicam linguã quodammodo vulgarem reddiderint: etenim inter se versantes & sermones conferentes nulla alia lingua vtuntur. Siderocapsæ diutius substitimus, vt fodinas obseruaremus, tum etiam quòd magnoperè conspicere cuperem qua ratione aurum è sua vena eximeretur. Cùm verò aurum omnium metallorum sit perfectissimum & purissimum, atque tam varia nomina in Europa adquisierit: perpendere voluimus, an illa in sua vena adipisceretur: at ipsius impuritatem aliunde, quàm eorum, qui id commiscent, infidelitate, non procedere comperimus. Aurifabri, & Monetarij diuersa illi nomina tribuunt, atque aliud altero vilius constituunt; inde factum vt aliud aurum ducatorum, aliud aurum coronatorum, aliud aurum scutatorum, aliud aurum rhenense dicatur, vnum*

vnũ viginti karatis, aliud octodecim, reliquáq. in hũcmodũ pluris vel minoris æstimantes. At eiuscemodi nomina & precia in variis regionibus nata sunt, in quibus eorũ qui illud cõmiscuerũt & aliorũ metallorum ipso viliorum miscellanea multiplicarunt infidelitate adulteratum est. Ea porrò multiplicatio, ex eorum, qui illius precium in nummorum recentiorum generibus augent, arbitrio, excogitata est. Ducati etenim, Scutati, Phillipei, Angeloti, Portugallici diuersimodè ex puriore vel impuriore auro cuę sunt. Id autem inuentum non est recens: legimus enim iam vigente Romanorum imperio, Rempublicam, cùm grauiores bellorum impensas tolerare nequiret, nummorum pondus interdum minuisse, vt id lucri accederet, atq. purum argentũ, admixta æris octaua parte adulterasse & auxisse. Natura numquã oblectata est perfectiorem substantiam elementarem condere, quàm aurum: nam non minùs purum & sincerum est in sua qualitate, quàm ipsa simplicia, ex quibus compositum est, elementa. Non igitur immeritò præ reliquis diuitiis illud æstimamus, atq. reliquis metallis præcellere cẽsemus. Nã Natura æqua quãtitatis proportione cũ elementorũ symmetria respondente illud condente, iã ab ipsa illius origine expurgatũ reddidit, ipsorũ elementorũ simpliciũ instar: atq. ista elementorũ, in virtute pari, cõiunctione adeò delicatã & perfectã indissolubilis vnionis mixturã generauit, eius colligationẽ tã fideliter fabricãs, vt incorruptibilẽ massam conflarit, quæ in sua excellẽtia & bonitate in æternũ permanet. Eam ob causam neq. à temporis iniuria vinci, neq. vllã excrescentiã, aut rubiginis superfluitatẽ in se cõtinere aut ferre potest aurũ. Nã tametsi multo tẽpore aqua mersum aut igne sepultũ maneat, nullã tamen inde maculã cõtrahit, neq. aliã qualitatẽ, aut põderis imminutionẽ adquirit. Illud singulare priuilegium præ reliquis metallis obtinet. Ex Siderocapsæ fodinis ingẽs auri & ar-

gẽti summa Turcarũ Imperatori accedit: nã singulis mẽsibus, deductis operarum stipẽdiis, pro sua portione decies octies mille ducatos, nõnunquam triginta millia, interdũ plus, aliquãdo minus accipit. Qui censum pendũt, nõ meminisse affirmarũt iã inde à quindecim annis minus pendisse nouem aut decem ducatorũ milibus in singulos menses pro Turcarum Imperatoris iure. Metalla verò istic purificantur labore & industria Epyrotarum, Græcorum, Iudæorum, VVallachorum, Circassiorum, Seruianorum & Turcarum. Circiter quingentæ aut sexcentæ fornaces per Siderocapsæ montes sparsæ sunt: neque vlla est quæ peculiarem dominum non habeat, qui suis expensis omnia necessaria in ea peragi curet. Porrò cùm fossores, tùm qui effossam fodinam educunt, Caducæo siue virgula diuina non vtuntur, sed sine sorte aut supputationis calculo, fossionem prosequuntur prout illam commodam & vtilem initio inuenerunt. Pyritis siue Marcasitæ genera variis prædita sunt coloribus. Aurum verò atque argentum purum non reperiunt, quin prius fusum fuerit. Neque Chrysocolla istic est, neq. Cobaltum: neque fossilium carbonum apud illos vsus est: alia verò ratione metalla excoquunt quàm in Germania. Eorum fodinæ fluoribus carent. Leges inter Metallicos sancitæ diligenter vt in aliis prouinciis obseruantur. Qui argentum ab auro aquæ fortis beneficio separabat, Christianus erat Armenius. Vocabula quibus nunc Syderocapsæ res metallicas exprimunt, neque Græca neque Turcica sunt: nam Germani qui primum eas fodinas excolere cœperunt, incolas rerum metallicarum, & instrumentorum mineralium nomina Germanica edocuerunt, quæ deinde exteri cum Bulgari tum Turcæ obseruarunt. Eorum officinæ à Germanicis differunt: in quibus tota hebdomada laborare solent, initium à die Lunæ facientes & die Veneris finientes, quoniam Iudæi die Sabbati ferian-

feriantur. Omnes camini seu fornaces secundum riuulos exstructæ sunt, quia rotas quibus folles subleuantur aquæ impetu versari necesse est. Septem autem sunt ij riuuli, quorum hæc sunt nomina, Pianize, Amerpach, Kyprich: qui verò ad Orientem spectant, Roschetz & Isvotz nuncupantur. Fornaces in quibus Pyrites colliquantur, viliter exstructæ sunt: vt quæ duntaxat tignis & asseribus plutei siue tabulati in modũ coopertæ sunt: Ampli sunt camini & in ædificij meditullio exstructi, valido muro posteriore parte cõstantes, at anteriore leui materia clausi, quã die Veneris sub noctẽ diruunt: nam cum fornicis quodammodo in modum exstructi sint, fumum siue cãdidam suliginem recipiunt, Veteribus Spodos appellatam ex metalli vapore exhalantem, & quo flamma maximè ferit loco, dum vena colliquatur, camino adhærentem; Græcorum vulgus Papel, alij Papula nominãt, cuius apud illos nullus est vsus, aut precium. Inuenitur & Pompholix, supradicta paulo candidior: vtramq; si quis colligere vellet, facilè singulis septimanis decem libras cogeret. Folles erecti statuuntur ore in terrã ad camini imũ obuersõ: subleuantur verò & deprimuntur à brachiis è rota quæ aquæ impetu extra ædificium versatur, immissis. Rota binas cruces habet, quæ octona brachia cõstituunt per medium rotæ infixa. Quatuor priora brachia folles comprimunt: reliqua verò quatuor perpetuò non exercentur, quoniam ad alios folles, quibus plumbum ab argento separatur, impellendos sunt destinata. Caminus siue fornax ingenti ore hiat, per quod carbones & vena colliquanda alternatim iniiciuntur: atque bina foramina habet, alterum infernè iuxta terram, per quod liquefacta vena effluit, alterum paulo suprà in ipsius camini quodãmodo meditullio, qua ventus exspirat, & ignis, exhalatione opus habens aërem recipit. Materia per imum foramen effluens, cũ suo excremento quod semper supernatat delabitur: perpetuoque id ex-

id excrementū à metallo, quod in imo subsidit parua quadam fossa fornaci contigua, eximendum est. Quoniam vero leuiora excrementa inutilia sunt, operæ illa paulatim auferunt & abiiciunt: nam cùm frigescunt, crustam supra metallum inducunt, quam virga ferrea decutiunt: at aurum, argentum atque plumbū, quæ simul mixta, grauioraq; sunt, in imo subsidunt. Plumbi autem ab argento separatio ignis è carbonibus conflati calore non fit, sed flāmæ ignis è crassioribus lignis violenter conflati vi. Ad eā rem folles alia ratione quàm primos collocari necesse est: primi enim erecti sunt atque orientuntur: qui verò ad plumbi separationem sunt destinati, obliqui iacent, atque quatuor, vt diximus, brachijs aquæ impetu rotatis subleuati inflantur. Plumbum flammæ ignis è lignis conflati vi colliquatum, ab eo quod ignis è carbonibus constantis ardore liquatum est differt, neq. plumbum videtur, sed potius metalli recrementum. Vulgus Græcorum Molini appellat, nihilq; aliud est quàm plumbum in Lythargyri substantia quod Molybdæna nominatur, quæ postea denuo colliquatur vt plumbum fiat. Quanto autem magis ab ea repurgatū erit argentū, tāto purius reddetur. Latini, argenti recrementum Scoriam nuncuparunt, idq; est quod Galli parum honesto vocabulo merde d'argent appellant, quam metallarij vt omnino inutilem abiiciunt. Græci dictione à Germanis sumta, vulgo Leschen nominant. Cùm Galenam excoquere volunt, eam nonnihil cōminutam supra ignem è lignis & carbonibus constantem, quem in area struxerunt, coniiciunt: nam nisi excoqueretur, cùm alioqui marmoris instar dura sit, à fornace non domaretur. Illam igitur excoquunt magna lignorum & carbonum congerie, Galenæ copiam illis iniiciendo, atque alternatim alia aliis permiscendo, deinde ignem subiiciēdo, donec colorem mutauerit: tum demum in fornace colliquandam inferunt. Liuius Siderocapsæ, olim Chrysite nuncu-

nuncupatæ, fodinas describens, ait *Macedonum reges* sua bella feliciter gessisse, ob ingentia tributa quæ ex fodinis accipiebant, eosq; auro & argento *Macedonico illustres euasisse*. Credibile etiam est *Philippi conatus* sine eo non adeo feliciter cessuros fuisse: neque eius filium *Alexandrum* tam ardua moliturum. Sed per illud Reges multa præclara gesserunt. Itaq. hac laus soli auro & argẽto tribuẽda est, quod pleriq. ardui conatus felicẽ exitum habuerint, atq. ingẽtibus bellis, quorum auctores fuerant, optatus finis sit impositus. Paulus Æmilius Romanus, victo Perseo Rege, *Macedonas* ne amplius auri fodinas exercerẽt inhibuit, vt hac ratione *Macedonum* opes imminuerentur, atque Romanorum augescerẽt. Solinus etiam auctor est, *Macedoniæ* fodinas puro auro opulentas fuisse.

CAP. LI.

Qua ratione metallici aurum depurant ex quo Turcici Ducati cuduntur; vnicumque esse Ducatorum auri genus per vniuersum Turcarum Imperatoris dominium.

SERIVM *mandatum dedit Turcarum Imperator*, vt aurum argentumque Siderocapsæ summa fide atq. vt decet expurgetur. *Modo retulimus qua ratione plumbũ ab auro & argento* separari soleat: auri verò ab argento separatio non est magni negotij: etenim ea solummodo fit aquæ fortis beneficio: eiq; rei præfectus est *Armenus quidam*, qui postquam aurum ab argento segregauit, in quadrangulas laminas pedem latas, binosq; pedes longas, atq. nouaculæ dorso haud crassiores malleo diduci iubet. Eas in vasculũ diligẽter cõponit, atq. puluere quodã aspergit hac ratione. Puluerem primũ in vase spargit è sale, alumine, contritisq; tegulis constantẽ, deinde quadratã auri laminã illi imponit, quam simili puluere etiam tegit, ei rursus aliam laminam imponit simili puluere conspersam, atque ita consequenter aureas laminas & puluerem alternatim commiscendo, atque aceto conspergendo donec vas plenum sit. Postmodum vi ignis è carbonibus conflati,

per

per integrum diem artificialem calcinantur & excoquũtur, donec probè aurum expurgatum sit, ex quo cusi ducati, postea Constantinopolim perferuntur. En igitur vt mortales suas met leges obseruantes, ducatorum aurum, reliquis auri generibus præferri voluerunt, quandoquidem certũ sit illud purius esse quouis alio auro cuso, quod plerumque commixtum est. Aurum apud Turcas cusum, purissimum aurum est ducatorũ; quod adeò molle & delicatum est, vt facilè inflecti queat. Cuius, quemadmodum & ceteri auri splẽdor, etiam si impuris manibus tractetur, ulico non inficitur, sed perpetuò splendet & in naturali suo colore permanet. At reliqua metalla cuipiam rei adfricata, suæ tincturæ notam relinquunt: quod minimè facit aurum, quod neque luteo neque nigro colore inficit. Mirum itaque non est, si solus ipsius color ad ipsius amorem nos rapiat; cùm præsertim cum solis radiis communionem quandam habere videatur, eaq; virtute polleat, vt quemadmodum eius elegantia nostris oculis placet, singuli etiam eo frui desiderent. Aurum quacunque ratione, siue solidum, siue lima contritum, siue in folia diductum, intro assumtum, vitalem facultatem non offendit, vt reliqua metalla: imo ipsam & cor plurimum reficit. Licet autem Græci scriptores huius facultatis nõ meminerint: Arabes tamen experientia didicerunt. At eius facultatũ prætextu, nõnulli impostores, magnas fraudes comminiscendi occasionem sumserunt: qui excellentius quidpiam quàm medici nomen affectantes, Curatores sese appellarunt, nouam quandam facultatem in auro se inuenisse simulantes: etenim duplices ducatos pueris mandendos præbuerunt, eos suo more educantes, quorum saliuam curiosè excipientes, ægris sumendam præbuerunt. Sed cum meræ & crassæ sint impostura, eos in posterum puniendos censemus.

CAP.

CAP. LII.

Vnde fabulæ de aureo Vellere originem sumserint: deque Peruano & Indico auro disceptatio.

SÆPIVS inter eruditos viros disputationes exoriri intelleximus, vtrum in fluminibus aurum arenis permixtum inueniretur, quemadmodum vulgo creditum est: ea res nos impulit, vt nõnihil hoc loco de eo ipso ageremus. Certũ est mortales ab omni antiquitate quibus fieri potuit commodioribus rationibus aurum scrutatos. Experientia autem edoctos, aurum quod fluuiorum arenis permixtum est, cùm ponderosius sit & minutis granis cõstet, ad imum subsidere, atque cum difficultate separari. Itaq; industriam segregandi rationem excogitantes, arietinis velleribus illud exceperunt. Hinc coniecturam facimus, argenti viui vsum apud eos nondum inualuisse, qui nunc maximè viget: cùm per vellera separandi ratio nunc exoleuerit. Ex ea porro auri ab arena segregãdi ratione, nata est de aureo vellere fabula; nempe Iasõnẽ cùm in Pontum cum Argonautis nauigasset, atque ad Phasin flumen peruenissent, vbi indigenæ cum velleribus aurum separabant, occasionẽ sumsisse multa de ea re, cùm ad suos redissent, referendi: sed quod de illis vulgatum est, non multũ dissimile est iis, quæ de Peruano auro referemus. Nam arietinum vellus Argonautas celebres non reddidit; sed aurum quod in nauibus reportarunt. Licet verò quorundam fluminum auriferorum nomina iam à Plinio sint tradita: ea tamen hoc loco inferere minimè dubitauimus. Tagus in Hispania, Ebrus in Thracia, Rhenus & Danubius in Germania, Gãges in India, Pactolus in Pannonia, Ticinus è Verbano lacu, & Abdona è Lario effluentes, Ada præterea & Padus in Italia aurum arenis suis permixtũ habere perhibentur. Ceterum, quoniam plurimæ prouinciæ sibi persuadent eos pisces qui in auriferis fluminibus capiuntur, auro vesci, occasio nobis data est, quædam de ea re commentari, dignumq. nostra obser-

obseruatione censuimus, rei veritatem exquirere. Pesqueræ incolæ ad Benacum Lacum, atque etiam qui Salo accolunt, sibi persuadent eos pisces quos ipsi Carpiones appellant, è puro auro alimentum sumere. Et ne tam longè exempla petamus, Lugdunensis prouinciæ incolæ certò statuunt, pisces quos Humbles & Emblons nominant alio cibo non vesci quàm auro. Nullus est rusticus Laci Bourget accola, qui nõ asseueret pisces Lanarets, quos perpetuò in piscario foro Lugduni venales reperias, alium cibum non degustare quàm aurum. Lacus autem Paladrou in Sabaudia accolæ Emblon piscem atque Vmbram nulla alia re quàm auro vesci arbitrantur. Similiter Laudenses Mediolanensi Ducatu nobis retulerunt piscem Themolo, vel Themero illis dictum, qui veterum Thymalus est, auri depastione pinguefieri. Sed singulorum anatome facta, & illorum ventriculis diligentiùs inspectis, comperimus alio cibo vesci, minimè autem auro. atque Lamaretos, Humbles, Vmbras, Emblones, Carpiones, Thymalos, tali ventriculo nequaquam esse præditos, qui aurum concoquere queat: licet incolæ communi prouerbio dicant pisces qui aurum deuorãt, reliquis præstare, iam enumeratos innuere volentes, qui reliquos fluuiatiles pisces succi bonitate superant: sed vulgus rem vti se habeat ignorans veram esse asseuerat. Porrò certissimum est, aurum, quacumq. tandem mundi regione inueniatur non nisi magno labore & ingentibus expensis expurgari, siue in Peru prouincia natum sit, siue in India. Rem exaggerent vt volent Hispani Historici, qui de Peruano auro admiranda scribunt: attamen ex quibusdam locis historiæ illorum de Nauigatione insularum Occidentis liquet, eius fodinam fundi debere, quemadmodum in reliquis Europæ prouinciis. Sed si illis fides adhibenda esset, quilibet in Indiam appellens (modò eruendi laborem sumat, quemadmodum si quis vetustum parietem

tem

tem dirnat) posse liberè tollere, & naues eo onerare videretur. Sed id fabulosum esse liquet: nam maxima auri quod mercatores aduexerunt pars, aliarum rerum quas intulerant, præsertim verò muliebris mũdi permutatione adquisita fuit. Atque licet magnam eius vim prima illa nauigatione retulerint, si nunc denuò nauigationem instituant, non est quod se tantundem adquisituros sperent: nam cùm primùm eò appellerent, id inuenerunt longo iam tempore ab incolis collectum, atque eadẽ ratione qua in Europa fieri solet, repurgatum. Itaq. sciendum est, eos prima nauigatione in Peruãnas insulas summa diligentia & omnibus mediis aurum & argentum quod Insulani diuturno tempore paulatim collegerant, perquisiuisse. Sed concedamus illos denuo tantundem adquirere velle; an non Insulanis tempus illud colligendi tribuere debebunt? At vt verum fateamur, multo tempore illis exspectandum erit, aut multas operas adhibere debebunt quæ illud eruant, & necessarij faciendi sumtus: nam Indi è metallicis venis vi ignis id collegerant, non secus atque in Europa fieri solet: quod illorum ipsorum scriptis probabimus. Quoniam autem Indi nullum pecuniæ vsum habent, eorum argentum & aurum in vasa conflatum fuisse credendum est. Nam licet Indorum fodinæ vberiores sint quàm alibi, atq. facilius minoribúsq. expẽsis excoquãtur quàm in Europa, vel licet eorum flumina plus auri arenæ permixtũ ferãt, quàm apud nos: magno tamẽ artificio, ingentibusq. expensis opus fuit in vtroq. genere, & lõga temporis mora ad illud à suis spurcitiis expurgandũ: minimè autẽ (vt pleriq. antè arbitrabantur) inuentum est in laminas conflatum, neq. cuilibet tollere licuit, & in fasciculos componere vt facilius in naues deferretur. Rem autem sic se habere, ipsi Scriptores de Indorum Rege captiuo sermonem facientes testãtur, cùm plurimas ædes ad aurum & argentum fundendum exstructas esse tradunt, auriq.

venam multo difficiliùs in planis colligi, quàm in montibus qui in diuitibus Peru prouinciis sunt: montanúmque aurum stanno & sulphuri permixtum esse; à quibus vt id seperent, ingentem in monte struunt ignem, qui suo calore sulphur calefaciendo, argentum à reliquorum metallorum permixtione dissoluat, atque effluere faciat. E quibus verbis ab ipsis supradictis Auctoribus desumtis, liquet, aurum & argentum eadem ratione qua apud nos, è suis venis erui & expurgari: vbicumque etenim existimatur, semper iudicandum minerale esse, atque consequenter multis aliis metallis permixtum. Itaque si aliquando ingentem eius quantitatem vna vice retulerunt, illud ex Regum redemptione atque suarum mercium permutatione adquisiuerunt. Nos hac ideo retulimus, quòd plerique existimarent, aurum istic adeò vulgare esse, vt equorum soleæ ex puro auro fierẽt, & plaustrorum aratrorúmque rotæ eo munirentur. Aurum porrò non minus è suis venis in Orientali India eruitur, quàm in Occidẽtalibus insulis Peru. Per Orientalẽ Indiã intelligimus Æthiopiã, cui dominatur Presbyter Ioannes. Literæ latinæ Regi Lusitaniæ ab ipsõ inscriptæ & typis expressæ fidem faciunt, ipsum millies centenã millia drachmarum auri Regi Lusitaniæ polliceri, si bellum aduersus Turcas gereret. Et sanè Presbyter Ioannes & pecunias & milites illi dedit, vt Turcæ bellum moueret. Ingens profectò auri summa, millies centena drachmarum millia vna vice à Presbytero Ioanne Lusitaniæ Regi præberi: attamen non idcirco dicendum est, quin plurimum impendendum fuerit vt ex suis venis erueretur. Idem Presbyter Ioannes quadriennio aut quinquennio pòst, alias literas ad Lusitaniæ Regem dedit, quibus illum rogabat, vt è Christianorum prouinciis omnis generis artifices illi mitteret, præsertim autem eos qui aurum in tenues laminas diducere, numismata incidere, pecuniam cudere, atque in auro & argen-

argento sculpere nossent: item bonos typographos, qui libros typis exprimerent: sed præ reliquis expetebat magnum numerum eorum qui in fodinis eruendis expertiessent, quique omnia quæ ad metallicas operas necessaria sunt, callerent, puriores metallicas omnis generis venas à vilioribus dignoscere nossent, & aurum atque argentum à reliquis metallorum generibus exactè separare non essent ignari. Ex iam dictis igitur literis patet, omne aurũ & argentũ Orientalis Indiæ metallicarũ operarũ artificio, industria, & magno labore è suis venis erui: sed alias operas aliis in sua arte magis expertos, & artẽ nõ æqualiter omnes callere, non modò istic, sed etiam in Europa & Asia. Et sanè plurimi metallarij è Bohemia, Saxonia, & reliqua Germaniæ discesserunt vt in Æthiopia laborarent, eoq; Regis Lusitaniæ sumtibus perducti fuerunt. Itaque patet, in vtraque India aurum è suis venis erui solere magnis sumtibus & longo tempore, quemadmodum in Europa; atq. illos culpa non vacare, qui tam magnifica de iis scripserunt, cùm se à veritate aliena scribere non ignorarent. Atque vt exactiùs de hac re agamus, probare volumus, aurum è venis Occidẽtis erutum & expurgatũ, æquè præstãs & perfectũ esse, atq. quod ex Oriente erutum est: quod verò in Septentrione erutum est, tam perfectũ esse, quàm quod in Meridie desumtum. Nam licet Oriens Occidente calidior & siccior sit, atq. Septentrio frigidior & humidior Meridie: tamen propterea aurum æquè perfectam concoctionem habere non desinit in vno loco quàm in alio: nam quod in frigidissima orbis regione eruitur, non minus perfectum est, quàm quod ex calidissima Æthiopiæ prouincia collectũ est. Sola experientia ad id probandum contenti erimus: quandoquidem omne aurum ex quacunque vena sit erutum, modò sit repurgatum, æquè sit perfectum in vna mundi plaga ac altera, nulla habita temperaturæ loci, calidæ aut frigidæ,

ſiccæ aut humidæ ratione. Et ne hæc diſceptatio nimium aſpera videatur, rationibus rei prædictæ reſpondentibus probare volumus. Dicimus enim, quòd ſi quiſpiam nobis aurum ex Æthiopia, quæ eſt calidiſſima totius orbis regio, iam expurgatum è ſua vena erutum adferret, deinde cum altero compararet quod ex Septentrionis frigidiſſima regione delatum eſſet, atque itidem fieret de auro in Oriente, atque Occidente eruto: ſingularum regionũ aurum repurgatum, eiuſdem precij eſſe comperietur, atque eundem colorem in Lydio lapide relinquet. Nam vi & calore ignis excoctũ cùm ſit, eius maſſa è Septentrione petita neque deterior neque purior erit ea quæ in Meridie nata eſt, neque vllo modo ab ea differet: atq. omne aurum è quatuor orbis partibus petitum, eiuſdem qualitatis reddetur. Reliqua metalla etiam perfectiſſimè repurgata, alterius ſunt naturæ: nam leui etiam iniuria alterãtur. At aurũ, licet in tenuiſſima & aranearũ telis ſubtiliora fila diductum ſit, atque inter maximè corrodentia medicamenta, ſublimatum, æruginem æris, ſal & acetum ſepultum, etiamſi iſtic bis mille annos permaneat, non ideo corrumpetur, quinimo perfectiùs expurgabitur. Quòd ſi quis forſitan iſta neget, nobisque animantia, plantas, vel earum fructus in exemplum adducat, fructus perfectiores in vna regione quàm in alia eſſe dicens, atq. animantia iſtic quàm alibi eſſe ſaniora, vel ferrum, calybem, æs, plumbum, argentum, præſtantiora & puriora in vno loco reperiri quàm in alio: ita ſe rem habere fatebimur; ſed etiam negabimus quidpiam in rerũ natura reperiri, quod æternum ſit, atque omnibus iniuriis ſic reſiſtat vt aurum. Nam omnia prædicta corruptioni ſubiecta, leui de cauſa mutantur, & bonam ſiue prauam qualitatem in ipſo ortu vel in interitu adquirunt. Hinc fit vt cùm maximè vigent, eadem non ſint. At aurum neque corruptioni neq. ſimilibus alterationibus eſt obnoxium: ſed quamdiu hæc

mundi

mundi machina consisteret, perdurabit: quinimo neque aër, neq. reliqua elementa, neque venti, neque mare, eius maturitatē promouent aut retardāt, sed sua natura tale est.

Prius quàm Syderocapsa discederemus, proximi montis celsissimi fastigium conscendimus, vnde apertè insulam Lemnon & Athon montem in mari mediterraneo sita conspeximus. Deinde ad Macedoniæ continentem nos obuertentes, regionem inæqualem & montosam esse videbamus, quantum oculorum acies prospicere valebat: binos præterea lacus, dimidij diei itinere inde distantes. Facilè etiam constrici poterant fodinarum loca, camini, atq. fornaces, hinc & inde per eos mōtes sparsa, cùm ad Orientem tum ad Occidentem. Insuper vtrumque littus ad radices montis Athou, qua parte Macedoniæ contiguus est, discernere poteramus: videbatúrque eius isthmus admodum exiguus: sed cùm istic essemus, plus quàm quadrante miliaris patere deprehendimus. Maxima pars arborum quæ sponte siluestres in montibus nascūtur, sunt ostriæ, fagi, Græcis oxyæ dictæ, quercus, castaneæ. Domesticæ siue hortenses, sunt pyri, mali, amygdalæ, iuglandes, oleæ, cerasi. Syderocapsæ pagus ab omni antiquitate viguit, postea aliquandiu neglectus fuit: sed ab hinc duodecimum aut decimumquintum annum, denuo valde auctus est. Istic superstitiosum fieri vidimus medicamētum, quod quoniam ipsi præsentes adfuimus, commemorare hic libuit. Turca quidam Iudæum splene laborantem curare volens, eius mensuram supra aluum, charta excepit, quam ad nouellam iuglandem deferens, ex ipsius cortice tantundem excidit, quanta erat splenis chartacea mensura: deinde obmurmuratis plurimis turcicis verbis, atque ceremoniis quibusdā peractis, ad Iudæum regressus, corticem eius aluo imposuit; deinde filo traiectum è camino suspendit, Iudæo affirmans eius malum diminutum iri, prout cortex exsiccaretur. Sed Turca nobis imperitus

medicus atque Anatomen minimè intelligere vſus eſt, qui ſplenis menſuram in medio aluo atque ipſo etiã vmbilico ſumeret. Iſtic duo Serpentum genera inuenimus, quæ nuſquam antè nobis conſpecta fuerant: Græci vulgari ipſorum lingua nobis Sapidi vel Sapiti nominabant, quæ dictiones plurimum accedunt ad eas quæ veteribus Seps vel Sips dicebantur. Pyrites ſiue Marchaſitæ Syderocapſæ appellationem Græcam cũ peregrina commutarunt: nemo etenim incolarũ eſt, quiſquis tandem ſit, ſiue peregrinus ſiue Græcus, qui Ruda non appellet. Aliy Quitz vel Kitz, Germanorum more vocãt. Excrementum verò, Latinis Scoria dictum, metallici, ſiue Seruiani, Bulgari, Albani, ſiue Iudæi, Turcæ aut Græci, illud vocant Schlackna, quæ appellatio potius Germanica quàm Græca nobis videtur. Aliud eſt porrò excrementi genus, à Schlaken differens, ab illis Lesken nominatum, grauius quàm Schlaken, quod ſpuma quædam ſpongioſa & leuis eſt, vti metalli ſpuma: nam eximitur innatans venæ auri & argenti fuſæ & colliquatæ, & abiicitur; quoniam nuſquã vbi metalla fundũtur, eius vſus eſt neceſſarius, nõ magis quàm alicuius excremẽti inutilis. Sed Leſken ſiue Leskena grauis admodum eſt, eiúſque vſus magis eſt neceſſarius: nã Germani & Bohemi aliis metallis illam permiſcent. Quemadmodum verò Stimmi, quod Latinis Antimonium dicitur, metallicum eſt vulgare, Lesken ferè in omnibus referens, eadem ratione atque ex eadem materia naſcens, videlicet ex Pyrite auri & argenti, valde vtile campanarum fuſoribus, iis qui ſtannea pocula conficiunt, præſertim verò ſpeculorum confectoribus, & typorum fuſoribus: ſic etiam illud Lesken aliis rebus mixtum vtile eſſe poſſet. Sed nemo eſt in Syderocapſa, qui eo vti velit: attamen certi ſumus commodiſſimè colliquari poſſe cum ferro ad tormentarios globos efformandos, qui præſtantiores inde redderẽtur, & multo minoribus

bus: sumtibus fieri possent. Nulli tamen illorum id indicare voluimus, quoniam grauiter peccasse visi fuissemus: quandoquidem eius tanta est in diuersis eius montis locis copia, vt facilè bis millies centena millia pondo colligi possent: eáque non modò vbi nùc excoquuntur metallicæ venæ, sed diuersis etiam eius montis locis in quibus olim excoquebantur. Aliud nomen indere nequiuimus, quoniam eius appellationẽ antiquã minimè intelleximus: nã Græci qui in metallicis venis versantur, pauca vetusta nomina retinẽt. Syderocapsæ incolæ, magnã foliorum eius fruticis quẽ Græci Rhus, Arabes Sumach appellarunt, colligunt; crescit enim in iisdẽ mõtibus: iis pelles & coria densant; vt Ægyptij siliquis cuiusdam arboris apud eos frequentis, Acaciæ vocatæ; Græci & Asiæ minoris quã Natoliã vocant incolæ calycibus Esculi: Illyrici myrto nigra: Gallì quercus corticibus: Lesby & Phryges piceariũ cortice. Et quoniã eo frutice abundant, lembos eius foliis onerant, atq. alìo transuchunt. Sed & eius fructũ diligenter colligunt, cui (postquã nonnihil desiccarunt) corticem illum tenuem & rubrum adimunt, abiecto duro qui subest nucleo, atq. per vicinos pagos vendunt ad condiendum & inspergendum eorum cibis, siue ij ex oriza constent, siue offæ, siue iuscula sint, aliáve eiusmodi edulia.

CAP. LIII.

Multarum aliarum rerum singularium in iisdem fodinis & circa eius regionis montes obseruatarum descriptio.

SPIRACVLVM deindè inspicere voluimus quarũdam fodinarum, quæ non multo antè præditiores fuerant, magnúmque censum domino, qui Iudæus erat, referre solebant; sed quas, tametsi metallis abundarent, deserere coactus fuerat ob dæmonem metallicum, qui illas obsederat: is quoniã in capræ aureæ cornua gerentis forma sese mortalibus ostenderat, idcirco spiraculo Hyartis cabron nomen inditum, quod in monte erat supra pagũ Pianitz appellatum, apud riuum nomine Rotas. Is dæmon adeò

malignus erat, vt nemo vel ſolus, vel aliis comitãtibus eas fodinas ingredi vellet: metus tamen eos cur minus ingrederentur haudquaquam impediebat: nã & alij ſunt metallici dæmones, qui, vt nobis relatũ eſt, minimè noxij erãt: ſed & alij erãt qui operas etiã iuuabũt. Machinæ quibus venã extrahũt, eiuſdẽ generis perpetuò nõ ſunt. Nã aliquando vena adeò profunda eſt, vt duobus equis ad machinã verſandam opus ſit: cùm verò non admodũ alta eſt vena, quatuor viri ſufficiunt. Interdum etiam ipſa vena in ſuperficie & aperto eſt. Metallici quondam venã colliquantes, plurimum circa ſuas fornaces laborabant, quoniam foramen quod in media fornace eſt, & per quod follium flatus exſpirat, cõtinuò obturabatur abs excremento metallico, ſic vt opus deſerere cogerentur. Sed quodam die peregrinus quiſpiam iſtac iter faciens experimentum eos docuit quo huic incommodo ſubuenirent: attamen illũ minimè prudentem exiſtimarunt, quòd gratis eos id remedium docuiſſet. Nam ſi precium artis petiiſſet, facilè illi omniũ nomine bis mille ducatos dediſſent. Remedium autem tale eſt. Caminus, vt diximus, die veneris ſub veſperam ſingulis hebdomadis diruitur, atq. die lunæ ſubſequente reſtauratur, qua temporis intercapedine fornax & focus frigeſcunt: anteriore camini parte reſtituta, magnam carbonis congeriem in imam fornacem coniiciũt, cui venam ſuperaddunt, deinde rurſus carbones; & ſic alternatim venam & carbones ſuperiniiciunt, donec fornax plena ſit. Id ſemper primaria vice facere ſolent; deinde ignem carboni ſubiiciunt, & aquam ſupra rotam immittunt; quæ verſata, folles qui ignem excitant, attollit, ſubitò carbones incenduntur, & paulatim dum abſumũtur venam colliquant. Iſta follium inflatio dies & noctes non intermittitur: abſumentibus verò ſe carbonibus & colliquante ſe vena, in fornacem iniiciunt album quendam lapidem, in parua fragmenta contuſum, ne ſpiraculum

lum in fornace obturetur. Splendens est hic lapis & arenosus: quem duplici nomine insigniunt pro nationum diuersitate. Nam Seruiani, Bulgari, Wallachi & Turcæ Varouittieos, *vel* Varouitnicos, *aut alia Græca appellatione* Assuest *vel* Asuest *dicunt. Is est lapis, qui illis, vt suprà dictũ est, demonstratus fuit: eúmq. ter aut quater singulis diebus in fornacem maiore aut minore quatitate inuicere debent, prout metallum colliquescens foramen per quod ventus exspirat, obturat. Pagus est supra Syderocapsam in summo montis vertice, qua Orientem spectat, situs, nomine Piauits, admodũ incommodo loco, propterea quædam duntaxat tuguria habet, tignis & asseribus tecta. In ipso monte magnos Scoriæ siue Schlaken acernos supra Piauits inuenimus. Et quoniam à riuulis procul abest, subdubitauimus, an olim venti beneficio, & non aquæ vterentur ad fornacem incendendam. Nam cùm nullum istic riuum conspiceremus, metalla autẽ istic fuisse colliquata certissimum esset; cogitauimus tunc ignotum fuisse vsum adaptandi rotas, quæ nunc vi aquæ versatæ inflant folles qui ignem incendunt ad colliquandam metallicam venam, sed folles hominum labore agitari solitos. Sciebamus tamen, veteres in extrahendis & repurgandis metallis magna commoditate vsos, atque eorum magnam quantitatem colliquasse. Istic incidimus in pueros quosdam Græcos qui Ericæ genus colligebant, quod tota Græcia vulgari nomine* Phana *dicitur. Cùm verò qua ratione inter se Erica & Phana differrent, scire cuperemus, facilè nos vnica nota edocuerunt. Nam Phana collectum profecturi, ad ignem struendum, nullum instrumentum ad eam eradicandam circumferunt, quoniam facilè & minimo conatu cũ suis radicibus quæ summa tellure sparguntur vt in cisto, & ligustro, euelli potest: erica verò minimè, quæ sine ligone euelli haudquaquam potest. Ad radices verò montis, alius est ingens pagus Se-*

riné dictus, à quo mare veteribus Chalcis dictum, duntaxat quadrante miliaris distat: portus istic est satis tutus carinis, in imo litore eiusdem sinus, Chalcis nomine dicti. Plus quàm sex hominum millia vt plurimum laborant in fodinis Syderocapsæ: quoniam autem Scriné pagus fere mari cõtiguus est, & fornaces illi vicinores sunt, operæ eò confluunt, annonæ comparandæ gratiæ, quæ variis locis istuc nauibus infertur. Postquam tota hebdomada colliquatum est metallum, atque cui cura commissa est redditum, plumboq; ab auro & argento separato, bene repurgata sunt: superest vt ab inuicem aquæ fortis beneficio seiungantur. Et licet aurum purum sit, iterum tamen repurgatur ea qua ante diximus ratione: deinde in laminas funditur, illæq; in virgas duarum orgiarum longitudinis, & digitalis crassitudinis & rotũditatis: hæ deinde paruis & leuibus sulcis designantur, vt cultro & malleo in paruos orbes põderis vnius ducati scindi queãt: qui postmodum magis complanati ad libram appenduntur, cuduntur, & in ducatos exprimuntur eodem ipso loco: postremò Constantinopolim deferuntur.

Lacus illis vulgari nomine Peschar vel Conios dictus, solummodo duorum dierum à Saloniki, & dimidij diei itinere à Syderocapsa distat. In eo varia piscium genera inueniuntur, quæ sigillatim obseruare voluimus. Capitur in eo piscis quidam ab incolis Laros appellatus, à quo auis Græcis λάρος dicta, nomen sumsit, quòd eo pisce plurimum delectetur. Latinis Gauia, Gallis Mouette, Diepanis & Noui portus incolis Mauue. Retulimus alium piscem, illis Claria dictum. Eũ cùm publicè ostenderemus, conueneruñt plurimi Iudæi, qui eũ squammis præditum affirmabant, eamq; ob causam illo vesci ipsis licere (etenim Iudæi, quocunque loco habitent, nunquam piscibus vescuntur qui squammis carent) Sed cùm nullas squammas in Claria conspiceremus, in summã dubitatio-

bitationem illos coniecimus, imo in talem inter sese altercationem, vt parum abesset quin pugnis & verberibus se mutuo exciperent. Qui recèns ex Hispaniis aduenerant, alios accusabãt, & istã consuetudinẽ improbabant. Quidam eorum sacerdotes qui istic aderant, piscem accuratiùs considerantes, quædam squammarum rudimenta in pisce deprehenderãt. Tum in eam sententiã ab illis itum est, sine scrupulo illis licere eo pisce vesci. Attamen nullas squammas Clariam habere obseruauimus, estq; is quem Lugdunenses vne Lotte, Parisienses autem vne Barbotte appellant. Inuenimus etiã piscículũ ab incolis Liparis, hoc est, pinguis, vocatũ; quẽ Auctores minimè descripserunt, & solum eius nomen apud Plinium exstat. Reliqui pisces qui in Couio lacu capiũtur, ab incolis Peschar, Redina, & Couios, iuxta ripas lacus habitantibus, vulgari proprio nomine dicuntur, Perchi, Plesti, Platanes, Liparres, Turnes, Grinadi, Schella, Schurnuca. Posustaria, Cheronia, Claria, Glanos. Vidimꝰ etiã alios piscículos marinos, qui ad ostia riuuli cuiusdã capiũtur, in forũ delatos: Græci nominant Gyllari; quẽ ab Euthydemo Gelarin appellatũ existimo: sed ij pisciculi nihil aliud sunt quàm parui muli, quos Propõtidis accolæ Cephalopola vocant. Cũ valles eius prouinciæ humidæ sint, & regio sit mõtana, omnes capillares herbæ, Asplenõ, Lõchitis altera, Cotyledõ, et reliquæ quæ humiditate gaudẽt, libẽter innascũtur. Cotyledon autẽ siue Vmbilicꝰ Veneris, adeò rarus non est, quin in plurimis Galliæ locis reperiatur: quoniã tamen eũ florentẽ exprimi iussimus, et à nemine adhuc exhibitus est, eius picturã hìc subiecimus. Harũ stirpiũ nomina recẽsuimus, nõ quòd istic plura alia genera nõ nascãtur: sed quia cũ istic essemus, plures nõ adnotauimus. Et vbicũq. tandẽ fuerimus, animaduertendũ est, me singulis diebus scripsisse, quæ in hoc libro annotauimus. Quando autẽ stirpium quas singulis diebus conspiciebamus nomina memoriæ man-

mandare volebamus, singularum ramulos aut folia in sacculum diligenter inferebamus, & cùm sub vesperam in diuersorium aduenissemus, aut in vmbra quiescereмus, singulas ex sacco eximebamus, & describebamus, vt hic videre est: quæ adeò causa est, vt multarum vulgarium & omnibus notarum nomina, tum supra recensuerimus, & infra adhuc referemus. Idcirco autem illa sic descripsimus, vt notum faceremus, ea non minus in iis locis quàm apud nos inueniri. Sed & instrumentum ferreum semper circumferebamus, cùm vt stirpes erueremus, tum vt serpentes è terra educeremus, cùm eos in sua foramina irrepsisse conspiceremus.



CAP. LIIII.

Plurimorum ferorum animalium nomina.

REQVISITI eius regionis incolæ vt earum ferarum quas in planis & montibus errare cognouerunt, propria nomina vulgaria nobis indicarent, ea sic retulerunt: Platagoni, Gouuidia agria, Agrimia, Zarcadia, Agriomochtera, Squamzocheros, Laphi, Alopus, Lycos, Lagos. Per Platagoni, nostras Damas intelligunt; per Gouidia agria, boues agrestes & feros; per Agrimia Capream siue Bouceſtain Gallorum; per Zarcadia capreolos; per Agriomochtera Aprum; per Squamzocheros histricem, vel erinaceum; per Laphi ceruum; per Alopus vulpem; per Lycos lupos; per Lagos lepores. Quoniam porro ea Gallicè vel Latinè exprimere satis difficile esse scimus, non alienum ab instituto nostro existimauimus, nonnihil de illis scribere, initium à Capreolo facientes, qui in montanis frequentior est quàm in planis.

Zor-

Zorcadia igitur appellationem ad Dorcada accedere videmus. Solinus Capream Latinè describens, Gallorum Bouceſtain intelligit. Attamen Theodorus Plinium ſequutus, Ariſtotelem Latinè exprimens, pro Dorcadæ ſemper Caprea reddidit. Omnino tamen liquet, Gallorum Cheureul (quem Romani Italica dictione Capriolo vocant, cuiuſque carnes hieme Romæ ad libram væneunt) exigua ramoſa cornua geſtare, ceruinis ferè ſimilia, quæ ſingulis annis decidunt. Corpore ceruum refert, niſi quòd minor ſit, & hanc peculiarem notam habeat, quòd caudæ omnino careat, quod etiã ab Ariſtotele eſt annotatũ. Eum Ariſtoteles Dorcada appellauit. Probare autẽ volumus, cõuenire cũ eo animali quod Plinius Capreã nominat, niſi quòd in textu nõnulla appareat difficultas: ſed nulla erit ſi „ *hoc modo legatur: Capreis ramoſa dedit natura, ſed par-* „ *ua (deinde pro nec legendũ &) & fecit vt ceruis decidua.* „ *Ariſtoteles in eandem ſententiam de Capreolo ſcribit,* *Inter cornigera, inquit, omniũ quæ explorata habemus,* „ *minimũ Dorcas eſt, in ceruino quoque genere numeran-* „ *dus; vt qui cornua habeat omnibus annis decidua. Græci* „ *diuerſis appellationibus nominarunt: nam quibuſdam Dorcas dicitur, aliis Zax, vel Dorx, vel Dorcalis. Columella Capreolum dixit. Videmus igitur Cheureul Gallorum, veteribus minimè fuiſſe ignotũ, cuius cùm appellatio omnibus ferè locis vulgaris ſit, omnibus notus eſt. Gallorum Chamois, qui Græcis Cemas dicebatur, Rex veteri dictione Gallica Yſard appellat, Latini Rupicapram nominarunt; quòd eius habitatio ſit in duris & aſperis ſaxis, quò ſe noctu recipit, atque etiam interdiu, poſtquam conuallium herbas depaſtus eſt. Vt autem de quonam animali agimus omnes intelligant, eius iconem ad viuum expreſſam hic ſubiecimus.*

Si huius Yſard aut Chamois cornua ramoſa eſſent, dici poſſet Plinium hoc animal intellexiſſe cùm de Caprea loquens,



quens, sic ait, Nec fecit vt Ceruis decidua: nam hieme cornua non abiiciũt, vt nec Gallorũ Bouc-estain: sed cùm ea ramosa non habeat, Caprea esse non potest. Corpus quidẽ Capreoli habet, & pilorũ colorẽ etiam similẽ, diuersæ tamen est naturæ. Eius cornua sunt nigra, parua, rotunda, ad frontem inter oculos erecta, extremitate incurua: hinc fit vt sæpenumero accidat eum mori, dum nates scabere volens cornua adèo altè infigit, vt ea denuo eximere nequeat; vnci enim instar incurua sunt. Minore est corpore quàm Dama aut Bouc-estain, atra linea spinæ dorsi longitudinẽ notante. Eius aures arietinis longiores sunt, color giluus; atramque lineam vtrinque habet recta à cornuum radice supra oculos ad extremum os ductam, & in labro superiore desinentem. Frontem etiam veluti stella insignitam habet. Caudæ superior pars nigra est, & satis pilosa, rotunda, & vt Dorcadis longa. Gallica appellatio Chamois nobis recens non videtur, sed à Græca Cemas deducta, cuius Aelianus meminit. Nobis præterea agendum est de alio huius generis animali, cuius nullam aptam Gallicam appellationem inuenientes, veteri quo Auctores donarunt nomine exprime-

re

re coacti sumus, quod ex Hirco & Cervo compositum est, nempe Tragelaphus. Simili pilo præditus est quo Gallorum Bouc-estam, sed nullam habet barbam. Eius etiam cornua non sunt decidua, similiaque sunt Caprę cornibus, quæ interdum contorquentur vt in Ariete. Os, anteriorem frontis partem, & aures Arietinis pares habet, præterea etiam scrotum, quod amplum & propendens est. Quatuor crura illis etiam similia, alba; coxæ sub cauda albæ sunt, cauda nigra. Colli superior & inferior pars atque pectus adeò longis pilis obsita sunt, vt barbatus videatur. Villi autem in scapulis & pectore oblongi, nigri: vtrimque in lateribus maculam cinerei coloris habet: nares nigras, os album, vt & totam inferiorem alui partem. Cetervm quoniam postea de Hippelapho agemus, sciendum est, Franciscum. 1. Regem equum habuisse, qui posteriores corporis partes Ceruinas haberet, ideoque plurimos cogitasse Hippelaphum vocari debuisse: sed id fieri nequit. Aiebant porrò eundem equum à cervo qui in silua equam iniisset fuisse prognatum, quod Hippelaphi non est: Nam Hippelaphus animal est sui generis, quale postea dicemus. Superest vt Tragelaphi iconem proponamus, quandoquidem nusquam alibi conspecta est.

Diximus Græcos vulgari lingua Damas Platagoni nominare, quas Veteres platycerotas nuncupabant: attamen Platyceros vocabulum in Aristotele non inuenitur, sed semper Prox dixit, quod interpretes Dama verterunt. Corpore quidem Cervũ refert, & Capreolo maior est, sed colore differt. Dama minus caput habet Cervo: cornua illi etiam omnibus annis decidua vt Cervo, quæ antrorsum protensa habet præter aliorum consuetudinem: giluam habet dorsi spinam, atramque lineam secundum dorsi longitudinem excurrentem: cauda longa est, ad poplites vsque propendens, vti vitulo. Sæpè accidit vt eius latera candidis maculis aspersa sint, quæ vetustate pereunt: accidit



dit etiam ſæpenumero vt feminæ omnino albæ ſint, ſic vt capræ exiſtimari poſſent, niſi pilum admodum breuem haberent. Oſtenduntur eius cornua ingentis magnitudinis variis locis, qualia ſunt ea quæ in gradibus & aſcenſu Amboſianæ arcis conſpiciuntur. Iſtic etiam conſpicitur effigies in lapide expreſſa alterius animalis huius generis, cui adpoſita ſunt vera ipſius animalis, quod effigies refert, cornua: cuius rei vt mentionem faceremus, operæprecium viſum eſt; arbitramúrque id eſſe animal quod Ariſtoteles Hippelaphum nuncupauit, quandoquidem barba præditum eſt vt Bouc-eſtain Gallorum. Vt vt ſit, animal fuit admodum rarum; & niſi in Gallia conſpectum eſſet, eius ſtatuam cornibus ipſius animalis impoſitis in ipſo Regis palatio erectam iri non arbitramur.

CAP. LV.

Profectio à Syderocapſa in Bucephala. De flumine Strymone, & piſcibus qui in eo capiuntur.

MARI *iter facientibus è Syderocapſa in Caualla vrbem, quæ antiquitus *Boucephala dicebatur, dimidio duntaxat die opus eſſet: ſed terreſtri itinere proficiſcentibus duo integri dies inſumendi, diúque maris litus legen-*

legendum est: nam iter instar arcus inflexum est, quoniã sinus profundus est, Chalcidis sinum & Strymonium continens. Herbis & fruticibus abundat. Androsace, Chamæsyce, Soldanella aliàs Thalassocrambe dicta, Tithymalus myrsinites & paralius adeò frequentes sunt in litore, vt nihil illis sit vulgatius. Mare nobis ad dextram erat, & Continens ad lævam. Interdum superandi fuerant colles exigui, in quibus Terebinthi nequaquam in celsas arbores excrescunt vt in Corcyra insula: sed ob regionem asperam & saxeam, Coryli altitudinem non superant. Altiores quas cõspexi arbores fuerunt Aria & Phylica, quæ quoniã apud nos non nascuntur, Gallica appellatione carent. Ad littus reuersi, & nonnihil in siluas declinantes, sub Cornis & Fraxinis iter faciebamus, nõ multo humilioribus quàm sint Abietes. Riuum qui è lacu Peschar siue Conios effluit, transiuimus sicco pede ad ipsum maris litus, quoniam media æstas vigebat, & aqua sub arena effluebat. In planitie substitimus ad eundem riuum sub vmbra præcelsarum Terebinthorum non procul à maris litore, & iam sub noctem piscatores inuenimus, qui vno sagenæ tractu, circiter sexaginta piscium diuersa genera ceperunt, quos illico obseruauimus & descripsimus. Sinus monti Atho proximus, aliàs Strymonius dictus, adeò amplus est & altus, vt integro fere die secundùm illum iter fecerimus: paulo post illo relicto, per continentem defleximus versus vrbem Tricala, olim Trica dictam, vbi nũc sedes est Sangiac vel Præfecti Macedoniæ, eaq; vrbs nunc è primariis totius regionis est, in qua magna tritici quantitas inuenitur ad naues onerandas quæ ad Strymonis ostium appellunt, à quo vrbs non procul abest. Strymonis flumen, quod è Tricalæ vrbis cõterminis fluit, inuenim⁹. quod multã nũc vulgaria habet nomina: nã vbi in lacus exspatiatur, à pagis vicinis nomẽ sumit. Plurimi Cygni, aliq; aquaticæ aues eiusdem magnitudinis, quas

Aristoteles Pelecanes, & Plinius Onocrotalos vocauit, istic conspiciuntur, qui in illo flumine alimentum sumũt: Lentum est attamen, non profundũ, & humiles ripas habet, quamob rem admodum herbosum est: tribulus aquaticus tanta abundantia istic nascitur, vt non absre scripserint veteres, suo tempore equos istic ali solitos tribulis. Latum est nonnullis locis, in quibusdam etiam valdè angustum. Eius cursus frequentibus cataractis retinetur, vt molas versare possit, quemodmodum in Galliæ fluminibus fieri solet. Rotæ autem ab aqua per alueum ductæ versatæ non sunt, sed similes iis sunt quas molæ in Ligeri natantes habent, nisi quod ex angustioribus asseribus cõfectæ sint. Molitores Græcè loquuntur, à quibus piscium quos in eo flumine capiũt, nomina didicimus vt sequũtur: Cherisсaria, Cephalos, Glaignon, vel Glanos, hoc est, Silurus, aliàs Hyena, Platanes, Challi, Turnes, Grinadies, Moustacatos seu Mystus, qui Barbeau Gallorum est. Anguillæ sunt insignis magnitudinis. Id flumẽ etiã Marmara vocatur, quoniam magnum pontem ligneum habet sub pago Marmara, quem Abrahim Bassa extrui iussit, & quòd ante pagum, magnum sit stagnum eodem nomine Marmara dictum. Plurimæ naues veluti è Ragusa, Chio, è Græcia, Venetia, ac interdũ ex Aegypto huius fluminis ostium ingrediuntur: & istic breui tempore tantum tritici reperiunt, quod ad eas onerandas sufficiat. Aduehunt verò merces earum regionum vnde solueruñt, ingrediuntúrque fluminis ostium integro fere miliari, atque interdum bimestri hærent hiemali tempore: & postquam merces quas aduexerãt venundatæ sunt, & tritico, lana aut coriis sunt denuo onustæ, primo vere ad suos reuertuntur. Rudera cuiusdam vrbis ad Strimonis ostium conspiciuntur, quæ nunc planè deserta est, quam rustici incolæ Chrysopoli nominant. Plinius tamen Chrysopolim non procul Chalcedone ponit.

Con-

Conſpectum deinde iuimus vrbem vulgo Ceres nuncupatam, veteribus Cranon, amplam in planicie Thraciæ, & quaſi in Macedonia ſitam; in qua binos duntaxat dies cõſtitimus: ex Ceres in Tricala profecti ſumus; & è Tricala noſtrum iter conuertimus vt in vrbem Philippi veniremus, ad latus habentes magnum montem vulgo Deſpota nuncupatum. Maxima planicies erat, frugũ fertilis, & alueis irrigata, multisq; pagis exculta. Ad dextrã Pangæum montem reliquimus, in quo etiam nunc argenti vena eruitur. Omnes Tricala & Ceres incolæ Græca vulgari lingua vtuntur; ſed Iudæi qui eas etiam incolunt, Hiſpanicum & Germanicũ idioma callent. Ruſtici Græcè & Seruiane loquuntur. Cùm in Macedonia eſſemus, nullam vnquam vrbem, aut pagum adiimus, in quibus ruſtici Selinum noſtrum vulgare nobis non vocarint Macedoniki vel Macedonico: eodẽ nomine in aliis Græciæ locis dicitur, excepta Cypro, vbi Condomalo appellatur: ſed Eleoſelinum quod vulgo apium dicitur, ab omnibus in genere Selino nuncupatur, idque humidis locis diligenter colunt, atque crudo veſcuntur. In Philippi proficiſcentes, & per ſodinas Caſtagna iter facientes, intelleximus eas duntaxat argentum & plumbum dare, & interdum paululum quiddam auri: ſed eas duntaxat, in tranſitu conſpeximus, nec ibi ſubſtitimus. Quæcunque loca ante peragraſſemus, viſcum in Quercubus naſcens nunquam videre contigerat: ſed iter facientes per ſiluam quæ eſt in planicie in extimo ſinu Chalcis nuncupato, magna copia inuenimus. Nulla quercus eſt inter montem Athon & vrbes Ceres & Tricala ſecundum publicam viam quæ viſcum non alat, quod differt ab eo quod in malis, pyris, & aliis arboribus naſcitur, & ab omnibus ruſticis Oxo nuncupatur: nam tenaciſſimum viſcum ex eius baccis faciunt. Eius prouinciæ culta arua, præſertim quæ circa radices colliculorum ſunt, plurimum corrum-

puntur Paliuri & Rhamni fruticibus: nam serpendo per cultum solum, multum loci occupant.

*De hac vide nostri Abrahami Ortelij Thesaurum Geographicum, in dictione Bucephalos.

CAP. LVI.

Plurimarum antiquitatum & ruderum vrbium Macedoniæ descriptio, atque de Philippi & Philippopoli.

DVORVM *duntaxat dierum itinere à Trica siue Tricala distant Philippi rudera, quæ vrbs nunc omnino corruit: vix antè triũ dierũ iter est à Philippis Philippopolis, quæ etiam ampla vrbs est in Macedonia. Sed quoniã Macedonia fluuio Strymone includitur, Auctores in Thracia eã reponũt. Philippopolis antea πονηρόπολις dicta est: sed quoniã Philippus Alexandri pater eã plurimum auxit, vtramque suo nomine appellauit, vnã Philippos, alteram Philippopolin. Philippi sita erat, vt & nũc est, regia via quæ Roma Constantinopolim & in Asiam ducebat per continentem, verùm non procul à Mari abest: At Philippopolis in continenti sita est. Regia via, Romanorum tempore, euntibus Roma Constantinopolim ducebat Brundusium, deinde traiiciendum erat Hadriaticum mare, & appellẽdum Velonã aut Dyrrachium, deinde Philippos proficiscendum erat, postea in Bucephala mare denuò conscendendum, & deinde in Alexandriam Troadis appellendũ. Biduo hæsimus ad conspicienda Philipporum rudera, vbi nunc duntaxat pagus est, continens quinas aut senas ædes extra muri circuitũ, apud aquam exstructas. Idem est Philipporum situs eademque structura qualis in Philippopoli. Nam Philippi magnam planiciem cingit, & proximi montis partem vsque ad ipsum fastigium, vbi murus desinit in arcem elegantis structuræ in ipso monte sitam, quæ cisternas adhuc integras retinet. Philipporum muri, ferè omnino diruti sunt, qui ex lateribus & calce constabant, & nonnullis etiã locis quadrato lapide, sed neque vallo neque fossa muniti. Huius*

vrbis

vrbis meminit Galenus: nam cùm Troia, quæ tum Alexandria dicebatur, Romã proficisceretur, ea via, quam ante diximus, inceßit. Nam poßquam Lemnon reliquißet, per vrbem Philippos iter illi faciendum fuit, quæ in plano ßita eßt ab Orientali parte, montem verò ab occidente habet, qui illi propugnaculi loco eßt. Planicies adeò humida eßt, vt quodammodo palus videatur: ißtic Althæa flauum fert florem, quemadmodum ea quam Theophraßtus apud Athenæus Orchomeno lacu naßci refert. Cytißus frequens admodũ eßt in Thraciæ & Macedoniæ pratis: quẽ neque Gallia, neque Italia alit. Nullus locus eßt, vbi maiora marmorea ßepulchra conßpiciantur per agros ßparßa, quàm in Philippis: ßolido enim & puro marmore albo conßtant. Reßtant adhuc variis mõtis locis pleræque inßcriptiones rerum à Romanis geßtarum in marmore Latinis literis incißæ. Inßula Taßso dimidij diei ßolùm itinere inde dißtat, ex qua eruebatur candidißimum & elegantißimum totius orbis marmor: atque arbitramur marmorea illa ßepulchra per agros ßecundum publicam viam ßparßa, ex Taßso fuißse delata. Inter illa verò nullum reßtat magis integrum, quàm quod medici Alexandri fuit, in quo adhuc eius epitaphium conßpicitur inßcriptum characteribus Græcis, ßed ex parte corruptis Seruianicis; quæ caußa eßt vt difficulter legi queat. Quemadmodũ verò ßepulcra vnico conßtãbãt lapide excauato binas orgyias lõgo, dimidiam orgyiam lato, atque humana longitudine alto: ßic operculum habebant vnico lapide conßtans. Excellentia & amplitudo vrbis æßimari poteßt magno illo ßepulchrorũ numero: nam antiquitus opulenti Græci recondebantur marmoreis ßepulchris extra vrbem in apertis agris, ne vrbis incolæ peßtilentem cadauerũ odorem haurirent: Græci etenim cadauera non vrebant, neque terra ßepeliebant vt in Italia, vtque nũc in Gallia ßolemus. Itali porrò aliam ßepeliendi

cadauera consuetudinem iam habent à nostra diuersam: nam fornicatas criptas variis templorũ locis exstruunt, quæ vnicũ in summo foramen habent, in modũ oris putei fabricatũ, quod vnico orbiculari lapide claudunt: habet verò is lapis ferreum annulum appensum, quo cùm opus est, subleuari possit. Cùm autem cadauer adfertur, in criptam per foramen demittitur, nulla terra superiniecta: deinde foramen denuo clauditur suo lapide, calceque in circuitu munitur. Pagus est in planicie, quadrante miliaris à Philippis, nomine Bolisce, vbi ingens marmoreum saxũ vidimus cùm hac inscriptione: Neuiæ mulæ in testamento, quo apud puteum aluei loco ad aquam excipiendam vtuntur

Paulo vltra Philippos secundum regiam viam ingens lapis est quadragulus erectus instar suprema partis obelisci cuiusdam, Latinis literis inscriptus, sepulchrum olim C. Vibij Cor. Quarti. Fabulosa quædam de eo incolæ narrant, equæ Alexandri magni præsepium esse existimantes: per equam autem Bucephalus intelligendus est. Ad eum lapidem vti rarum quidpiam conspiciendum nos deduxerunt. Ingens autem & oblongus, erectus & summa parte excauatus. Vrbs Bucephala quæ ab Alexandri equo nomen sumpsit, vicina est, de qua postea. Philipporum ruderа & ruinæ non minus sunt admirandæ quàm vllius alterius vrbis. Sed id lapidum commoditati tribuendum iudicamus, cùm ipsa marmoris fodina siue latomia ipsius vrbis muris sit inclusa. Pulcherrimũ istic est Amphitheatrum, quod in hunc vsque diem integrum conseruatum est: possetque in multos adhuc annos perdurare, nisi Turcæ gradus, qui marmorei sunt, auferrent. Quali forma non est exstructũ, vt quod in Otricholi aut Roma conspicitur: sed sphærica est figura veluti Nemausense aut Veronense: vndique etenim clausum non est. Qua aditum præbet, meridici obiectum est, atque à sum-

mo

mo ad ſolum vſque apertum eſt, & lumen admittit. Loco admodum commodo extructū fuit: nam in ipſo monte variis locis gradibus marmoreis inciſum eſt. Antiquiſſima quæ iſtic reſtant vetuſtatis monimenta ſunt quatuor ingentes & craſſæ columnæ, quæ templi Diuo Claudio dicati ſunt reliquiæ, in quo conſpiciuntur adhuc plurimæ marmoreæ ſtatuæ & columnæ Dorici & Ionici operis, inſignis ſtructuræ & ſummi artificij.

Nacti Caloïerum è monte Caſtagna, Philippis diſceſſimus, vt quatuor monaſteria in eo monte ſita conſpiceremus. Alit verò is mons Platanos, Fagos, Arbutos, Andrachnes, Ilices, Ariam, Alaternum, Abietes, Pinaſtros, & Eſculos. Cornus femina veteribus Macedonibus, quam Galli Latinos imitati Sanguineum fruticem appellant, haud minor in eo monte naſcitur, quàm maiores noſtræ Corni mares.

CAP. LVII.

Bucephalæ vrbis, olim Chalaſtrea, nunc verò la Caualla nuncupatæ deſcriptio.

POSTQVAM *biduo integro per eum montem iter fecimus, vno die & ſemiſſe in vrbem Cauallam peruenimus, quæ olim, ante quam Alexander Bucephalam eam nuncuparet, Chalaſtræa dicta fuit: nec Philippos nobis regrediendū fuit, ſed ad ſiniſtrā reliquimus. Caualla vrbs eſt à Bucephalo Alexādri equo ſic denominata. Plerique ex Plinij lectione in dubium venerunt, in qua potiſſimum prouincia exſtructa eſſet Bucephala. Nam cùm Indum fluuium deſcribit, Bucephalam ait caput fuiſſe Aſenorum trium vrbium incolarum, Alexandri regis equo (cui fuerat hoc nomen) ibi ſepulto conditū. Sed idem Græciam deſcribens, ſub finem capitis in quo de Achaia agit, Bucephalū portū eſſe ait, quē Anthedoni cōiungit. Mela etiam Græciam, præſertim autem Ma-*

Canaſtræarum promōtorium.

Plin. lib. 4. cap. x.

Lib. 6. cap 2o.

Lib 4. cap. 5.

Lib 2. cap. 1.

cedoniã describens Anthedonis meminit; & paulo pòst Peloponesi sinus & promõtoria recẽsens, Bucephalõ ab Oriẽte numerat, vnde liquet Bucephalon fuisse promontorium vel sinum. Sciendum porrò est, Bucephalam Græciæ vrbem esse in promontorio sitam, quod in mare prominet, atque à Philippis duobus duntaxat miliaribus distare, & nunc amœnam habitationem præbere, tametsi paulo antè omnino deserta & diruta esset. Nam postquam Turcæ è bello Vngarico redeuntes, omnes Iudæos quos Budæ, Pestæ, & Albæ regali inuenerant, abduxissent, & in Cauallam, Tricalam siue Tricam, Ceres siue Cranon colonias deducere iussissent, semper deinde habitata fuit: sic vt plures quàm quingenti viri cùm Iudæi tum Græci & Turcæ istic viuant. Eius situs Lemni vrbis situi ferè similis est: nam ita vndique mari cingitur præterquam posteriore parte, quæ admodum angusta est. Magnum habet portum, sed malè fidum: eam ob causam biremes & lembi & celoces (si diutius istic hærere debeãt) in siccũ educi solent, quoniam multis ventis expositus est: in necessitate tamen naues in eo tempestatem etiam ferre possent, sed admodum affligerentur. Plurimæ etiamnum integræ cisternæ supersunt intra vrbis ambitum, quæ nobis alias veteres Cretæ ruinas in memoriam suggerebant, nomine Helenico paullo Castro, in monte sitas paulo supra Quissamus. Eæ cisternæ adeò tenaci rudere sunt exstructæ, vt non minùs marmoreo saxo sint duraturæ. Caualla vna est è Macedoniæ clauibus, vti Philippus dicere solebat Magnesiam Græciæ esse clauem.

CAP. LVIII.

Muros qui supra Cauallam adhuc supersunt, Macedoniam à Thracia dirimere.

EXSTRVCTVS fuit aliquãdo validus murus supra Cauallam summo montis vertice, qui etiamnũ integer cõspicitur quadrante ferè miliaris longus: certum est eum Thra-

Thraciã à Macedonia diremisse, hoc est, vtriusq; prouinciæ dominiũ. Nã Cosmographi Philippos & Philippopolim è Macedonia excluserunt: quæ tamen vrbes capita erãt territorij Macedonũ, licet cis Strymonẽ amnem sitæ sint. Murus ille qui supra Cauallam iter præcludit, in fornices exstructus est, binósque interius meatus habet, illi muro ferè similes qui Romæ à Diui Petri templo ad Diui Hadriani molem siue S. Angeli arcem deambulacri in modum extructus est. Extremum murum in summo montis vertice claudit crassa turris, quæ propugnaculi vicem præbebat aduersus Thraciam. Pauci sunt anni quòd Abrahim Bassa aquæ ductum restituit, qui à Macedoniæ Regibus aliquãdo exstructus fuit, per quẽ fons decurrit plus quã tribus inde miliaribus ad Cauallã vrbẽ vsq;: scaturiginẽ enim habet in præcelso quodam monte, eúsque semper latera per canalem stringit, donec ad vallem quandam perueniat, quam vt superaret, præaltarũ fornicum structura opus fuit, vt in vrbem deduci posset: triginta enim orgyiarum altitudinẽ eæ fornices superant. Ob summam porrò huius aquæ fontanæ commoditatẽ, admodum populosa reddita est hæc vrbs, quæ ante deserta erat. Tassos insula, in qua olim triremium Alexandri statio fuit, duobus duntaxat miliaribus à Caualla distabat. Idem Bassa vrbem etiam nouis mœnibus cinxit, in quibus lapides conspeximus Latinis literis inscriptos, eo quo Romani Græciæ dominabantur tempore. Vnam inscriptionem quæ ad basim crassi cuiusdam muri erat, sic excepimus: P. Hostilius P. S. L. Philadelphus petram inferiorem excidit, titulum fecit, vbi nomina cultor scripsit & sculpsit. Sac. Vrbano. S. P.

CAP. LIX.

Nulla apud Turcas esse diuersoria; sed Nosocomia inueniri, ad quæ diuertere liceat.

SIGNIFICATVRI *nulla apud Turcas esse diuersoria, de magno quodam ædificio agemus, quod Abrahim Bassa in Caualla exstrui curauit, proprio nomine à Turcis Carbachara dicto (cui templum siue Mosquitam adiunxit) ad omnes qui istac iter faciũt excipiendũ, & educandum. In eo, cùm essemus solummodo tres numero, cum nostris iumentis per tres dies commorati sumus, & necessaria accepimus, sine vlla eorum qui huic præsunt, molestia, idque gratis. Sæpius de hoc vocabulo Carbachara agemus: esto itaque hoc exemplar reliquorum. Nos Gallicè alio nomine efferre non possumus quàm Carbachara: quoque commodius intelligi queat, statuendum ante omnia est, nulla esse in iis prouinciis quæ Turcæ imperio subsunt diuersoria, aut loca quæ iter facientes excipiant, nisi publica illa ædificia Carbachara appellata; quæ diuersis rationibus exstructa fuere, inter quas hæc maximè est vsitata. Satrapæ qui in Turcarum Imperatoris aula vel aliqua alia ratione opulenti euaserunt, pium aliquod opus dum adhuc in viuis sunt facere volentes, quod ad ipsorum salutem conferre credant, tales structuras pio quodam zelo fieri curant: nam nemo ex sanguine coniunctis illis notus est, cui beneficium aliquod præstare velint. Eius rei causam alias dicemus. Talibus ergo structuris summum aliquod bonum se facere existimantes, publicæ vtilitatis gratia, multas egregias structuras restituunt, veluti elegantem aliquem pontem, vel amplum xenodochium Carbachara dictum, cui magnificum aliquod templum Masquitæ appellatum, adiunctum sit, & huic proximum aliquod balneum. Atque vt iis quibus in xenodochiis & templis distributa sunt officia, suppetant necessarij sumtus, vt sunt qui impenduntur in comparandis*

randis lignis ad focũ, stipendia sacerdotibus qui preces faciunt persoluenda, coemendis cera & oleo quorũ in templo vsus est, aliisq; rebus ad culinam necessariis & in hospitum alimentum cedentibus, annuos census instituere solent. At iis qui hospitio excipiuntur, omnẽ supellectilem circumferre necesse est, vti culcitras, lectũ, & lineos pannos, aliáque eiuscemodi: nihil enim istorum illic præbetur, præter cubiculum aliquod exiguum & inane: sed singulos iis quæ attulerint vti necesse est. Illico postquam aliquis appulit, supellectilem suam explicat: & si aqua opus habeat, eam eodem quod attulerit vasculo ferre debebit: atque cum offa in Carbachara cocta est, quisquis ea vesci volet, suam scutellam præbere debet. Sed dãtur etiam carnes & panis. Nemo istic excluditur, siue Iudæus sit, siue Christianus, siue Idololatra siue Turca. Quoniam porrò Turcæ suas offas, siue pultes propriis nominibus exprimunt, sigillatim indicare voluimus, quid facientibus iter erogare soleant. Imprimis liberaliter pultem præbent ex Trachana, vel Bohourt, vel Ascos, vel oryza cõfectam. Lemni insulæ incolæ ex frumento & oxygala commixtionem facere norunt: primùm enim decoquunt frumentum, postea ad solem exsiccant, & ex eo compositionem faciunt ab iis Bohourt nuncupatam, quæ inde per vniuersum Turcæ dominium transuehitur, quoniam in pultibus parandis plurimum ea vtuntur. Aliam præterea istic ex frumento commixtionem faciunt Trachana dictam, quæ minore in vsu non est quàm superior. Eam esse censemus quam olim Græci & Itali Mazã vocabant. Duarum istarum compositionũ Bohourt & Trachana adeò frequens est vsus vt nihil supra. Nunquã enim bene epulantur, quin eas in suis pultibus decoquant. Oryzæ præterea tantus est vsus, vt singulis annis ad minimum sex naues ea plenæ ex Aegypto Constantinopolim aduehantur atque exonerentur. Frequenti etiam illis in vsu est legu-

leguminis quoddam genus ex Aegypto petitũ, quod Graeci corrupto ex Aphace vocabulo Afcos nominant. Huius copiam commodo tempore sibi comparant, vt postea indifferenter distribuere possint. Culinariae artis apud illos administrandae ratio à nostra plurimum differt: carnes enim coctas ex olla eximunt, deinde quod commodum illis videtur, iniiciunt ad iusculũ inspissandum. Et quoniam eius magnam quantitatem parant, oblonga spatha lignea ad commiscendum vtũtur. Mensarum vsus apud illos nullus est: propterea humi sedent, deinde orbiculare quoddam corium in terra explicant mappae loco, quod marsupij instar ligulis postea contrahunt. Nullus est Turcarum, etiam si Satrapes siet, qui cultrum è cingulo propendentem non gestet: & singuli cochlear circunferunt: hinc fit vt digitos non admodum inquinent: nullus etenim apud eos mantilium est vsus. Magna tamen strophiola gestare solent, quibus etiam digitos abstergũt. Neminem Turcarum, quicunque etiam sit, pudet ad huiusmodi xenodochia diuertere, & alimoniam eo quo diximus modo inde petere: ea enim est regionis cõsuetudo. Nec peregrinus minus quàm primarius quisque accipiet. Id verò intelligendum est de iis locis vbi tales erogationes institutae sunt, vt in Caualla. Praeter eas structuras quas is Bassa in Caualla instituit, fontem etiam in summam vrbem, vt diximus, per aquaeductum suprà fornices maximis expensis exstructos non modò deduxit, sed eius aquam etiam in templum, balneum, & per omnia vrbis fora distribuit. Tria praeterea marmorea sepulchra ex agro quarta milliaris parte ab vrbe distante deferri curauit, quae fontibus subiecit, ad aquã aluecorũ instar excipiendũ, qua iter facientium iumenta adaquari queant. Tria haec sepulchra huiusmodi habent inscriptiones. Primùm. P.C. Asper, Atriarius Montanus, equo publico honoratus, item ornamentis Decurionatus & Iniuralicis Pontifex

sex, Flamē Diui Claudi Philippis. An. XXIII. H.S.E. *Alterum*, Cornelia P.F. Aspriliæ sac. Diuæ Aug. Ann. XXXV. H.S.E. *Tertium*, Cornelia Longa Aspriliæ mater, Ann. LX. H.S.E. *Singula pedes vndecim longa sunt, quinque alta, sex lata. Turcicæ interdū fœminæ quæ opulentæ sunt, eiusmodi structuras etiam fieri curant, & suas facultates militibus testamento legant, vt se magis strenuos in prœliis aduersus Christianos præbeāt: erroneam enim hanc opinionem habent, suas animas expiari morte Christianorum ab iis interfectorum quibus suas facultates reliquerunt. Medicamentum Splenetico cuidam in Caualla confecturi, elaterij cogendi rationem inuenimus, quale veteres conficere solebant, nempe leue & cādidum, eiusq; substantiæ, vt igne instar pinguedinis accendatur. Neminem arbitror nostra ætate gloriari posse, simile elaterium venale conspexisse. Plura de eo dicemus, cùm peculiarem stirpium historiam describam.*

CAP. LX.

Itineris quod è Caualla Constantinopolim ducit, descriptio.

E *Bucephala Constantinopolim proficiscentes, alios in vertice Hæmi montis muros inuenimus (iis similes qui supra Cauallam sunt) duobus milliaribus à Caualla distantes, aditum ex Macedonia in Thraciam præcludentes. Inde in amplam planiciem descendimus, maris littori admodum vicinam, insulam Thasson ad dextram habentes, & præcelsa Hæmi iuga ad sinistram relinquentes, quæ iam prætergressi eramus, nulla vsquam conspecta Cupresso. Flumen superauimus quod Græci vulgari lingua Mestro, Turcæ Charason, id est, fluuiū nigrum, nominant. Eius appellatio satis conuenit cum flumine Mela, quod sinui nomen imposuit qui Melanicus est cognominatus: sed id non est. Nos de eo postea agemus. Hoc enim flumen Nesus est ex Hæmo monte delabens, vti Strymon*

Nestus Plin. lib. 4 cap. 11.

mon amnis: est autem is mons quasi propugnaculũ quoddam inter Macedoniam & Thraciam, ab vna parte desinens inter vtrumque flumen. Lentus est Nesus admodum, & Strymone paulo minor, multam tamen arenam secum trahit, & in mare influit paulo suprà Thassón, vicinior ei insulæ parti quæ Samothraciam spectat, quàm ei quæ monti Atho obiecta est. Strymon autem in mare suas vndas exonerat inter Athon montẽ & Thassón, & ab illo mare nomen mutuatur, appellatur enim Strymonicus sinus. Põs supra Nesum exstructus, ligneus est, vti qui suprà Strymonem amnem, sed illo breuior. Ad extremum pontem in pastores incidimus, qui integros veruеces assabant abscisso capite, quos iter istac facientibus venderent, sáligneis perticis infixos, exemptis tamen prius intestinis, & consuto ventre. Nemo facilè credat eiusmodi carnis massam posse cõmodè assando coqui, qui ipse non vidisset. Turcis autẽ id nouum nõ est: Nam cùm in Asia minore siue Natolia, puer aliquis circunciditur, cuius parentes re mediocriter lauta sunt, integrum bouem, immisso in eius aluum integro verueце, qui gallinam cui ouum insertum sit, etiam in aluo contineat, crassa fude infigere solent, & luculento magnoq; igne assare, sic vt omnia ad ouum vsque percoqui queant. Omnia ista sic assa, à pueri sanguine iunctis in epulo absumuntur. Illi quos diximus pastores, veruecem assum in frusta concidere solent, & iter facientibus diuendunt. Sub salicibus ad extremum pontem substitimus, vt nostra iumẽta paululum conquiescerent, & ex his carnibus comparauimus, quos longè sapidiores iudicauimus, quàm si frustatim concisæ assatæ fuissent. Sumpto prandio, satis longum iter confecimus: nam in vrbem Bouron (quæ vetustum nomen adhuc retinet) peruenimus. Sita est apud eum lacum qui Bistonis appellatur. Iter fecimus per planicie admodum herbosam, Cytiso, Halimo, & Rhamno (qui à Grossularia

ria differt) tectam. Licet autem Halimus natura sua in fruticem ramosum sine spinis attollatur, vti in Creta; in hoc tamen prato Capparis spinosæ instar humi diffunditur. Scordium herbam inuenimus apud Bouron vrbem, quæ cum in magna quadam & humida planicie nõ procul à lacu salso sita sit, cum Aigues mortes Galliæ Narbonensis oppido comparari queat. Lacus Bouron siue Bistonis, magnum ei regioni censum adfert. Nam istic sunt quæstuosæ piscationes. Mare istic nullum æstum habet quemadmodũ nec Põtus Euxinus, neque Propõtis, neque Hellespontus, nec magna Ægæi maris pars. Piscicul orũ istic capitur ingens quantitas similium Albiculis, quas Græci in Bouron Lilinga, Constantinopolitani Leucorini appellant, Galenus Leuciscũ nominauit, Parisienses Vandoise dicunt, & aliæ prouinciæ vn Dard. Eadem ratione eos condiunt qua nos haleces: nã postquam eos paululum sale infectos fumo indurarunt, iis currus onustos & naues in varia Græciæ loca deuehunt, etiam in Italiam vsque. Eadem ratione eos præparant qua Boianæ incolæ Scourances: Albaniæ enim siue Epiri Scourances à Leucorinis differre non videntur nisi sola magnitudine. Maxima pars incolarum Bouron piscatoriam exercet: nam cùm is lacus piscibus abundet, ad piscationẽ libenter animum adiicit. Græciæ Asparagi Corruda illis dicti, aculeatum habent folium: at in hortis culti folia obtuso mucrone sunt prædita, adeoq; huius planiciei solo delectãtur, vt sint frequentissimi, nec aliud virere in ea conspiciatur præter Asparagos. In exilem deinde pagum peruenimus nomine Commercinæ, dimidij diei itinere à Bouron distantem; in eo omnis generis edulia venalia inuenimus. Istic est ruinosa quædam parua arx, in qua Græcorum Christianorum templum est: pagus à Græcis, & paucis Turcis incolitur.

Stagnum Bistonũ. Plin. li. 4. cap. 11.

CAP.

CAP. LXI.

De vetustissimo quodam Thraciæ loco Cypsella nomine, deque aluminis conflandi ratione.

POSTQVAM *aliquanto tempore apud Commercinam sub Esculi & Ariæ arboribus commorati fuissemus, per planitiem denuo progressi relictis ad sinistram montibus, in alium pagum Cypsella appellatum peruenimus. Deinduſtria autem ad eum pagum diuertimus, vt Aluminis conficiendi rationem obseruaremus, tribúsque diebus cum semisse ad eius fodinã hæsimus. Vbicumque alumen conficitur, id semper fit aperta vena, hoc est eius venam non admodum esse profundam: nonnullis tamen Cypsellæ locis, eius lapides sex orgyiarum altitudine eruuntur. Cypsella in Thracia sita est, & vulgariter partim græco, partim turcico nomine Chapsylar dicitur. Eius incolæ maxima ex parte Turcæ sunt; pauci autẽ Græci inueniuntur. Sunt & nonulli Iudæi, quorum vnus Aluminis censum, persoluto annuatim certo precio, obtinebat: apud quem diuertimus, vt certiùs eius conficiẽdi rationẽ intelligeremus. Cõperimus autẽ Alumẽ quod fit in Tolfa Pontificis Maximi dominio, cum eo cõuenire quod in Chapsylar fit, vt obseruare potuimus è Ciuitate Vetere Romam proficiscentes in creatione Pontificis Iulij tertij, paululum à regia via declinantes, vt per Tolfam iter faceremus. Alumen quod in Chapsylar colligitur, fit & expurgatur eodem quo ipsius vena extrahitur loco, éáque ratione minoribus expensis fit, quàm id quod in Tolfa, quod vehiculis deportandum est in eum vsque locum in quo excoquitur. Et tametsi Alumen duntaxat condensetur ex lixiuio cineribus lapidis è vena eruti, qui primũ vrendus est, conflato: non omnibus tamen qui volunt, id facere licet: sed iis sólùm quibus certo precio venæ census traditus est. Prima igitur vena eruitur ad ipsas radices montis, quem Serrium esse censemus. Oppidulum Cypsella*

ad

ad latus regiæ viæ est quæ à Dyrrhachio Constantinopolim ducit, qua initium ascensus est in montem: relictis aliquantulum ad sinistram fodinis, è quibus maxima difficultate lapides eruuntur: nam cùm adeò duri sint, malleo & cuneis perfringendi sunt, deinde vrendi, simili planè ratione qua calx aut gypsum vritur. Quoniam verò istic magna lignorum est copia, nec lapides qui eruuntur longiùs deferendi sunt, apud ipsam fodinam vruntur, ad dimensum id facere paciscentibus operis. Nam singulæ suum tuguriolum habent, in quo terni aut quaterni alnei lignei in terra defossi sunt, in quibus lixiuium infusum relinquitur, donec alumen in glaciem coëat, fiátque quale vulgo conspici solet. Lapides ex quibus conflatur alumen, primùm in fornicem siue arcum componuntur, deinde leui flamma vstulantur, eadem ratione qua gypsum vri solet: nam si nimium vrerentur, omnis aluminis substantia ignis calore euanesceret: at suam duritiem retinentes, & aëri per binos aut ternos menses expositi, sponte in puluerem resoluuntur. Quemadmodum enim Marga, qua agri pingue scere solent, non maceratur, aut in puluerem resoluitur statim ab initio, vel cùm primum ipsius gleba ex fodina eruta est; sed aliquanto tempore aëri exposita permanens paulatim dissoluitur cùm nocturno rore, tùm pluuiis diurnis, & hiberno gelu, sic vt tandem colliquescat, & telluri sese commiscens fimi vicem præbet: eadem ratione hic lapis leui duntaxat flamma vstulatus, durus permanet, quemadmodum si nullam ignis iniuriam sensisset; sed aliquot diebus sub dio permanens, nocturno rore & diurna pluuia adeò tenerescit, vt breui in cineres omnino resoluatur. Lapides hi è fodina eruti nec adusti, in fabricis aut muris exstruendis adhibiti, durabiles sunt vt cæteri lapides: in cineres autem redacti siue pluuia naturali, siue artificiali, adfusa aqua decoquũtur in lixiuiũ, quod in quadratos alueos ligneos,

aut fictiles ollas effusum, decem aut duodecim dierũ spacio coit & congelatur. Ea est conficiendi aluminis ratio in Chapsylar, quod in Italiam delatum, Lesbium siue de Metelin cognominatur. Quoniam porrò rubrum & album inuenitur, profiteri audemus ex albi aluminis fodina, rubrum etiam erui posse, colorem etenim duntaxat ex aluminis conficiendi ratione adquirit, prout cineres ab operis diligenter aut negligenter tractati fuere. Alumen spumam quandam reddit, quam plurimæ fodinarũ operæ colligere solent, & ex ea massam rubram pictoribus vtilem conficere, quæ gallico nomine terra de Macharon dicitur: ea tamen in Chapsylar negligitur: inde fit vt valles hac spuma, quam torrentes cum pluuiis abripiunt, omnino rubere videantur.

CAP. LXII.

De regia via quæ olim Roma Constantinopolim ducebat.

CONSTANTINOPOLIM tendentes, montem subire incepimus: aliquantulum in altum progressi, nos obuertimus, vt iter quod à Bistonide lacu emensi eramus, conspiceremus. Eius Aristoteles lib. 8. de Historia animalium cap. 13. in hæc verba meminit: Quinetiam maritimis lacubus genera plura piscium marinorum gigni apertũ est, &c. statimque addit: Et in Bistonide lacu plurima genera habentur. Pagũ Commercinam perspiciebamus in maxima planicie situ. Huius planiciei iter, regia via olim fuit quæ Roma Byzantiũ ducebat, magnisque lapidibus excisis strata erat. Nã à Bourõ Commercinã vsque, & inde porro ad Chapsylar, quoniã solũ pingue erat, difficilisque via; eam Romani lapidibus sterni curarunt, quæ hodie etiamnum integra restat. Inde probare volumus, Romanos hac via olim Roma in Asiam profectos. huc accedit quòd eius viæ constratæ structura tenuis fortanæ cuiuspiam hominis opus non sit: nam in directum strata est via: at nunc semitæ modò ad dextram, modò ad sinistram

stram sunt quærendæ; quoniam nonnullis locis in siluas cæduas penetrat, magnæq; arbores inter ipsa constrata saxa postea excreuerunt. Conscendimus supradictum montem Serrium, qui nonnullis locis aditu admodum difficilis est, apparétque multis locis rupes excisa cuneis atque aliis instrumentis; quod sine magnis sumptibus fieri nequaquam potuit. Sed & ex hoc opere colligere licet, regiam viam Roma Byzantium ducentem olim frequenti hominum multitudine fuisse tritam. Plinius etiam Græciæ distantias & longitudines describens, illas semper à Dyrrhachio (quæ vrbs est apud Vallonam, nunc Duras dicta, portus videlicet in quem appellebant qui ex Italia discesserant traiecto mari Adriatico) sumit, aitque Byzantium abesse à Dyrrhachio septingentis vndecim millibus passuum, & tantum patere longitudinem terrarum inter Adriaticũ mare & Propontidem vult. Peruenimus deinde in pagum in vertice montis situm, à Græcis habitatum, vbi nobis sumendi fuerunt pedites viæ indices, ne per montem oberraremus; in quo magna est abundantia eius herbæ quam Galli perperam Satureiam hybernam appellant, inter saxa sponte nascentis. Eam primùm obseruaueramus in Creta insula, & paucis ante diebus in Amphitheatro quod Philippis est: postea eam in montibus Spoleto Italiæ vicinis eruimus in Marcha Anconæ. Sed quoniam iam in nostris hortis vulgaris est, eius vetustum nomen, quale à Cretæ & Cytharea insularum incolis didicimus, proferemus. Id enim vulgo Tragarigani appellabant, quod nihil aliud est quàm Tragorigauum.

CAP. LXIII.

De flumine Marisa, veteribus Hebrus dicto: & de Turcarum expilationibus seu rapinis.

NVLLVS est pons supra Marisam amnem exstructus, sed cimba traiiciendus. Moris est vt quilibet pro se & iumento nummum Turcis Aspre dictum, pro traie-

ctu persoluat: quindecim tamen pro nobis & itineris duce persoluendi fuerunt. Nam Turcarum auaritia eousque progressa est, vt si numero viatores superẽt, ab iis exigant quidquid possunt, & ingratiis persoluendum quidquid exigunt. Tantæ enim sunt eorum rapinæ, vt ne parentibus quidem suis parcituri sint, si prædæ occasio sese offerat. E regione traiectus ad quartam milliaris partem reliquimus elegãs oppidulum nomine Vire, commodo admodum loco ad radices collis cuiusdam situm, veteribúsque muris cinctum. Hic amnis nunc ab omnibus vulgò Marissa nuncupatus, olim Hebrus dictus fuit. Locorum huic amni vicinorũ incolæ, æstate quãdo fluminis alueus exiguus est, magnos arenæ cumulos aggerere solẽt, nõ ignorãtes in ea latêre nõnulla auri grana, eósq. satis procul à fluminis ripa submouẽt, ne exũdãs flumẽ arenã secũ abripiat. Aurũ ab arena separaturi, asseres pertusos simul cõponunt, deinde fluminis aqua arenã eluunt: quòd si interdũ nonnullã auri portionẽ inueniũt, id nõ fit sine magno labore & expẽsis, atq. tẽporis lõgitudine: sed nec sine argẽti viui adminiculo quidquam efficere possunt. Strymon & Nessus amnes in mare labuntur eodem ferme loco; vnus videlicet ad infimam, alter ad summam insulæ Thassi partem. Sed Hebrus ante Samothracen sese exonerat, quod Plinius etiam annotauit. Adeò lentus est hic amnis, vt in vtram partem fluat, iudicari non possit: Turbida eius est aqua, attamen dulcis, & media etiam æstate adeò frigida, vt glaciata videatur: multæ myricæ secundum eius ripam proueniunt: frequentes habet mæandros, seséque incuruat vti Sequana inter Lutetiã & Pontoyse vrbem. Tantum verò aquæ hiberno tempore è montibus delabitur, vt rapidior fiat, & amplum quoddam inundet pratum, olim Doriscus nuncupatum, in quo Xerxes in Græciam profecturus, exercitum recensuit. Quoniam porrò amplum illud pratum hieme instar paludũ inundatur,

Lib. 4. cap. 12.

nullo

nulli in eo pagi ædificantur, sed æstate equorum armenta aluntur. Ipse Turcarum Imperator plures mille istic alit, neque priuatorum è vicinis pagis minus quingentis eò agi arbitramur. Pratum enim adeò repurgatum est, vt neque talpæ, neque mures, neque glires, neque aranei mures illud suffodiant, neque serpentes in eo inueniantur: quoniam inundatio hiberna omnes abigit. Cytisus herba pluribus eius locis nasci cõspicitur. Pagi in pratorũ circuitu exstructi, ad colliũ radices siti sunt: nã cũ colles & mõtes scaturiginibus prægnãtes vndiq. prata cingãt, ad culturã valde idonei sunt, & rebus necessariis abundãt, rusticorũ magna frequẽtia eò cõfluxit. Amnis ripæ quibusdã locis sunt satis altæ, in quib⁹ fluuiatiles alcyones à Gallis Martinets pescheurs nũcupatæ, & Hirundines quædã ab iisdem Martinets simpliciter dictæ, nidos exstruunt; quemadmodum & auis Merops siue Apiaster, quam Cretenses Melissophagon appellant. Ocium nacti vt eas Alcyones obseruaremus, comperimus ipsas ab his non differre quæ nostrorum fluminum ripas incolunt: sed & earum nidi ex piscicolorũ spinis & squammis sunt confecti, vti nostratium. Viciniores amnis Marisæ incolæ secundùm fluminis alueũ in amplo illo prato hortos conficiunt: nam aquæ commoditatem nacti & telluris vbertatem, Melones, Angurias, Copous vulgò ab illis dictas, Citrullos, Cucurbitas, Cucumeres, alioſque similes æstiuos fructus colunt. Nobis affirmarunt Colocasiam etiam nõnullis locis nasci: at nihil certi pronunciare possumus. Pratum illud egressi, colles & mõtosa loca subire cœpimus, in quibus Aceris arboris genus obseruauimus à reliquis quæ hactenus videramus diuersum. Sextum id genus fuit à nobis obseruatum. In arbusculam excrescit; de quo aliàs plura, cùm arbores describemus. Thermas in continenti reperimus è regione Imbri insulæ apud amnem Melauem, eiusdémque nominis sinum, qui Callipolim in Cherroneſo includit;

uludit; in qua deinde Sestos Abydo opposita. In his thermis duæ sunt calidarum aquarum scaturigines, altera viris dedicata, altera fœminis: atque vt nihil ab iis qui istic se lauant exigitur, sic nemo est qui eas thermas repurget, hinc fit vt sordidæ admodum sint. His vicinæ conspiciuntur vrbis cuiusdam à veteribus Macron-tichos nũcupatæ ruinæ, & in longum porrecti muri; qui hostes Thraciam depopulaturos excludebant & arcebant.

CAP. LXIIII.

Plurimas nationes certo anni tempore natale solum relinquere, deinde domum redire.

IN *magnas miserorum Epyrotarum rusticorum, quos Ergates appellant, turmas in iam dicta planicie incidimus, ex Turcia ab opere redeuntium in natale solum. Idem illis accidit quod Longobardis & Sabaudis, qui natale solum certo anni tempore relinquentes, postea domum redeunt. Turmatim suam regionem egrediuntur miseri isti Epyrotæ, ob eius sterilitatem, atque alio proficiscũtur. Proficiscuntur vt operas suas Turcis locent lucri gratia. Ij cùm in Macedoniæ, & Thraciæ, vel etiam Asiæ minoris plana peruenerunt, à Turcis conducuntur ad segetes ipsorum metendas & frumentum expurgandum. Perfecta messe domum redeunt, cum suis vxoribus & liberis vitam traducturi. Modum secandi segetes magis industrium habent quàm Galli: nam illorum messoriæ falces aliquantulum discrepant, suntq; planæ, latæ, minusque incuruæ, & dentibus carẽt. Dextra manu eas tenere solent, atque sinistra lignum quoddam incuruũ extrema parte mucronatum, in quo tria sunt foramina, quibus tres sinistræ digitos infigunt, minimum videlicet & duos subsequentes. pollicem & indicem liberos conseruantes, vt tritici manipulos commodiùs comprehẽdere queãt: manum siquidem explicantes, & frumentum comprehendentes, multo maiores manipulos abscindere possunt. Collecta messe, frumentum triturant; haud flagellis, vt apud*

nos,

nos, sed bobus, quemadmodum per vniuersam Graeciam: idq; facientes, asseres Chalcedonio lapide munitos post se trahunt, vt stramina & paleas confringant. Sed quoniam istos Albanos cũ Sabaudis & Lõgobardis cõparauimus, indicare voluimus, eos nobis occurrisse gregatim iter facientes veluti sturnos. Sabaudi in Italiam proficiscuntur vt ligna secent, veluti populos secundum Padum amnem, atque ilices apud Foroiulienses, & omnis generis quae duram habent materiam alias arbores, per Tusciam & agrum Romanum. In hoc autem Sabaudi ab Epyrotis differunt, quòd aestate abeunt Epyrotae, & Autumno reuertuntur: Sabaudi contrà Autumno abeunt, & nouo vere redeunt. Nam quoniã montana incolunt, mues illis omnẽ operarum exercendarum occasionem adimunt: huc accedit quòd in lignis per Italiam secandis ob duritiam multo labore opus sit, quẽ aestiuo tempore praestare nequirent: si verò in patria manerent, totam hiemem in otio traducerent. At sub aestatem domum regressi, Abietes, Pinastros, Larices, atque alias eiusmodi molliores teneriores q; arbores habent, quae minore difficultate etiam ipsa aestate & medio aestu secari possunt. Longobardi porrò, gregatim quidem, vt Albani & Sabaudi, domo egrediuntur, simulque persistunt, donec è sua regione excesserint: at in Germaniam, Galliam, Belgicã, Daniã, aliasq; vlteriores regiones peruenientes, ab inuicẽ segregantur, singuliq; loca destinata petentes, caminos hinc inde purgatum eunt per hiemem: domumq; redeuntes, Ciconias imitantur, quae sigillatim aduenium. Istinc animaduertere licet varias nationes certo anni tempore, vitae sustentandae causa ad alias regiones lustrandas & obeundas cogi. Albani veteribus Epyrotae dicti, Christiani sunt, peculiaremq; habent linguam à Graeca diuersam: religionem tamen Graecam colunt; & quoniam Graeciae vicini sunt, Graecum idioma etiam callent: domum re-

gressi per hiemem seſe sustentant, ex ea quam sibi æstate compararunt pecunia. Omnes ferè nudis pedibus incedunt, admodum egeni, frugales, & in laboribus sedulis: hinc fit vt facilè quod agant per totam æstatem nanciscantur in Turcarum agris & pagis: segnes etenim sunt Turcæ, ad agrorum culturam inepti, lenti, tardi, & qui in suis negocijs moras semper nectunt. Reperimus in itinere Iaspides variorum colorum in agris, atque etiã Chalcedonios: immo nonnunquam & ipsi ædificiorum in pagis muri è Iaspidis & Chalcedoniis lapidibus exstructi sunt.

CAP. LXV.

Terebinthos arbores, gallarum quoddam genus producere, quæ apud Turcas magno in vsu sunt.

THRACIÆ *atque Macedoniæ rustici, non ignari quantus sit vsus gallarum in Terebinthis nascentium, quorum in collibus magna est frequentia, eam quæstus occasionem negligere non solent; at sub finem Iunij, gallas intus concauas nucis ponticæ magnitudinem æquantes, aut sub foliis, aut in Terebinthorum, qui semen in vuæ modum congestũ ferunt, ramulis nascentes sedulò legunt, easq; maturius dum adhuc exiguæ sunt: quoniam si in arbore diutiùs relinquerentur, oblongæ tandem instar corniculi cuiusdã euaderẽt. Harũ vsus est inficiendis in Prusa vrbe tenuissimis sericeis pannis. Per Thraciam pergentes, Carauannam inuenimus, vel frequentem mulionum turmam è Thessalonica Byzantium proficiscentium, atque in pago quodam Aignegic nomine pernoctauimus. Cæterùm quoniã Græci nullis testudinibus * siue marinis siue terrestribus, siue fluuiatilibus vescũtur, adeò frequẽtes sunt per Græciæ agros, præsertim autẽ Thraciæ, vt secundum vias frequenter magnæ & pingues inueniantur. Et nisi hortulanis plurimum inuisæ essent, quòd eorum olera germinare incipientia prærodant; præsertim autem melones, peponésque, xylon & sesamum appetant; nemo eas*

eas necaret. At illi in suis hortis inuentas necant, atque palis per sepes affigunt.

Croatæ non modò testudinibus, cuiuscumque tandem sint generis, non vescuntur: sed eas etiam abominantur, quod re ipsa comperi. Nam anno 1579. cùm Maio mense Illustrem Heroëm Dominum Balthasarem de Batthyan, Regni Vngariæ Archidapiferum hæreditarium in Pannoniam interamnem, quæ nunc ex parte Vandalia siue Windisch land nuncupatur, comitarer: integro die subsititimus in ipsius arce quadam Tutnizza, cui cõtiguus est pagus eiusdem nominis, Muræ amni vicinus, supra ipsius & Draui fluminis confluentes. Istic dum forte circa rusticorum prædia obambulo, multas testudines palis affixas, & è sepibus hortos ambientibus pendentes animaduerto. In arcem regressus, eius rei causam percontor: maximè ab incolis exosas intelligo: ego videre illorum stultitiam: interrogatus an iis vesci cuperem, annuo: sed cùm nemo ipsas adparare sustineret, cocus quispiam Gallus Byzantio redux, qui in itinere nobis sese adiunxerat, ferculum ex illis conficit. vescor; ibi omnes summa cum admiratione me intueri, imò plerique non dubitare quin ea nocte extingueret: at postridie, cùm me non modò viuum, sed etiam alacrem conspicerent, multo magis mirari, & plerique asserere, etiam si Viennensem vibem præmij loco nanciscì queant, non tamen degustaturos.

CAP. LXVI.

Turcas viatores admodum frugales esse.

POSTRIDIE, *comperimus agros aristolochia longa obsitos: obseruauimus etiam veram Hyssopum, bina Polij genera, & Chamædryn. Omnia ad victum necessaria in pagis inuenimus, vti butyrum, oua, aues, panem, caseum, & lacticinia. Quicumque in Carauanna erant cùm viatores tum agasones, genus quoddam acescentis lactis coëmerunt, nomine oxygala, quod lineis sacculis impositum, è suorum iumentorum clitellis suspendere solent: atque licet liquidum admodum sit id lac, lineis tamen sacculis incluſum permanet, nec exstillat. Græci & Turcæ alliorum nucleos in ligneo quodam vasculo contusos oxygalæ permiscere solent. Magnatum id edulium, adeò palato gratum est: eo non modo viatores, sed etiam ipsi Satrapæ in Turcica aula vesci solent. Quòd si quis adeò esse exquisitum non credat, faciat modo periculum, facilis etenim est experientia. Vulgari admodum est in vsu apud Turcas, existimántque eo se per æstatem refri-*

gerari, atque per hiemem calefieri. Viam quæ Callipolin ducit, ad sinistram* reliquimus, & versus Rodosto, quæ veterũ Perinthus est, perreximus. Interdiu substitimus sub ingalandibus, vt nostra iumenta aliquantulũ quiescerent: deinde sub vesperam in planicie quadam stationem habuimus, Carauannæ impedimentis nos in ambitu munientes, vt securiùs istic pernoctare possemus.

* Imo ad dextram: nam Callipolis in Cheronneso est, ad Hellespontis caput, quam ad dextram relinquere oportuit Perinthum petentibus.

CAP. LXVII.

Turcas agilitate & industria reliquas nationes longè præcellere, in imponendis supra iumenta, deponendisve impedimentis.

HOC loco mentionem facere voluimus eius rei quam Turcas pacis & belli tẽpore industriè administrare nosse obseruauimus: videlicet rationis qua vti solent in impedimentis supra equos, camelos, aut mulos imponendis aut auferendis. Quinque enim aut sex viri duntaxat ea industria & agilitate omnia Carauannæ iumẽta (quæ centum & quinquaginta numero erant) vesperi impedimentis liberarunt, atque postridie summo mane rursus ea imposuerunt, vt non animaduerterimus. Tres solùm viri vix quadrantem horæ requirent vt centum equos onerent, modo sarcinæ secundum ipsorum consuetudinem sint colligatæ. Singulas autem sarcinas decussatim crucis in modum per vtramque extremitatem colligari necesse est, atque funes sequenti ratione appendi. Cum bini viri sarcinam subleuarunt supra clitellas, tertius mulio alterius sarcinæ, quæ adhuc humi iacet, funem, per eius sarcinæ quæ iam clitellis imposita est, alteram crucem traiicit: impositæ verò sarcinæ funem, per alterã eius quæ humi est sarcinæ crucem traiici oportet, & alterum ex his qui priorem sarcinam subleuarat, in aliã etiã sarcina subleuanda auxilio esse (sufficit enim vnicus ad sarcinã quæ clitellis imposita est sustinendam) atque singulos funis quẽ singula

singulæ sarcinæ vnicum habent, extremitatẽ capere, eamque denuò traiicere per crucis summum caput, funesq; deinde adstringere aut laxare, prout illis commodum videtur, vt sarcinæ pendeant: funes autem parte sarcinarum exteriore connectuntur, vt facilius vesperi dissolui queãt, sarcinæq; decussatim Burgundicæ crucis in modum supra clitellas collocantur. Vnicus vir in aduentu omnes totius Carauannæ equos subito suis sarcinis liberare potest, funium extrema dissoluendo, atque ipsas sarcinas æqualiter quasi ad æquilibrium demittendo. Qui sarcinas deponit, funem manu tenendo, posset etiam vno pede supra solum vtramque sarcinã æqualiter suspensam tenere. Imo puer quadrante horæ centum equos exonerare posset, sine vllo sarcinarum damno.

CAP. LXVIII.

De vrbe veteribus Perinthus dicta, nunc Rodosto, & de Heraclea.

INTER *Perinthum & Callipolin ponte amnẽ quendam traiecimus, quem Arzum esse arbitramur, Turcæ Chiaurlic appellant, in Propontidem labentem inter Galipoli & Rodosto. Rodosto autem vrbs est in Propontidis littore sita, olim Perinthus dicta: vetusta admodum est, nullis tamen muris cincta. Regia via quæ Bizantiũ ducit, gradientes, Heracleam ad sinistrã reliquimus: etenim secundum viam nõ est, sed balistæ iactu ab ea distat. Heraclea vetustum nomen retinuit: quæ me causa mouit vt diligenter inquirerem, cur mel cognomine heracleum pernicioſum esset. (Variæ autem Heracleæ sunt, sed hæc in in Thracia est.) Nullam aliam rationem inuenimus, nisi quòd ea regio Chamæleone nigro abundat, cuius radici excrescentia quædam adnascitur nomine Ixia, quæ pernicioſum venenum est, & eos qui deguſtant illico necat. Quod si apes mellis substantiam ex eius Chamæleonis floribus suscipiant; non dubitamus, quin id mel hominibus admo-*

admodum sit pernicioſum: non ignoramus autẽ apes mellis materiam ex ipſis floribus non colligere, ſed ex foliis duntaxat, pingui rore cælitus delapſo obſitis. Deinde tranſiuimus apud vrbem Selibriam, olim Selymbria dictam. Duorum dierum itinere à Byzantio, atque dimidio miliari à Selymbria diſtantes, in ipſa via & maris littore metalli cuiuſdã recrementa inuenimus (indiciũ iſtic olim fodinas fuiſſe) quæ licet diligenter à nobis conſiderata, cuius tamen metalli ea eſſent, dignoſcere nõ potuimus. Ædificiorum veſtigia & rudera quæ iſtic adhuc ſuperſunt, fidem faciunt metallicas fornaces iſtic aliquando exſtitiſſe: multis etiam locis conſpiciuntur magni cumuli ſcoriæ, quam Galli Merde de metal, hoc eſt, metallicũ recrementũ appellant. Olim cũ metalli liquarentur, non aquæ adminiculo, vt nunc fit, folles inflabantur, ſed hominum viribus: ſunt tamen vicini quidam riui, quorum vſus eſſẽ potuiſſet, noſtra opinione, ſi tum temporis conſuetudinem habuiſſent aquæ adminiculo rotas impellẽdi, quæ folles ſubleuarent & deprimerent, quemadmodum iam habemus. Dum agro Selymbriano plantas perquiro, lacte manantem quandam inueni Nerij foliis, & flore ſimili, ſed longè per omnia minorem: procul aſpicienti Tragio Cretico perſimilis videbatur; at propiùs intuenti ad Lyſimachiam purpuream magis accedere videbatur. Cytiſum etiam inuenimus, cuius ſemen abundanter collegimus. A veteribus illis fodinis diſcendentes, Selymbriam peruenimus, quæ elegans habet caſtellũ in edito ſitum. Vrbs commodè nominari nõ poteſt Selymbria, quoniam muris cincta non eſt. Ædificia, balnea, & templa ſupra arcem ſunt: oppidulum ipſum in accliui eſt, multumq; repræſentat Ryam Angliæ vrbem, quemadmodum etiam Callipolis. Selymbria volenti in regiam viam quæ Byzantium ducit, peruenire, collis ſuperãdus eſt; deinde per planitiem iter faciendum. Maxima ædificiorum Selymbriæ

pars

pars longiusculè à portu abest. Onerariæ naues Selymbriam magna ex parte appellunt, vt merces excipiant quæ ex Adrianopoli, Thraciæ continenti, & Bulgaria aduehuntur. In cuius rei exemplum cùm istac iter faceremus, Veneta nauis iã oneris expletionẽ accipiebat ex iis mercibus quæ non modò aduectæ erant ex iis quæ modò enumerauimus locis, sed etiam ex Anatolia vulgò dicta, veluti, lana, coriis, xylo. Anatolia siue Natolia ex altera Hellespontiparte est: Turcæ dictione Græca Anatoli appellant, quæ Orientem significat: sed vulgò ea regiones Asiæ quibus Turca dominatur, Anatoliæ nomine nuncupantur. Nam separatione Europæ abs Asia facta Bosphori freto, Propontide & Hellesponto, omnes regiones quæ vltrà sunt, Anatoliæ nomine continẽtur. Sic cũ Græci Anatoliæ mentionẽ faciunt, varias alias prouincias intelligũt, nempe Phrygiam, Galatiam, Bithyniam, Pontum, Lydiam, Cariam, Paphlagoniam, Lyciam, Magnesiã, Cappadociam, & Comagenen. Atque si illis sermo est de pretiosis quibusdam mercibus ex aliqua istarum prouinciarum, illas ex Anatolia delatas dixisse satis erit.

CAP. LXIX.

De insigni silentio & modestia Turcarum iter facientium.

QVO tempore Selymbriam peruenimus, exercitus istic circiter quatuor miliũ Turcarũ fuit, quibus hospitia designata fuerant cùm in Carabachara, aliisq; vrbis locis, tum extra vrbem sub arboribus. Omnes erãt equites, atque in Turcarum Imperatoris, qui bellum aduersus Persas gerebat, castra proficiscebantur: ij autem diu ante lucem tanto silentio discesserunt, vt nos, qui etiam ante lucem discedere constitueramus, minimè animaduerterimus, tametsi essemus illis vicini. Hæc res nobis visa est digna relatu, tãtam hominũ multitudinem sine vllo strepitu discedere potuisse. Selymbria vnius diei itinere à Byzantio solùm distat, peraperta regione, & nullis arboribus

bus consita. Bini pontes lignei superandi sunt tribus cis Constantinopolim milliaribus, quorum primus admodum brevis est, alter verò longior multo, Buyckchemeghy nũcupatus. Vniuersa Thracia Picardiæ comparari posset: etenim arboribus eodem modo caret, magnasq; habet planicies, quas nonnullis locis colliculi intersecant. Pagus est inter vtrumque pontem: in quo, quoniam frequens est admodum via, res ad victum necessariæ, omni anni tempore pecunia comparandæ inueniuntur. Vterque pons ligneus est, supra salsæ aquæ stagna exstructus, quæ è mari in continentem ingrediuntur, & veluti sinum efficiunt: istic multæ sunt scaphæ, ad homines ex vno pago in aliũ transuehendos, tum etiam ad piscationẽ necessariæ. Secundum eius stagni quod ad sinistram reliquimus ripas multæ sunt molæ, octo alis siue brachiis præditæ, quales sunt omnes in Turcarum ditione, quæ venti beneficio versantur, non quatuor vt nostræ. Quemadmodum autem bini pontes superandi sunt; sic etiam bini sunt lacus qui in vnum coëunt; quorum census è piscium captura, quæ istic fit, magno æstimatur. Turcarum Imperatoris ædes quasdam delectationis causa exstructas supra pagum Buykchemeghy videre licet in colle quodã cincto silua arboribus consita, quæ muro vndique clausa est. Eius arbores sunt Coryli, Quercus, Vlmi, Fraxini, Salices, Platani, Loti, quæ Gallis Micacouliers dicuntur. Tandem secundò Constantinopolim peruenimus, & nostræ peregrinationi finem imposuimus sub initium Augusti mensis.

CAP. LXX.

De vrbe Pera & Constantinopoli.

ANTE quàm de Constantinopoli agamus, de vrbe Pera primùm scribere commodũ videtur, quæ sinu quodam vel canali à Constantinopoli seiuncta est, quemadmodum plurimas interdum vrbes sibi inuicem oppositas videmus ad fluminis alicuius ripas, vt Ciuitas & Car-

Carcaſſo, Beaucaire & Tarraſco: eadem ratione iis qui Cõſtantinopoli Perã adire volunt, portus traiiciẽdus eſt. Propterea eam appellationem adquiſiuit: nam Pera nihil aliud ſignificat, quàm trans aut vltra; in collis autem accliuiſita eſt. Quiſquis peregrinus Conſtantinopolim aut Peram maritimo aut terreſtri itinere aduenit, nullũ hoſpitium quò diuertat reperit: itaque per Turcarum regiones iter facturos, impedimenta in quibus recumbat, ſecum deferre neceſſe eſt. Fieri tamen nequit, quin aliquã ratione tandem hoſpitium nanciſcatur, præſertim cũ Carabachara (quæ publica ſunt Turcarum hoſpitia) in vrbibus nunquã deſint: præterea nemo eſt, cuiuſcunq; tandẽ nationis ſit, qui nõ magna ex parte ædes aliquas nanciſcatur, ſub quarum tectum ſe recipere queat: quoniam plerunque ſinguli ad eos confugiunt, quos ex ſua prouincia eſſe ſciunt. Hinc fit, vt cùm ſinguli ſciant, omnes Europæ Principes & Reſpublicas, ſuos Oratores Conſtantinopoli habere præſertim cùm pax inter Principes eſt, eosq; Oratores Rerumpublic. & Chriſtianorũ Principum, veluti Gallicum, Venetum, Raguſanum ſiue Epidaurenſem, Chium, Florentinum, Tranſiluanum, Hungarum, atq; alios (præter Cæſareum qui in vrbe Conſtantinopolitana degit) Peræ maxima ex parte habitationem ſuam habere, ad ipſos confluere ſoleant. At Gallorum peculiariter præ reliquis nationibus, felicior eſt fortuna: quoniam à noſtro Legato ſemper melius excipiuntur, eorumque gratior eſt aduentus, quàm reliquorum apud ſuæ nationis Oratores: huc accedit quod Galli in exteris regionibus inter ſe melius conueniunt, & magis mutuo ſe diligunt, quàm reliquæ nationes. Domini Aramontij, Regij ad Turcarũ Imperatorem Legati liberalitas ea quæ diximus maximè confirmat: nam adeò gaudebat beneficia conferre in Gallos aut Gallorum partes fouentes, vt nemo vnquam Conſtantinopolim aduenièns, cuiuſcunque tadem conditionis

ditionis fuerit, ipsum adierit, quin ab eo humaniter exceptus, & in eius contubernium admissus fuerit. Eius etiam liberalitas ex eo apparet, quòd magnum Christianorum mancipiorum numerum priuatis pecuniis è Turcarum potestate liberarit. Imò quibuscunque Gallis Constantinopolim aduenientibus, non modò necessaria ad victum subministrabat, sed etiam vestes largiebatur, si iis carerent: omnibusq; patebāt eius ædes. Quòd si quem Gallum tæderet diutinæ istic moræ; illi pecunias tribuebat pro conditionis ipsius ratione, quantum sufficerent vt in Galliam rediret. Si verò nobili stemmate prognatum intelligebat, illo honorificè excepto, iumenta & alias res necessarias etiam subministrabat. Atque vti nunquā molestæ illi fuerunt expensæ in gratiam eorum qui illustri genere nati erant factæ; nunquam similiter tenuis fortunæ hominibus gratificari dedignatus est. Cùm id porrò in nobis ipsi experti fuerimus, non immeritò ingrati censeremur, nisi eius rei testimonium præberemus: certi enim sumus neminem nos mendacij arguere posse in his quæ recitauimus, nisi parum æquū, & veritati assentiri nolentem.

CAP. LXXI.

Ruinarum Nicomediæ, & eorum quæ istic nunc conspiciuntur descriptio.

CONSTANTINOPOLI *aliquamdiu commorati, ad conspiciendas Nicomediæ, quæ vetustum adhuc nomen retinet, ruinas profecti sumus. Est Nicomedia in edito sita: murorum ambitus admodum amplus fuit: namque à portu incipiens, etiam collis verticem comprehendebat. Ipsa vrbs omnino corruit, sed arcis ambitus in ipso colle situs, adhuc integer est, vrbisque muris includitur: muri arcem ambientes ex coctis tegulis tenaci rudere iunctis constant; quorū turres dūtaxat tribus orgiis aut sex vlnis inter se distant; adeò validus fuit. Amœnus eius situs est, cùm in collis vertice exstructa sit, magnamq; scaturiginū aquæ*

aquæ commoditatem habeat: quæ causa est vt frequentioribus habitetur incolis cùm Turcis tum Græcis. Epistylia & fragmenta columnarum, magnæque huius arcis columnæ, indicio sunt, Nicomediam aliquando potentem vrbẽ fuisse. Istic etiam nacti sumus elegantia numismata vetera, cùm Græca tum Latina. Nauigantibus secundũ oram maritimam, & circa littus sub aquam intuentibus, eos pisces quos Latini Pinnas appellant, humi ordine & serie quadam conspicere licet, quasi pernas suillas in terra defixas: eam ob causam Latino etiam nomine Pernæ dicuntur. Cùm aliquandiu versaremur in insulis veteribus Demonesis nũcupatis, quæ sunt in sinu Nicomediæ, in ipsa Propõtide, quæq. ex vrbe Cõstantinopolitana apertè conspici possunt, eas nouẽ esse numero deprehendimus. Illarum prima nunc à Græcis Proto appellatur, Altera Bergus, Tertia Isula del Corbo. Reliquæ exiguæ sunt, & proprio nomine carent. Aliæ etiam sunt inferiores & vicinores Hellesponto: sed earum plurimæ nomina mutarunt. Nam quæ olim Proconesus vocabatur, nunc Marmora; & Besbicus olim quæ fuit, nunc Calomino dicitur.*

* De Demoneso consule Ortelij Thesautum geographicum.

CAP. LXXII.

Orientales nationes malle piscibus vesci quàm carnibus.

ANTE *quàm à Propontidis diuitiarum narratione recedamus, quandoquidem ea omnis generis piscibus abundat, non minorem censum illam reddere asserimus, quàm Continẽtis aliqua regio, pascuis & armentis abundans: hinc fit, vt omnes Turcæ & Græci piscibus magis delectentur quàm carnibus. Continentis in nostra Gallia incolæ, qui à piscium esu adeò abhorrent, persuasione potius id facere videntur, quàm ratione. Eos verò intelligimus qui pertinacia quadam carnibus in abdito vescuntur pisculẽtis diebus, & diebus Dominicis vix pisces ha-*

bent quos vorent. Ex veterum præterea monumentis obseruare non licet, carnes ab illis tãti fuisse æstimatas, quin piscibus inferiores perpetuò sint habitæ. Ægypti monachi toto vitæ cursu piscibus abstinuerunt quidem, quasi inferre vellent se eiusmodi deliciis priuatos, quemadmodum qui apud nos carnibus abstinent. Carnium ille contemptus & piscium æstimatio, effecit, vt veteres, cùm Græci tum Latini, auium genera minus nouerint quàm piscium. Medici insuper in suis de alimentis libris varij generis piscium sæpius meminerunt quàm auium & quadrupedum: neque legimus Imperatores atque Primates Romanos aues in suis conuiuiis ita expetisse, vt nunc facimus, præter turdos & attagenes. Nam omnis generis pisces in deliciis habebant & præferebant omni aucupio: sic vt perdices, phasiani, ascolopaces Gallis Becasses, & illorum Pluuiers, atque aliæ quæ primum tenent gradum in Gallorum deliciis, in veterum Imperatorum Romanorum etiam profusissimorum, vel vt Pliniano verbo vtar, Gulæ procerũ conuiuiis, in precio non fuerint habitæ. Illud præterea addemus, ipsum Turcarum Imperatorem, eiusque maiores, atque etiam aulicos, pisces magis appetere quàm carnes: propterea rarò conspiciuntur in foro Byzantino venales aucupio captæ aues. Quoniam cùm piscibus abundent, ad eos variis modis capiendos animum applicant, vt postea apparebit.

CAP. LXXIII.

Piscationis in Propontide rationem magnum quæstum adferre.

QVANDOQVIDEM in piscationis mentionem incidimus, nunc de eius ratione agemus quæ in Propontide fit, atque primùm de ea quæ maiorem quæstum adfert. Mare Constantinopoli vicinum magis piscibus abundat quàm reliqua maria: idcirco incolæ ad eos capiendos magis industrij. Aqua dulcis è fluminibus in Pon-

Pontum delabens, & marinis vndis seſe commiſcens, alendis in Ponto & Propontide piſcibus admodum accommoda eſt. Ea porro aquæ in mediterraneum mare effluunt, ſed per Propontidem delabentes, nunquam augentur vel minuuntur, vtpote nullum refluxum aut reciprocationem habentes. Piſces certo anni tempore ex vno mari in aliud tranſmeant, ſuáſque habent quietis & motus horas: quod non ignorantes Propontidis incolæ, quorum plerique frequentiùs piſcibus veſcuntur quàm carnibus, ea loca maris obſeruant, in quibus piſces, eorum iudicio, frequentiùs verſari ſoliti ſunt, præſertim circa littora vbi aqua non admodum alta & profunda eſt. Iſtic binas trabes longitudinis mali nauium rectas, & circiter quadraginta aut quinquaginta paſſus inter ſe diſtantes infigunt, in quarum ſummis tuguriola exſtruunt vnius aut duorum hominum capacia, qui iſtic à ſolis ardoribus & imbribus tuti, piſces obſeruare queant. Trabes ligneis palis hinc & inde transfixæ ſunt, quo aſcenſum & deſcenſum facilè præbere poſſint. In edito iſtic ſtantes, vinetorum cuſtodes imitantur: nam ſi piſciũ gregẽ oberrantẽ animaduertunt, alter alterum ad diligentem piſcium obſeruationem adhortatur; vt ſimulatque eos in aream ingreſſos animaduerterint, ſinguli funem ad ſe trahant reti adnexum; quod tali artificio diſpoſitum eſt in imo fundo ſub aqua, vt reti ſubleuato, piſces qui in area ſunt, concludantur. Vt doceamus porro qua ratione rete diſpoſitum ſit; intelligendum eſt, rete quadratum eſſe, & ſingulis angulis annexum funibus, binoſq; retis angulos, qui à præaltis trabibus longiùs abſunt, longiùs etiam in mare protendi, atque ſummitati duorum palorum in mari defixorum, vix tamen ſupra ſummas vndas apparentium affigi, vt immobiles permaneant. Alios item binos angulos funibus alligari neceſſe eſt, qui ad tuguriola illa in editis trabibus ſita reſpondeant. Reti in eum modum quatuor

angulis extenſo, eiúſque medio ad imam aquam propendente: ſimulatque piſcatores qui excubant, piſces ad ſe aduenientes animaduertunt, ſeſe inuicem admonent, atque illico poſtquam eos in aream ingreſſos vident, funes attrahunt, piſcéſque in reti concludunt. Tum alter piſcator, funem ſuum colligat, vt rete ſuſpenſum maneat, pérque fibulas trabi vtrinque infixas delabens, ſcapham ſuam ad trabem alligatam ingreditur, eamq; ſolutam ad comitis ſui trabem dirigit, qui funem ſuum paululum laxans, eum cum ſcapha in aream ingredi permittit: at ille ingreſſus, rete ab vno capite colligere incipit, & ita pergit, donec omnes piſces in vnum angulum coegerit, atque illos in ſcapham recipiens, ad ſpeculam ſuam regreditur, alios piſces exſpectans. Tali inſtrumento varia piſcium genera indifferenter capiunt, vti Sphyrenas quas Galli Narbonēſes Peſeſcomé appellāt, Melanuros, Lampugnes, Palamides, Cholios, Auratas, Synodōtes, Salpas, Sargos, Mullos, Cuculos, Percas, Saurides, Manas, Smarides alióſq. ſimiles, pro diuerſo anni tempore: ſed præſertim æſtate quando malacia eſt, nec venti mare turbant. Nam per tempeſtates, excubiæ piſces adnatantes adeò commodè obſeruare non poſſunt, vt cùm mare placidum eſt & minimè turbatum.

CAP. LXXIIII.

De aliis piſcandi in Propontide rationibus.

MVLTÆ *ſunt præterea aliæ piſcandi rationes in Propōtide, quæ omnib⁹ etiā nationibus cōmunes ſunt, vt ſagena, quā Galli Traine vocāt, quæ omniū eſt ſecuriſſima ſiue fæcilima, & aliis nationibus etiānota. Sed quoniā nulli huius maris piſcatores ſubere vtuntur, vt in Oceano & mari Tyrrheno; nōnulli vulgo cortices quoſdā leues ſuberis vice vſurpāt, vti ex pino & pinaſtro, quos ex Pōto aduehūt: pleriſq. aliis cucurbitæ in vſu ſunt, vt in Macedonia lacub⁹. Sæpenumero deinduſtria Conſtātinopoli egreſſi,*

Piſca-

Piſcatorum Perenſium ſcaphas ingreſſi ſumus, eóſque comitati, vt piſces qui ad littus inſularum Proconeſi & Beſbici, atque in Montaneæ ſinu capiuntur, obſeruaremus: nam ſimulatque multos piſces ceperunt, domum redeunt, & eos Conſtantinopoli diuendunt. Piſcãdi per Traîte vel Traine, hoc eſt, ſagenã, ratio eiuſmodi eſt: Binis ſcaphis opus eſt, & multis funibus ad rete neceſſariis: littus præterea in quo piſcari volunt, æquale ſit, & à ſcopulis liberũ: deinde rete explicantes in mare abiiciunt, ſingularum deinde ſcapharum funes extremis retis partibus alligantur; tum piſcatores cymbas ſuas ad littus dirigunt, rete verſus continentem poſt ſe trahentes. Quod ſi funes breuiores ſint, quàm vt ad terram pertingere poſſint, remis cymbas impellũt, donec ad littus perueniant: funes autem eiuſdem longitudinis eſſe, eóſque æqualiter trahi neceſſe eſt. Cùm iam ad littus peruenerunt, cymbis ſuis, quæ circiter viginti paſſus ab inuicem diſtant, egrediuntur, atque rete æqualiter trahere incipiunt; ex nodis enim qui in funibus ſunt, intelligunt vtram in partem rete ſit magis adductum; hoc ſibi mutuo indicant, vt æqualiter trahere queant. Cùm rete vicinius ſit, tum piſcatores etiam paulatim contra gradiuntur: cúmque iam ad extremos funes peruenerunt, tum omnes rete trahunt æqualiter illud ad terram ducendo: deinde cùm ad retis imum ſiue ſaccũ peruenerunt, diligenter animaduertunt ne piſces ſub rete elabantur. Si polypos ceperint, illorum brachia diducunt & explicant, atque dentibus eorum roſtrum, quod pſittaco ſimile habent, confringunt; niſi enim occiderent, è cymba effugerent. Captis murenis, illarum ceruicem ferreis forcipibus apprehendunt, atque fuſte os & maxillas confringunt, totúmque corpus contundunt: nam ſi manu eas apprehenderent, morſu ab illis appeterentur, quoniam oblongum habent roſtrum, magnóſque dentes inſtar

aculeorum. Captis pastinacis, illico caudas præcidunt, quod nostri Oceani piscatores haudquaquam faciunt, qui illas cum suis aculeis Lutetiam & Rotomagum transportari curant. Licet autem hæ pastinacæ nullum nomen Gallicum adhuc inuenerint, Parisienses tamen Raias appellant, quòd Raiis similes sint. Omnia fere piscium genera denique capiunt præter Scarũ, quem ab illis minimè capi scimus. Alia est præterea cũ quadrãgulo reticulo piscandi ratio, quæ iis duntaxat qui littora Constantinopoli vicina accolunt, in vsu est, illisque præsertim qui ad sinistram habitant, versus Hariadeni siue Ænobarbi sepulchrum. Nã omnia Hispanica mancipia, quæ libertate donata, Turcicam religionem amplexa sunt, ad Propontidis littora sese contulerunt, atque istic elegantia ædificia exstruxerunt, atque hortos instituerunt: quoniã Turcarum Imperator quasdam immunitates & priuilegia concessit iis qui in ora maritima ædificarẽt. Eã ob causam supra tigna terræ infixa, atque saxa vsque ad marinam aquam aggregata ædificia exstruxerunt: nam, vt antè diximus, Ponticum mare, Propontis & Hellespontus, magnaq; Ægei maris pars, nullum penitus habent refluxũ, sed perpetuum profluentem. Rete porrò illud cuius modò meminimus ad minutulos pisces capiẽdos duntaxat vtile est, veluti Atherinas, & Cabassons Massilienſibus dictos, Romanis Lauarona, aliosque minutos pisces qui littore gaudent, quique maiores non euadunt: qua de causa eius maculæ sunt admodum exiguæ. Simile esset Truble, nisi longè maior esset ipsius tela quàm illius cuius in fluminibus vsus esse solet. Eius quatuor anguli affixi sunt lignis incuruis, & crucis instar transuersim dispositis, quorum medio affixum est manubrium siue pertica, quæ trabi erectæ, & in summo, furcæ instar cauæ, incumbit, & quasi in æquilibrio pendet, sic vt reti in mari demisso, extrema altera manubrij pars sursum attollatur: huic verò appensus

sus est funiculus, quo deorsum tracto, rete ex marinis aquis subleuetur: tum pisces reticulo comprehensi, in aëre pendentes manent. Piscationis in Propontide commoditas & quæstus adeò Constantinopolim auxit, vt vndique in circuitu pagi exstruantur. Congrii illic minus frequentes sunt, quam in Oceano: sic etiã eorũ capiẽdorũ ratio diuersa est. Nam quoniam Oceanus defluit, piscatores scopulos accedunt, ibiq. pisciculos sub lapidibus latitãtes reperiũt, quos maris fluxus in sicco reliquit, nomine Exocetos: hos hamis infigunt è gemino funiculo appensis, funiculos scopulis alligant antè quàm marinæ aquæ refluant. Cùm deinde marinæ vndæ scopulos contexerunt, congri, raiæ, caniculaq; marinæ, hanc piscium eſcam inuenientes, eã cũ hamis vorãt, eaq; ratione scopulis alligati remanẽt. Marinis postea vndis recedentibus, piscatores ad eſcam reuertuntur, pisces q; in sicco relictos reperiunt. Natura hunc pisciculum exocetum in eiusmodi eſcæ vſum commodè formauit: nam vt in sicco hærere, & sub lapidibus sine aqua latitare gaudet, sic piscatores eum inuenire norunt & in suum vſum capere. Eam ob causam veteres Græci Exocetum nominarunt: recentiores Glinos appellant, quorum nonnulli in Propontide sunt, cristam in capite galli gallinacei instar ferentes. Quoniam verò magnis dentibus præditi sunt, & acriter mordent, Comasco incolæ ad Padi ostia Vulpẽ nominant, Massilienses Bauecque: at noster Oceanus nullum illi vulgare nomen adhuc indidit. Altera piscandi ratio nautis vulgaris, eorũ præsertim qui in triremibus & onerariis nauibus versantur, est quòd nunquam sine retibus nauigent: quorum duo sunt genera. Alia enim in aqua explicantur atque ex subere suspensa manent, nulli rei affixa: alia gemina sunt atque duplicia, in quorum maculis pisces per marinas aquas oberrantes, sæpissimè sese implicant, atque capiuntur.

CAP. LXXV.

De ratione piscandi noctu ad lumen cum tridente: deque variis aliis in Propontide pisces capiendi rationibus.

PONTVS *Euxinus, Bosphorus, & Propontis semper in eadem vndarum altitudine permanent; quorum accolæ piscandi rationem quandam noctu ad lumen obseruant, admodum quæstuosam, quæ eiusmodi est. Bini viri cymbam siue nauigiolum leue & exiguum occupant: alter binis remis hinc inde dispositis cymbam impellit: alter in extrema cymba genubus innititur, tedamq; accensam habet, ex cymbæ ora prominentem; quæ quoniam piscatoribus vulgari in vsu est, per fora venalis inuenitur, atque vulgo Dadi appellatur. Qui huiusmodi piscationem instituunt, Lunæ splendorem non desiderant: nam quò obscurior est nox, eò piscatori commodior. Is porrò qui genubus innititur, fuscinam quinque aut sex furculis constantem manu tenet, & sedulò in aquam oculos intentos habet: si piscem quiescentem obseruat, manum subleuat, comiti, vt cymbam aliquantulum promoueat, aut retro impellat, manu aperta aut clausa innuës: eius etenim comes huiusmodi signis intelligit quò cymbam impellere debeat. Sermones inter se cõmiscere illis non licet: nam aëris in aquam repercussio, ad dormientium piscium aures penetraret, illiq; excitati fugerent: etenim nonnulli pisces alij aliis facilius audiunt. Eapropter adeò lentè cymbam impellunt, & leniter remos aquæ imponunt, vt pisces non exaudiant. Necesse est etiam deligere tempus nullo flante vento turbatum, placidum mare, & locum non admodum altum: pisces enim non libenter quiescunt alto gurgite, tametsi quiescendo terram attingant, aut alicui saxo incumbant. Eos autem non minus quàm terrestria animalia dormiturire certũ est: nec desunt qui eos rõchos ducentes exaudiuerint. Nam quandoquidem nulla animalia cerebro prædita, sine somno vitã traducere queunt:*

sic

sic pisces cerebro præditos somno refici necesse est. Quod Plinius Aristotelis auctoritate fretus scriptum reliquit: tametsi Actuarius Auctor Græcus dormiendi appetitum in ventriculo collocet. Piscator igitur dormientem piscem animaduertens, magno impetu tridentem siue fuscinam in eius dorsum vibrat, prout videt piscem vel sibi rectè oppositum, vel obliquum: tridens qui hamis recuruis constat, piscẽ figit, atq. in cymbã attrahit. Ea piscandi ratio ad lumen cũ tridẽte, ad polypos, loligines magnas & paruas capiẽdas maximè est accomoda, tuetiã ad alios omnis generis pisces squãmis præditos, veluti lupos, vmbras, mugiles, synodõtides, erythrinos. Hamo etiam piscãtur in hunc modum: Ducentos aut trecentos hamos longa quadam serie ex fune quem cucurbitæ sustinent, pendentes disponunt, quibus escam è carnibus aut piscibus constantem affigunt: eum deinde funem noctu ad integrũ vel dimidiũ milliare in mare deferunt, isticq; tota nocte relinquunt, vt pisces qui cibum quærunt, quales sunt murenæ, squatinæ, caniculæ, raiæ, atq. alij similes, hamis capti hæreant. Postridie mane, nisi tempestas impediat, hamos, quos è longinquo propter adnexas ingentes cucurbitas statim agnoscunt, repetitum eunt, & prædam domum referunt. Quædam vrbes Italiæ sunt, in quibus vnicus vir quinque aut sex lineis eodem tempore piscatur, quas in pontium ligneorum rimis infigunt: nam dum escam ad vnam apponendo occupatus est, reliquæ trabium rimis infixæ, tantundem præstant, atque si ipse piscator eas manu teneret: nam interea dum pisces in vna capitur, reliquis escam apponendi ocium habet. Scombros in Propontide capiendi ratio plurimum ab ea differt quam in Oceano vsurpant. Nam qui Scombros in Oceano capere vult, lineas pendẽtes per tempestatem ducere debet: quanto etenim vehementior est tempestas, atque nauis maiore impetu vehitur, tanto

vberior erit captura. At Graeci eam rationẽ non sequuntur, sed sagena duntaxat aut reti eos capiunt. Nullus piscis frequentior in foro Constantinopolitano conspicitur Glanide: verùm Iudæi illo non vescũtur, quoniã squammis caret. Vulgò etiam conspicitur Xiphias siue Gladius. Turcæ, Græci, Iudæi, & reliquæ Orientales nationes Delphino non vescuntur, quem tamen Galli eo tempore quo carnes interdictæ sunt, in delicijs habent, & vulgò Marsouin appellant. Duorum vero est generum: nam quem Oye appellant Galli, legitimus est Delphinus, vti in libro 1. de Piscibus abundè demonstrauimus. Certum est nostros Celerinos eos esse quos reliquæ nationes Sardinas & Sardellas appellant: omnes enim notas cùm in Propontide tum in Oceano examinauimus, nec vllam inter eos differentiam inuenimus, præterquam in sola magnitudine. Olim liquor quidam nomine Garũ non minore in vsu fuit apud Romanos, quàm nunc Acetum apud nos. Eum liquorem etiamnum tam frequenti in vsu apud Turcas esse deprehendimus, quàm vnquam antea fuerit. Nulla enim piscatorum officina Constãtinopoli est, quæ eum venalem non habeat. Ijolim Cetarij appellabantur: at nullum adhuc nomẽ Gallicum adepti sunt, nisi quis Harenniers illos dicere vellet: vulgarem tamen apud Italos appellationem inuenerunt: Romani enim Piscigaroli nominant, voce ex piscibus & garo formata. Piscigaroli Constantinopolitani, magna ex parte in Pera habitant, & recentes pisces singulis diebus apparant, eosque frixos diuendunt, quos exemptis intestinis & auribus, muria macerant, & in garum resoluunt. Plurimum tamen interest ex quo pisce garum fiat: nam ex solo ferè Trachuro, quem Veneti Suro nominant, & Scombris, commodè fieri potest. Garum veteribus tanti æstimatum fuit, vt Plinius exquisitum liquorem id vocarit, nec vllum penè maiore in precio esse Romæ dixerit. Præterea ait, vary generis id esse.

esse. Credimus quidem etiam ex piscibus squammatis parari posse. Vt autem demonstremus Iudæos ab omni antiquitate in victus ratione summa abstinentia vsos esse, ipsius Plinij de hoc garo scribentis verba in medium proferemus. Aliud verò ad castimoniarum superstitionem, inquit, etiam sacris Iudaïs dicatum, quod sit è piscibus squāma carentibus. Nisi nobis constitisset, illos adhuc superstitiosè observare ne garo vulgari vtantur, hæc non protulissemus. Peculiares etenim habent apparatus in eorum gratiam factos, quemadmodum confectum illud ex Sturionum ouis, quod omnes Cauiar appellant, adeò vulgare in Græcorum & Turcarum mensis, vt nemo sit qui eo non vescatur, exceptis Iudæis, quoniam sciunt Sturionem squamis carere. Sed qui Tanaïm incolunt, quum magnam Cyprinorum quantitatem capiunt, eorũ oua adempta ita salire norunt, vt optimè sapiant, atque ex iis Cauiar rubrum conficiunt in Iudæorum vsum, quod Constantinopoli venundatur. Hæc omnia peculiariter descripta sunt binis libris, in quibus omnium piscium icones exhibuimus.

CAP. LXXVI.

De vetustis monumentis, & variis singularibus rebus quæ Constantinopoli conspiciuntur.

CONSTANTINOPOLITANA *vrbs eo loco sita est, vt illa commodior ad Monarchæ alicuius magnificentiam in vniuerso orbe inueniri non possit: nam eam habet maris commoditatem, vt maior ab vllo mortalium requiri nequeat. Nihil illic antiquius conspicitur, quàm id quod Romani Imperatores, & deinde Græci istic erigi curarunt. Atque hoc addimus, vnum Constantinum pluribus Antiquitatis ornamentis Romam spoliasse, vt Constantinopolim ornaret, quàm viginti alij Imperatores centum annorum spatio exstruxerint. Quidquid etiam istic elegantis atque vetusti operis conspicitur, olim è Roma*

ma transuectum fuit. Inter alia columna est ex porphyritico lapide, non procul à D. Sophiæ templo. Est præterhæc Hippodromus, opus magnificum & sumptuosum, in quo duo sunt obelisci; quorum alter marmoreis lapidibus ferro & plumbo colligatis constans, olim æreis laminis inauratis tectus fuit: alter, nec is integer, ex Ægypto est aduectus. In eo etiam est æneus serpes, opere fusili, ingentis magnitudinis, columnæ instar erectus. Constantinopolis septem montes murorũ ambitu non minus claudit, quàm Roma. Triplici muro cincta est, sed eodem tempore eos non fuisse exstructos apparet: nampleraque marmorearum columnarum fragmenta interiecta conspiciuntur, quæ indicant id festinanter factum fuisse. Diuæ Sophiæ templum pulcerrima est omnium structura, quæ adhuc permaneat, longéque superat Romani Pantheonis structuram: nam tota tẽpli interior pars in fornices exstructa est, easq. superiore parte patentes, & lucem admittentes, quæ columnis è selectissimo marmore variorum colorum confectis sustinentur, suntque in eo templo (si licet dicere) tot portæ quot in anno dies. Quoniã verò in Turcarũ phanũ siue Mesquitam cessit, Christianis id ingredi non licet: iis tamen & Iudæis toto corpore in templum prolato ex ipsis portis interiora spectare permissum est. Quisquis id templum viderit, Romanum Pantheon, vulgo S. Maria Rotunda appellatum, admirari desinet. Imo miramur Pantheon adeò extolli, tametsi eius structura tanto quo prædicant artificio non constet: nam quilibet vilis etiam murarius faber facilè & ex tempore eius structuram animo concipere potest; quandoquidem eius basis adeò firma, atque muri adeò densi sunt, vt difficile nobis non videatur fornicem peruiam superædificasse. At D. Sophiæ templi alia est sanè structura: foris quidem cocto latere vti Pantheon exstructum, & interius marmore incrustatum: Pantheon verò ex omni parte solidum cùm sit

&

& crassum: Sophiæ contrà templum amplum est & latè patens, & tenui materia vndique exstructum. Turcæ ad eius exemplum suas Mesquitas ædificarunt; nam circiter sex admodum splendidæ & magnificæ quæ intra centesimum annum exstructæ sunt, omnes ad D. Sophiæ templi exemplar sunt factæ. Vetusti cuiusdam palatij rudera conspiciuntur, quod vulgus Constantini palatium appellat. Turcarum Imperator in eo suos elephantos atque alia mitia animantia alit. Vicinus Hippodromo locus est, qui vetustum templum fuit, in quo Imperatoris Turcici fera animalia adseruantur: ad huius singulas columnas, leones alligati sunt, quod profectò sine admiratione conspicere haud potuimus; quandoquidem illos soluunt, manibus tractant, denuo alligant, atque nonnunquam per vrbem etiam circunducunt. Quandoquidem porro omnes Turcarum Imperatores, quantumuis etiam barbari fuerint, singularibus & rarís animalibus delectati sunt: sic etiam omnes prouinciæ quibus Turca imperat, si ferum aliquod animal capiant, Constantinopolim id mittunt, quod Turcarum Imperator ali & sedulo curari præcipit. Istic catenis alligatos vidi Lupos, Onagros, Erinaceos, Histrices, Vrsos, Lupos ceruarios, & Lynces: imo minuta animalia istic etiam sedulò aluntur, qualia sunt Pontici mures Latinis, Ermines Gallis dicti. Erant præterea bina animalcula, felibus adeò similia, vt ab his differre nisi magnitudine non viderentur, his tamen veterem appellationem adaptare nullam potuimus: Aliquando Lynces esse existimauimus, quoniam pantheram pro lynce sumebamus, tandē imaginari nequiuimus, quænam essent animalia. Mirū sanè est eos adeò leniter omnia hæc animalia curare, vt ea maximè domestica reddant: imò ipsas etiam Genettes Gallis nuncupatas, quas liberè

per



per ædes vagari non minus quàm feles permittunt.

Quoniam autem Pera & Constantinopolis vnica fere vrbs sunt, solóque portu diuisæ, sæpe idcirco traiiciendum est. Eam ob causam frequentissimi inueniuntur naiicularij, qui homines hinc inde transuehant, itque magna ex parte misera sunt mancipia. Qui vero e nauibus in officinas onera transportant, omnes fere sunt Ægyptij, octoni aut deni simul coniuncti proficiscentes: nam cùm plerumque magnas grauésque sarcinas, quales sunt quæ nauibus vehi solent, educere, atque etiam vasa vino plena portare debeant, illa gestare solent pendula, eandem vocem & similes accentus personantes simúlque æquo passu gradientes. Multi sunt Constantinopoli opifices, varias artes mechanicas exercentes nobis ignotas: cùm enim typographica careãt, omnes in papyro expolita & leuigata scribere solent, quæ apud illos non conficitur, sed ex Italia aduehitur. Qui papyrum leuigant, asserem sibi comparant ex buxi fragmentis simul glutinatis constantẽ, nonnihil interiore parte concauum, cui papyrum leuigandam

dam imponunt; deinde chalcedonium lapidem siue iaspidem per medium baculum cubitalis longitudinis trahunt, cuius extremitatibus manu apprehensis, papyrum buxeo asseri impositam lapide confricant, atque expoliunt. Turcæ suos enses, quos Cimeterres appellant, gestare gaudent, non lucidos vt nos, sed damasquinatos vt vocant, hoc est, vtrinque subcæruleos: eam ob causam armorum expolitores ammoniacum salem cum æruginæ æris in aceto macerant in vase aliquo, cui ensis mucronem imponunt, eumque rectum tenentes, illam mixturam integro die per eũ defluere sinunt; nõnihil etenim exedit ferrũ siue chalybẽ radiatim secundũ ensis longitudinem, cui magnæ venustas postea accedit cùm expolitus fuerit. Qui cultrorũ & ensiũ vaginas conficiunt, magna industria corium quasi granis quibusdã obsitũ parare norunt, vt aliàs dicemus. Apud Turcas, nobiles gemmæ non minore, imo etiam maiore sunt in precio, quàm apud nos: atque plura genera apud illos inueniũtur, quàm apud nostros gemmarios; è quarum numero ea est quam spurio nomine Lachrymam cerui nominant, & alia Sultan Meheure dicta: sed de his aliàs plura. Plurimæ sunt officinæ, quarum domini solis lineis telis vario colore depingendis sese & familiam alunt: qui quoniam suum opus subitò & magna facilitate peragunt, eius modum hic declarabimus. Primum omnium telam vel xylinã vel lineã, pulte ex amylo facta inducunt, eámque siue ea flaui, siue cærulei, siue alterius coloris sit, validè extendunt, & leuigant atque expoliunt: ligneam deinde formam elegantibus aliquot flosculis insculptam, colore inducunt, (quemadmodũ operæ typographicæ solẽt) quã lineæ telæ ita tensæ imponunt, atque premunt & fricant, atque hac ratione pergentes, elegãtes operas sine molesto labore absoluunt. Musicũ instrumentum apud Turcas inuenitur ex arundinum calamis confectum; quod inflatum, non minus elegantem reddit harmo-

harmoniam quã Germanica fistula. Turcã quendã ante Domini Aramontij ædes transeuntẽ, & hoc instrumentũ instantẽ semel audientes ego & reliqui qui in legati triclinio erant, Germanica fistula ludere existimauimus: sed è fenestra prospicientes, obseruauimus instrumentũ id, eadẽ ratione confectũ, qua fistulæ eorũ qui animantia castrare solẽt, sed viginti quatuor calamis constare, cũ illæ decẽ & octo sõlũmodo habeãt. Qui ipse nõ audiuisset, vix credere posset ex tã vili & sordido instrumẽto, adeò suauẽ harmoniam prodire posse. Qui visitare volet eorum officinas qui Constantinopoli cultellis manubria adaptant, magnam varietatem dentiũ & cornuũ animantiũ conspiciet: nos enim istic bubalidis, & gazellarũ & aliorũ variorũ animaliũ cornua obseruauimus ex Põti Euxini littori vicinis locis delata: duo præter hæc dentium, Elephantis videlicet, & Mors, Gallis Rohard vocatæ bellua genera; aliorum etiam animantium, quæ vulgare nomen nondũ inuenerunt. Qui legitimum Calamum odoratum desiderabit, in mercatorum officinis Cassabouserire requirere debet, & pro Acacia, Akakia pronunciare; Acacalis Kesmesen; Amomum Amama; ammi Ameos; Napellus Bisch; Saccharũ Alhasos, Tigala; Harmel Armala; Ben albi & rubri radices Behen amer & Behen abias: nam quæ Ben album & rubeum esse arbitramur, plurimum absunt à veterum descriptione. Hebulben semina venalia habent, quæ nobis in vsu non sunt, quemadmodum nec nux quædam gemini pugni magnitudine, paruis granis esui aptis atque vt auellanæ instar dulcibus plena, quam Coulcoul, hoc est, nucem de Coulcoul nominant. Qui Calamum aromaticum nostrarum officinarum expeteret, Acorum ab illis petendum esset. Colocynthide cui cortex sit ademptus, non vtuntur, sed integra, magno errore. Vbique venale reperitur Terebinthi granum viride, & eius resina dura. Bryon istic etiam venale est, à

nostro

noſtro arborum muſco longè diuerſum. Fallimur etenim qui noſtrum muſcum Vſneam eſſe arbitramur, eam ipſi Vſnech nominant. Auctores Ponticum Abſinthium commendant: id in Conſtantinopolitanis officinis nõ modò venale, ſed etiã vſurpatum vidimus: ſed omnibus notis cum eo conuenit quod in hortis alimus, in hoc ſolo differens quòd Ponticum ſponte naſcens inuenitur. Quod nobis admirationis cauſam non leuem præbuit, pleroſque in noſtra Europa, id Abſinthium in dubium vocãtes, ineptam quandam herbulam Abrotoni potiùs genus, & nullius efficaciæ ei ſubſtituere maluiſſe, quàm vulgari vti, quod legitimum eſt Ponticum; ſimili errore implicati quo Veneti, qui legitimi Hyſſopi loco, herbulam quandam, magna quantitate in Foroiulienſis prouinciæ montanis creſcentem, in vſum receperunt, potiùs quàm domeſtica & culta vterentur, leui & tenui errore in multo grauiorem commutato. Conſtantinopolitani, qui tam diuerſis aromatum & ſimplicium medicamentorũ generibus in ſuis officinis abundant, vt mera ſit cõfuſio, neq. ſilueſtri neq. domeſtica Hyſſopo vtuntur, niſi in penuria; Thymũ etenim eã appellãt, ſed eius loco inutilem quandam herbulam veteribus ignotam vſurpant. Sic Thymo Cretico nõ vtuntur, ſed veram & legitimam Hyſſopum colligunt, eiq. aliam ſubſtituunt. Rhaponticum nanciſci qui volet, Rhabarbarum ſibi demonſtrari curet (nam id diſtinguere non norunt, ſed vtrumque Rhabarbarum nuncupant) atq. radices oblongas & foris nigras, interius verò Centaurij maioris radicibus ſimiles ſeligat. Certum etenim eſt, ſatis magnam eſſe inter Rhabarbarum & Rhaponticum differentiã. Quoniã autem de vtroque, tum etiam de omnibus animalibus, plantis, & medicamentis in Commentariis quos Gallica lingua in Dioſcoridẽ ſcripſimus, agemus; hîc ſubſiſtemus, atq. finẽ priori libro imponemus.

PETRI BELLONII CENOMANI

Singularium & memorabilium Rerum, per varias exteras q. Regiones obſeruatarum,

LIBER SECVNDVS,

LECTORI.

VT plurimas Narrationes Peregrinationũ legimus variorũ hominum cũ recentiorũ, tum veterũ, qui terreſtria & maritima itinera confecerunt: ſic etiam deprehendimus eos qui de his agere voluerunt quæ ignorabant planeq; illis erant incognita, ſæpenumero vanitatis & mendacij argui. Exemplum proponemus eius rei quam nunc Mumiam vocant: de qua nonnulli nimium ſibi tribuentes, bonarumq; literarum, & naturalium rerum ignari, prodere non ſunt veriti, eam conflari ex humanis cadaueribus, arena ſubmerſis in Africæ & Arabiæ deſertis. At cùm ſingulas res quas in Ægypto obſeruauimus, deſcribemus, Mumiam lõgè aliud eſſe quàm quod vulgus cenſet, demonſtrabimus, eamq; nec Græcis nec Latinis ignotam fuiſſe. Itaque hunc ſecundum Librum ſcripturi, nihil nos in eum relaturos profitemur, præter

præter ea quæ noſtris oculis obſeruauimus, aut veterum auctorum teſtimoniis pleraque eorum de quibus acturi ſumus, confirmaturos. Et liberum nobis eſſe exiſtimates, ea quæ nobis ſeſe obtulerunt examinanda, plenè deſcribere; nihil diſſimulates, liberè noſtrã ſententiam protulimus. Ceterùm quoniam fauor & auctoritas Domini de Fumet, nobilis Cubicularij Regis Galliæ, in iſtarum rerum obſeruatione plurimũ me iuuerunt; ingratitudinis notam nullo modo effugere poſſem, niſi liberè faterer, multũ me ipſi debere: nam multarum rerũ notitiã adeptus ſum in ipſius peregrinationibus, in quibus magna humanitate erga me vſus eſt. Ipſum Conſtantinopoli inueni, cùm iſtic Regis Henrici I I. ad Turcarum Imperatorem Legati munere fungeretur; qui magno fauore illum proſequutus eſt: nam illi aliquot ex ſuis Aulicis adiunxit, qui illius curam haberent, atque ſecurè deducerent per omnes quas vellet adire prouincias ipſius Imperio ſubiectas. Itaq. comitibus magni nominis Nobilibus Gallis, atque etiam Ianiſſaris, Chaous, & interpretibus, honorificè abſoluit longas & difficiles peregrinationes per Turcicas prouincias, vt poſtea videre licebit.

CAPVT I.

Peregrinationum quæ mari peraguntur, incertum tempus esse; atque de Constantinopolitano itinere in Alexandriam.

QVI *marino itinere peregrinationem suscipere volunt, nullum certum tempus præscribere possunt: quoniã, cùm nauigationes ventis sint obnoxiæ, sæpenumero contingit, naues magnas vel paruas, quæ velorum vel remorum beneficio aguntur, triremes, vel onerarias, quæ vento secundo, octo dierum spacio iter absoluerint; aduerso tempore, vix bimestri illud conficere posse. Verum quidem est, nautã qui nauigationem instituit, eius tempus posse computare; at illud certò constituere non potest: quoniã si secundi sint vẽti ad nauigandum quo iter institutum est, breui illud conficere poterit. Nobis contigit vt trium & decem dierum spatio, è Propontidis freto Venetias perlati fuerimus, in quod iter nonnunquam sex menses sunt impendẽdi. Nũc autem descripturi iter è Constantinopoli in Alexandriã Ægypti, nostrum est demonstrare, Arabum naues & præsertim Ægyptiacas, certum anni tempus habere, quo è Constantinopoli in Alexandriam nauigare solẽt: id autem fit circa Augusti finem; nam Septentrionales venti diutiùs in eadem statione permanent Septẽbri, quàm vllo alio anni tempore. Ne igitur tam commodã nauigandi occasionẽ negligant, pleraq. naues Constantinopoli tũc soluere solent in Aegyptum nauigaturæ. Qui verò ex Alexandria Cõstantinopolim proficisci cupiunt, sub vernum tempus discedunt: nam Australes venti constantiùs flant vere, quàm reliquis anni partibus. Vela igitur explicantes soluimus cùm iam aduesperascere, totaq; ea nocte & sequenti die nauigantes, secundo vento boreali vecti sumus, vnius diei & noctis spacio totam Propontidẽ emensi:*

ea

eo nomine appellatur illud mare Constantinopoli vicinũ, quod binis Bosphoris clauditur, binósq Sinus habet; vnũ Montaniæ, olim Nicopolitanus dictum; alterum Nicomediæ, veteribus Astacenus appellatum. Sequenti igitur primam noctẽ die, plano æquore vecti, Phrygiam ad sinistram & Thraciam ad dextrã relinquẽtes, Propontidem emẽsi sumus, quæ montibus vndiq. cingitur, nec admodum lata est: nam si quis in media Propontide nauigaret, facilè continentem circumquaque conspicere posset, atque multas insulas quas suprà enumerauimus. Tertio die manè Callipolim appulimus, vbi constitimus & anchoras in Sinu fiximus.

CAP. II.

De veteribus vrbibus in Propontidis littore sitis in Thracia: & de Callipoli.

CALLIPOLIS à Byzantio distat quatuor dierum itinere, hoc est, circiter triginta sex miliaribus, nec vllum pro magnis nauibus portũ habet. Verum quidem est, Sinum habere satis capacem: sed & tota Propontis & Hellespontus, vt verum fateamur, Sinus propemodũ dici possent: nam vbique fundus inuenitur. Terrestri itinere Constantinopoli Callipolin proficiscentibus, & orã maritimam Thraciæ legentibus, quatuor veteres vrbes accedendæ sunt, vetus nomen etiam hodie retinẽtes, nullo tamen muro clausæ; vt nec reliquæ vrbes per eas prouincias quibus Turca imperat. Prima est Selymbria, nunc Selibria dicta, vbi portus est nauicularum capax, & sinus pro maioribus nauigiis. Secunda est * Haraclea olim Perinthus, elegantem & capacem portum habẽs pro onerariis nauibus & triremibus. Tertia est Rodosto. Quarta est Callipolis, nunc Galipoli, oppidulum nullis mœnibus cinctum, istícque Propontis desinit, & Hellespontus incipit: nam vniuersum illud fretum à Callipoli ad Aegeum mare vsque, Hellespontus appellatur. Turcæ

eam nunc consuetudinem obseruant, quod omnes naues cùm magnæ tum paruæ, cuiuscunque regionis, fretũ egredi volentes, sisti hîc debent, & earum naucleri Callipolitana præsidia conuenire, & licentiæ diploma ab eis petere, quod in Bosphori alterutro castello repræsentent. Verum quidem est, eam quæ Constantinopoli licentiam acceperit, non debere Callipoli aliam expetere: sed fretum egredi volenti, illius licentiæ diploma in alterutro eorum castellorum præbere necesse est. Quæcunque oneraria naues ex Turcarum Imperio per fretum hoc egressuræ, integro triduo anchoris fixis hærere debent, vt Turcæ ocium habeant perlustrandi vniuersam nauem: nulla etenim ab hac visitatione immunis est. Veneti, Anconitani, Genuenses, Neapolitani, & Ragusei id fretum nauigare solent. Et quoniam istic clauis est, & primarius ex Turcarum dominio egressus quo mancipia effugere possent, eam ob causam adeo diligens istic fit perquisitio. Extera nauis hoc fretum ingrediens, si secundo vento feratur, hic sistere necesse non habet, vt licentiam petat: quod omnibus nauibus liberè ingredi liceat, at egredi minimè: nã si fortè fugitiuũ mancipiũ in naui alicqua latens, aut aliudquidpiam ex Turcia efferri prohibitũ deprehẽderetur, graui pecuniæ summa mulctaretur. Biduo Callipoli hæsimꝰ, & Augustiniani monachi monasterium accessimus, templũ adhuc retinens iuxta Christianorum Latinorum normam, apud quem vidimus vitem fructu suo semper onustam, & ipse nobis affirmabat septies in anno fructum, eumq; maturum præbere. Apud Callipolin in planicie, vetera quædam Regum & Imperatorum Thraciæ sepulchra in crassa cuiusdam & orbicularis metæ formam exstructa conspiciuntur; quæ colles quosdam referunt, quibus vniuersa Thracia abundat & inæqualis est. Procul plurima adhuc alia ipsis montibus imminentia apparent, sic vt colliculi montibus humana opera impositi videantur,

vt

vt reuera etiam sunt. Callipolitanus portus admodum angustus est pro onerariis nauibus: at pro catascopiis, biremibus, myoparonibus, & Maonnis (nauigij genere quod Latinis Græca voce Hippago dicitur, quodq; transuehēdis ex Europa in Asiam equis & Camelis vsurpatur) satis capax est. Huiusmodi generis nauium Maonnæ appellatarum, frequens numerus singulis diebus mane Constantinopolim appellit, quæ maxima ex parte à Turcarū Imperatoris prætorianis Ianissaris ducuntur. Posteriore parte apertæ sunt: eā ob causam equi & cameli sine difficultate in eas tanquā in stabula ingrediuntur. Secundum portus oram triremes in siccum pertractæ supra trabes ligneas impositæ, & asseribus tectæ, armamentarij marini in modum. Omnia eduliorum genera istic in foro venalia non minus quàm Constantinopoli reperiuntur. Vrbs à Græcis, Iudæis & Turcis incolitur. Frequēs est istic traiectus ex Europa in Asiam. Cùm Callipoli biduum hæsissemus, vela explicuimus, vt nostrum iter prosequeremur: ad Castella perueniētes, secundò anchoras fiximus: namque (vt diximus) nulli naui, siue extera siue Turcica ea sit, per fretum hoc egredi licet, quin primùm Callipoli, deinde iterum ad Castellorum angustias anchoras figat. Si nauis siue triremis mercibus onusta, extera est, triduo integro istic hærendum illi est, vt expeditionem exspectet: at si Turcica est nauis, & ventus secundus adflet, hac prærogatiua gaudet: (ne tempus illi effluat) vt primo die expediatur.

*Rectius hîc Bellonius quàm superioris libri cap. 68. vbi Perinthum nunc Rhodosto dici contendit: nam Rhodosto olim Ptolomæo βισάνθη καὶ ῥαίδεστον dicta fuit. Consule Ortelij Thesaurū geographicum.

CAP. III.

Bosphori Thracici, Castellorum Sesti & Abydi, atque ruderum Scamandriæ descriptio.

CASTELLORVM *fretum circiter quadrantem milliaris in latitudinem patet: in eo olim, vt & nunc, Sestus*

& Abydus sitæ fuêre. Ex hoc Poëtæ fabulam de Leandro & Hero scribendi occasionem sumpsêre. Abydus in Asia est, paludoso loco sita, & quadrangula forma reparata. Muri castelli ambitus prælatam turrim quadratam antiqui operis adhuc permanentem comprehendit, quam Turcæ summa parte extulerunt atque bellicis tormentis munierunt. Ea non sunt rotis imposita, at humi iacent, validóque muro posteriore parte nituntur, vt nec introrsum ferri, nec antrorsum progredi queant, eáque septem & viginti numero, omnia serie quadam disposita maris planitiem spectant. Quatuor propugnaculis admodũ infirmis prædita est in quatuor angulis muri quadranguli: & licet hæc arx vna ex clauibus Turcarum dominij est, admodum infirma videtur; firmior tamẽ est quàm Sestus: cúmque maioris sit momenti, eam ob causam maiore quàm Sestos cura & diligẽtia adseruatur. Saxa è quibus reparata est, è ruderibus vicinæ cuiusdam vrbis desumpta sunt, quam antiquitus Scamandriam nuncupatam fuisse arbitramur in Asiæ continenti sitam; etenim dimidio duntaxat miliari abest à mari, & dimidij diei itinere à Castellis. Istic magnificarum quarundam structurarum eleganti candido marmore constantium rudera conspiciuntur, & columnæ omnis generis opere elaboratæ, tum plurima quadrangula & ampla epistylia. Sita fuit in colle, quem vtrinque ambiunt maxima latáque planicies & elegantia prata, quæ hieme restagnant, at æstate sicca sunt. Istic vidimus ingens saxum summo artificio scalptum, viri armati effigiem referens, thorace secundum veterem consuetudinem vestiti, galeámque plumis exornatam in capite gerentis, quæ sub mento fibulis constringeretur, oblongum & erectum clypeum manutenentis, atque acinacem siue ensem falcatum gestantis, non corpori alligatum, sed è collo propendentem sub ala sinistra. Hanc structuram quoddam

dam magnificum templum fuisse existimamus, alicui Deorum consecratum, cuius saxa, vt diximus, Turcæ nunc ad mare deferunt, ad supra dictam arcem muniendam deuehenda. Altera arx Sestos in Thraciæ Cherroneso sita est, ingenti & amplo pago à Græcis habitato, nomine Maito, vicina, in collis cuiusdam accliui, trifolij propemodum forma. Huius prima turris mediam arcem



occupans, tres hemicyclos simul coniunctos refert. Altera primam simili forma ambit. Murorum ambitus triangu-

laris est: primúsque eius angulus monti oppositus, turrim in summo obtinens, quæ arcem ea parte propugnat. Ab hac turri mare versus progrediendo, protenduntur vtrinque muri ad ipsum vsque mare, mediam turrim comprehendentes: deinde secundum maris littus progredientes claudũtur; validíssq; tormẽtis bellicis egregiè muniti sunt, quæ explodantur (si necesse sit) in eas naues quæ sine licentia effugere, vel in Hellespontum vi perrumpere vellent. Infirmior est Abydo, ob montem qui illi imminet. Qui per Hellespontum nauigant, montes pinorum siluestrium siluis obsitos conspicere possunt, quarum tedam incolæ legunt, atque accendunt, quoniam instar candelæ ardet. Ex hac etiam picem nigram conficiunt, atque cedriã, à Gallis voce Arabica Quodrã siue Quotrã nũcupatã, ab Auenionensibus verò Cadecerbin. Quoniã autẽ vilis istic est precij, exteræ naues eò appellentes, magnam eius quantitatem auehunt, atque interdum etiam ea sese onerant. Turcæ, cùm admodum sit liquida, eam omnis aut caprinis vtribus excipere solent: precium in singulos vtres dimidius aureus. Multo autẽ liquidior est quã quæ in ligneis doliis ex mõtib⁹ Burdegalæ vicinis aduehitur. Ea olim Aegyptij sua cadauera conseruare solebant, vnde id medicamentũ conficiebatur quod Mumia vulgo appellatur, de qua postea plura. Nautæ nũc nauticos funes ea cedria illinunt, atque cum pice fossili Pissasphaltos nuncupata (ea supra Epidaurum nascitur) miscentes, simul colliquãt, vt Pissasphaltos mollior & liquidior reddatur, cùm sua natura exsuccæ sit, nec vsui esse possit, nisi cedriæ in Phrygia paratæ commisceatur. Vt autẽ intelligi queat, quàm nam arborem per Pinum siluestrem intelligamus, eius picturam hic exhibemus, licet eius luculentam historiam libro de coniferis arboribus dederimus.

Hellesponti & Propontidis littora, magnam Algæ latifoliæ quantitatem proiectam habent, quæ in mari nascitur,

citur, vt in prato fœnum. Incolæ eam in littore legunt, atq. cum pingui terra commiscentes, suas ædes illa contegunt: cùm enim oblonga, lata molliáque habeat folia, facilè contorqueri potest & terræ misceri: quandoquidẽ ædium tecta plana habent. Mare per has angustias magno impetu fertur. Hinc fit vt multa excrementa in littus eiciat non prorsus inutilia, veluti Alcionij quintum genus à Dioscoride descriptum quod Samothraces, Imbri, & Lemni incolæ vulgari lingua Arkeilli vocant. Huius tanta quantitas in Besbico Propontidis insula paululum sub Marmara sita inuenitur, vt naues eo onerari queant: cùm tamen admodũ magno ematur in Venetis, aliarumque nationum officinis: at illud veteri nomine non appellant; sed quoniam leue est, & spumam refert, Spumam maris nuncupant. Nos istic etiam Antipathos inuenimus.



CAP. IIII.

De iis quæ apud Abydum obseruauimus.

ABYDO adiacet pagus, eo amplior qui Sesto vicinus est: in eo cùm essemus die martis, Augusti vigesima octaua, magnam ciconiarum præteruolantium turmam vidimus, quæ multorum iudicio trium aut quatuor millium numerum explere poterant. Ex Russia & Tartaria aduenire credebantur; nam Hellespontũ decussatim transuolabant. Hæ cùm supra Tenedon insulam quasi peruenissent, diu in gyrum sese vertentes aliæ alias subsequebantur,

bantur, atq. quodammodo in orbem sese composuerunt: & inde, antè quàm à Propontidis ostiis longiùs abscederent, plus quàm viginti minoribus turmis distributæ, aliæ aliàs præcesserunt, omnes tamen versus meridiem tendentes. Abydenus ager Chamæleone nigro, vti Hellespontiittora, abundat. Incolæ ex Iberide, quam Græci vulgari appellatione Serapidi nominant, scopas conficiunt. Plures quàm centum Turcæ in nostra naui erant, qui è Constantinopoli in Ægyptum proficiscebantur: longè etenim breuius est iter marinum terrestri, vt postea demonstrabimus. Singuli viatores aureum pro vectura pendunt. Aegyptij mercatores diuenditis Constantinopoli mercibus, ne inanes naues in patriam reuehant, magnum viatorum numerum Memphim aut alia Aegypti loca adire volentium, recipere solēt. Nostra naue in Abydeno portu hærēte, & donec omnia expedita essent exspectāte, secundùs riuulos quosdam aquæ salsæ deambulantes, terrestris cuiusdā serpentis genus inuenimus, quod magna ex parte interdiu in mari viuit, vti coluber in aqua dulci: sed noctu in continentē quietis causa progreditur. Rubro colore quodammodo præditus est, sed cui cinereus permistus sit.

CAP. V.

Troiæ rudera è mari esse conspicua.

A B arcibus manè secundo vento, quem nautæ Maestro tramontano nominare solent, vecti, ex Hellespontiangustiis egredi cœpimus, & in Mediterraneum mare, quod trium milliarium duntaxat spacio ab Abydo abest, ingredientes, Cherronesum ad dextram reliquimus; in qua Promontorium est veteribus Mastusia dictum, vbi Hecubæ tumulus, & Protesilai sepulchrum erat: deinde Imbrum insulam, quæ Lesbo paulo minor est, celsiores tamen montes habet; valde etenim Thraciæ littori vicina est. Longiùs porrò in mare progressi Lemnon insulam vltra Imbrum sitam conspeximus; quæ quoniam humilis

est,

est, nec altos habet montes, vix nobis apparebat. Secundo vento longiùs in mare delati, ad sinistram secundum Asiæ littora defleximus: nam si ad dextram nauigassemus, ab insulæ Chio canali, ad quem tendere oportebat, aberrassemus. Continentis Promontorio Capo de Ianizzari, quod veteres Sigæum nominarunt, vicinores facti, satis aperte cuiusdam vetustæ arcis olim Caput Gymnesium nuncupatæ, rudera conspeximus, quæ eius vetustatem demonstrant. Eam è longinquo videre potuimus, quoniam in summo Promõtorio exstabat. Huius arcis muri ex latere & tenaci intrita exstructi fuêre. Ingentes istic sunt cisternæ, atque ampla penuaria, quæ Troiam profecturi conspectum iuimus: nostra nauis cursum tenebat inter Tenedon insulam, quam ad dextram, & Troiæ rudera quæ ad sinistram habebamus.

CAP. VI.
Ruderum Troiæ descriptio.

TROIANA *rudera procul aspicientibus satis apparent: nam vrbis muri nonnullis locis adhuc supersunt. Quoniam verò ea terrestri itinere spectatũ iuimus; quid istic sit reliqui dicemus: deinde nostram nauigationem prosequẽtes, quid etiã è mari cõspici possit, declarabimus. Qui Constantinopoli maritimo itinere illuc tendere vellet, ad Abydi angustias illi appellendum esset: nam dimidij diei itinere sólummodo inde distant. His conspectis, cui cordi esset amœnam regionem videre, per montẽ idam in Phrygia, deinde per Olympum & Orminium regia via quæ Prusam vrbem ducit, progrediendum foret. Mons Olympus pari propemodum cum monte Senis est altitudine, aditu tamen nequaquam adeò difficilis. Qui istac proficiscí nollet, Calliopolim redire posset, deinde terrestri per Thraciam itinere Constantinopolim. Troia in collis cuiusdam accliui sita est, qui è mari facilè perspicitur: etenim secundum littus extenditur. Inter Tenedon*

insu-

insulam & Troiæ rudera, inter bina promontoria transiuimus: alterum infra Troiam, in conspectu Lesbi insulæ, quod nunc Cabo Sancta Maria, olim Iarganum nominabant: alterum est in extrema insula Tenedo, istiq; ventus nostram nauem deseruit. Ad radices collis sine Promontorij, quasdam fornices antiqui operis adhuc restantes vidimus, ex arenato & latere constantes: vidimus insuper duarum Promontorij arcium rudera paulo infrà, secundùm littus maris, quæ in vrbe inclusæ fuerant. Qui Troianum agrum incolunt, partim Græci sunt, partim Turcæ, partim Arabes: omnesq; eam regionē Troada vulgò nuncupant. Non abs re Troianæ vrbis magnificentia (quanndoquidē adeò ampla est) à veteribus Poetis fuit celebrata. Aedificiorum enim quæ adhuc conspiciuntur rudera tam admiranda videntur intuentibus, vt eorum maiestas nō nisi longa oratione explicari queat. Murorum ambitus de vrbis amplitudine satis amplum testimonium præbent: constabant autem ex magnis saxis, raris, & valde spōgiosis, nigris & duris, forma quadrangula incisis, quæ ex vicini Promontorij Assos nomine, latomiis exempta fuerant, à quo Salpetræ olim Flos Asiæ petræ dictum est. Exstant adhuc turrium quæ in muris erant rudera. Itaque minimè credendum est iis qui omnia rudera interiisse referunt. Murorum qui vrbem cingebant fundamenta adhuc apparent nonnullis locis suffulta columnis & fulcris binas orgyias latis. Quatuor horas in iis circumeundis insumsimus, nūc equites, modò pedites. Extra murorum ambitum secundum regias vias videre licet magna marmorea sepulcra operis antiqui, ex vnico lapide instar cistæ excauata, quorum opercula adhuc integra sunt. Apparent & prædictarum duarū arcium rudera ex marmoreis lapidibus constantia, quæ omnino corrumpi nequeunt. Quæ infimo vrbis Troiæ loco est, secundum maris littus in longitudinem, duorum pro-

pugna-

pugnaculorum instar, extenditur: eius muri ex marmore cũ albo tum rubro tessellatim compositio constant. Altera arx in summo colle sita, ab altera muri parte in ipso vrbis ambitu continetur. Ex hac vniuersa ferè vrbs, atq; etiam vicinus ager conspici potest: illius muri paulum extra vrbis mœnia eminent. Postquam mœniorum ambitum circumiuissemus, interiora vrbis obseruare cœpimus: sed nihil nisi ruderum confusa moles conspicitur: inter quæ turris cuiusdam quadrilateræ basis occurrit ex quadrato lapide structa, magni operis, quam Phari cuiusdam quæ noctu nauigantibus lucem præberet, basim fuisse credimus. Inueniuntur insuper multæ cisternæ integræ, quibus aquæ pluuia adseruabatur; quoniam toto illo tractu rari essent fontes, imo vnicus duntaxat loco inferiore apud portum. Conspiciuntur etiam templorum quæ habitantibus istic Christianis exstructa fuerant, rudera, & magna adhuc murorum pars: in quibus marmorea saxa, crucem sculptam habentia. Toties excisa fuit hæc vrbs, vt nulla integra remanserint ædificia: eam ob causam omnino deserta est, nec quisquam ibi habitare potest ob agri sterilitatem, & aquæ penuriam. Intra primum milliare in circuitu nullus est vicus, nullæ ædes, adeò sterile & arenosum est solum, quod raras admodum arbores fructiferas alit. Pro loci tamen natura Esculi arborum prouentus satis quæstuosus est: nam vicini incolæ eius glandes adhuc teneras cum suis calycibus perticis decutiũt, vt apud nos iuglandes decutere solẽt, quas sub ipsis arboribus exsiccari sinũt, nihil sibi à suibus, cùm nullas alant, metuentes. Glandes deinde siccas colligunt, & in saccis reponunt, quibus camelos onerant, atque in proximas vrbes vehunt & vendunt, vt in Prusa & Callipoli. His coria parant, quemadmodum nos querno cortice comminuto, Aegyptij Acaciæ siliquis, Itali Myrti, Græci Rhois foliis. In hoc capaci ruderum ambitu, ampla est planicies, quæ nũc Xylo

&

& Sesamo conferitur, quod Sesamum magnum censum adfert, quoniam Turcæ ex eo oleū exprimunt. Istic etiam Melonum genus serunt, quod rigatione non indiget: imò eius naturæ est, vt per integram hiemem sine corruptione conseruari possit. Veri tamen sunt melones, & simul atq; à sua planta reuulsi sunt, aliorum melonum modo edi possunt: in eo tamen differunt, quòd tota hieme, totáq; ferè proxima æstate conseruari queant. Legitimos autem esse Melones asserimus, quoniā tota planta à nostratibus non differt, nec eorum sapor ab his quos apud nos alimus, admodum dissimilis est: non desunt etiam illis alij nostratibus similes. Aliud fructus genus istic serunt, quod Turcæ & Græci Arabica appellatione vulgò Copous nominant: Græci tamen antiquitatis studiosi, Chimonicha vocant: Latini verò, certa quadā Græca appellatione Anguria: Arabes, Napeca. Anguriæ tamē nomē impropriè illi attributum est: nam Anguria nihil aliud est nisi cucumis nobis notus. Magni colossi Troiæ humi prostrati adhuc iacent operis antiqui; estq; locus non procul ab arce mari vicina, in quo magna marmoreorum saxorum copia est, quæ istic de industria congesta esse arbitramur, quoniam sine magno sumptu id fieri nequiuit. Restant adhuc in mœniorum ambitu nonnullæ portæ ferè integræ, præsertim ea quæ in colle ab arcis latere est, qua in planiciem egressus erat. Protenditur etiam oblongus & prælatus murus, quem anterides foris fulciunt, ex ambitu progrediens ad planiciem versus montem Idam. Altera porta per quā ad prata aditus erat, & descensus ad thermas, integra etiam est. Reliquæ portæ mare spectantes admodum corruerunt, paucáque restant earum vestigia. Columnam è candido marmore inuenimus terræ quidem infixam, sed media ex parte procumbentem: quæ ab vno latere hanc inscriptionem habuit; sed vetustate adeo corruptam vt vix legi posset. Imp. Cæsar Mar. Aur. Antoninus

nius Pius Felix Parthicus Maximus, Germanicus Maximus, Trib. P. I. Imp. XV. Cos. III. prouinciam Asiã per viã & flumina pontibus subiugauit. *Ab altero latere alia fuit inscriptio, cuius initium duntaxat legere potuimus.* Imp. Cæsar. Aug. Diocletiano regnãte. *De fluminibus Simoide & Xantho adeò à Poëtis celebratis, quæ Troiana prata rigabant, nihil aliud referre possumus, quàm adeò exiguos riuulos nunc esse, vt vix minutulos pisces, Lochę Gallorũ aut Phorinum alere queant: nam æstate omnino exsiccantur; hieme verò vix tantum aquæ ferunt, vt anser in iis natare possit. Nec mirum videri debet si hanc dubitationem de iis fluminibus mouerimus: nam nec Aristotelis tempore inueniri poterant: inquit enim cap. 12. lib. 3. historiæ Animalium:* Scamander etiam amnis flauas reddere oues creditur: quam obrẽ Xanthũ pro Scamandro nuncupatũ ab Homero autumant. *Disquirendũ ergo an Scamãder & Xanthus idẽ flumẽ sint. Via quæ à Troia ad Thermas ducit, ad occidentẽ vergit; quiq. eò proficiscuntur, faciẽ versus Lesbõ insulã obuertere necesse habent: ea autemà calidis aquis vix binis milliaribus abest. Tenedos etiã admodum vicinae est: canalis etenim dũtaxat traiiciẽdus est. Therma verò dimidio miliari à Troia tantũ absunt: adeo frequẽtia sunt secundũ eã viã sepulcra, vt iis quodammodò septa videatur; nã plura adhuc istic conspiciuntur quàm secundũ viã quæ à Philippis Cauallam ducit. Græcorum autem esse videntur, quoniã Græcis literis inscripta sunt: licet etiã quædam Latinis, videlicet quæ Latinorum sunt. Viciniores Thermis facti, superbas structuras antiqui operis conspeximus, in quarum vna* Iulio *legebamus, in alia* Magistratus. *Murum illum quem ex murorum ambitu progredientem in longum produci diximus, secundum vrbem duntaxat sequuti sumus: eum tamen ad viginti passuum millia extendi, nostri itineris duces affirma-*

bant. Vt vt sit, præclarum quidpiam est, & propugnaculum aliquod fuisse aduersus continentē credimus. Versus Idam montem, qui binis sólum tribúsve milliaribus à Troia abest, protenditur, atque ad sinum Satelia pertinere referebant. Verum quidem est, cōtinuam haud quaquam esse eius altitudinem, sed quarta milliaris à Troia parte disiectum perruptumq; conspici: deinde tamen eandem quam apud Troiam habet altitudinem obtinere aiunt. Therma porrò tres aquæ salsæ scaturigines habent, è quibus sal excoqui posset, quemadmodum ex aliis salsis scaturiginibus. Quod facile ex eorum riuulis deprehenditur, quos solis calor æstate sale concretos reddit. De his intellexit Plinius libro 31. cap. 6. cùm ait Larissa, Troade: nam locus vbi illæ sunt, Larissa appellatur. Veteres fornices ex arenato & latere constructæ adhuc istic restant: sed in earum vna non lauantur; quoniam murus collapsus fontem obstruxit: leue tamen & temporarium tugurium exædificatum est apud scaturiginem alteram vbi lauantur. Fornices autem illæ non adeò magnificè exstructæ sunt, vt ad calidas aquas Tauri montis.

CAP. VII.

De insula Lesbo, atque de Promontorio Sygæ.

VT porrò nostram nauigationem prosequamur: cùm è regione Promontorij Cauo Santa Maria nuncupati, olim Iarganum dicti, essemus; rudera vidimus veteris arcis, quam Achillis fuisse suspicamur: nam ingens terræ tumulus instar collis cuiusdam adhuc est, Achillis forsitan, quem Lesbij illi construxerunt. Nos eo die longiùs progressi non fuimus ab arcium angustiis, quàm donec insulam Lesbon antè nos haberemus; lento etenim vento ferebamur. Subsequens etiā nox quieta fuit. Altero die nostra nauis adhuc hæsit è regione arcis vrbis Metelin totius insulæ Lesbi primariæ, à qua insula denominata est. Eius incolæ Turcæ sunt: sed qui rara inhabitant, eáque & vineta colunt, ferè omnes Græci sunt. Lesbium vinum ceteris præ-

præfertur Constantinopoli, idque magna ex parte heluolum est. Vt verò saturatioris coloris reddant, ex Iudæorum doctrina ebuli baccas admiscere norunt. Alia vini genera quæ ex Chio & Cycladibus insulis Cõstantinopolim inuehuntur viliori precio venduntur quàm Lesbiũ, quòd etiã gustu ab aliis discerni potest. Lesbos Phrygiæ opposita est insula, quæ validos & robustos alit equos, licet humiles, Multi istic fiunt casei, atq. optimũ frumentum nascitur. Ex hoc materia duorũ generũ abundè paratur, qua in pultibus suis Turcæ vtuntur, Trachana & Bouhourt, olim Crimnon & Maza appellata. Apud Turcas horũ vsus est cum pacis tũ belli tempore: quemadmodum in Romanis excercitibus Mazæ. eo die longè non sumus progressi: sed è regione eius scopuli hæsimus inter Chion & Tenedon, qui ob capræ similitudinem, quam procul intuentibus repræsentat, vniuerso huic mari Aegeinomen dedit: αἴξ enim Græcis Capram significat.

Tertio die thracias ventus nobis secundus esse cœpit: at quoniam lenis erat, Lesbi insulæ quam ad sinistram relinquebamus littus duntaxat legebamus: eius castellum è longinquo prospicere potuimus, tum quoniam recèns dealbatum fuerat, tum etiam quòd in edito situm sit: in insulæ occidentali parte situm est, * Tenedo insulæ aduersum, veteri more fabricatum, eamque ob causam infirmum. Vrbs portui adiacet eleganti & amplo, qui fidam omnibus nauium generibus stationem præbet. Is ventus toto die nobis secundus fuit, & longiùs à Lesbo progressis apparuit Psara siue Psyra insula, quam ad dextram reliquimus. Exigua insula est, Promontorio Phanææ vicina, quæ onagros siue asinos feros alit, ab his qui in campestribus Assyriæ aluntur diuersos, & alium aërem non ferentes; namque aliò transuecti pereunt. Promontorio Mastichi veteribus Phanæa nuncupato desinente nobis apparere, idem ventus sub vesperam paulo vehe-

mentior factus est, qui sub noctis crepusculum non procul à Chio nos impulit. Per fretum vecti sumus inter Chion & Magnesiæ cuneum, cui adeò vicini facti fuimus, vt facilè lapidem è nostra naui in continentem conicere potuissemus. Ea verò Magnesia, minimè illa est quæ in Thessalia Mæandro amne alluitur, quindecim milliaribus ab Epheso distans: sed Chio vicina, nobisq; ad sinistram sita, Chios autem ad dextram. Præcelsum Chij montem nomine Pellenæũ infra nos reliquimus, peruenimúsq. Chion, in cuius canali noctu hæsimus, diem exspectantes.

*Bellonius hallucinari videtur hoc loco: cùm Lesbi occidentalis pars, Tenedos, quæ ad eius Septentrionem spectat, aduersa esse nõ possit, secundum geographicas tabulas.

CAP. VIII.

Breuis descriptio eorum quæ in insula & urbe Chio obseruauimus: solaque in ea Insula Mastichen inueniri.

Ex superiùs enumeratis diebus liquet, bidui duntaxat nauigatione opus esse, ex Hellespontifreto in Chion insulam, si secundus ventus aspiret: quandoquidem tertio die nos eò appulimus. Simul atque illuxisset, ex naue descendimus, vt vrbem conspiceremus, quæ exigua est, & in littore maris sita ad montis radices, Orienti exposita & Natoliam spectans. Turcico Imperatori tributaria est, eique in singulos annos duodena aureorum ducatorum millia pendit, vt in suis immunitatibus eã conseruet. Angustũ habet portũ. sed satis cõmodũ pro triremibus, aliísq. generibus nauiũ minorũ, & lẽbis. Maiores naues anchoras in ipso canali figere solent, nec portũ ingrediuntur. Sola insula Chios inter reliquas Mastichen generat, tametsi Galenus lib. 2. ad Glauconẽ, Aegyptiacã mastichen commendet: hoc autem tẽpore scimus in sola Chio reperiri, vbi Lentisci arbores tali diligentia & cura excoluntur, vt non minores in eã rẽ sumtus fiant, quàm apud nos in vinetorũ cultura. Cùm verò potiores incolarũ huius insulæ opes in Mastiche consistãt: eã ob causam in Lentisci arboribus curandis maiorẽ adhibẽt diligentiam. Quemadmodum

dũ enim Oleæ & fructiferæ aliæ arbores curã & culturã expetũt: sic Lentiſci, niſi neceſſaria cura adhiberetur, exiguã cũmi prouentũ darẽt. Lẽtiſci per Galliã Narbonenſem, Prouinciã & Italiã naſcẽtes, iis quæ in Chio creſcunt ſunt ſimiles: attamẽ nullã Maſtichẽ præbẽt. Eruitur ex ea inſula peculiare genus terræ virẽtis, æruginis æris colorem admodum referens, quam in Turcæ dominio terram Chiam nucupant: attamen veterum terra Chia non eſt, ſed Vitruuij Theodotion. Nulla vrbs eſt in qua humaniores ſint incolæ quàm in Chio. Nec locum aliquem ſcimus vbi ſuauior vitæ ratio haberi queat noſtro iudicio, & in quo fœmina ſuauioribus moribus & elegantiore forma ſint præditæ. Celebratæ olim pulchritudinis adhuc amplum teſtimonium præbent. Vt enim quædam nympha huius inſulæ ob inſignem candorem vocata eſt Chione à vocabulo Græco χιὼν quod niuem ſignificat: ſic inſula ab eadem nympha χίος vocata eſt. Sed & viri in ea inſula admodum humani ſunt: licetque Græca inſula ſit: magna tamen ex parte Franko more, hoc eſt, Latino viuitur. Plurimi incolarũ, Græci cùm ſint, & Græca viuendi conſuetudine vti velint, cuilibet tamen viuendi rationem deligere permittunt quæ magis arridet. Vtriuſq; religionis obſeruatio plurimum differt. Nã qui veri ſunt Græci, ſi quempiã è ſuis Quadrageſimali tempore piſcibus ſanguine præditis veſci videant, plurimũ offenduntur. Quid illud eſt (inquient) an nõ Romeos es? quaſi dicerent, Nõnne tu Græcus es? Nam qui Græcam religionem ſectantur, Romei appellantur: qui verò Latinam, hoc eſt, Pontificem Romanum agnoſcunt, Franki. Quoniam verò Græcis prohibitus eſt eſus piſcium ſanguine præditorum in Quadrageſima: ſi quis eiuſdem religionis his veſcatur, offenduntur, adeò ſuæ religionis obſeruantes ſunt. Chij autem cùm partim Genuenſes & Itali, partim Græci, & Turcæ tributarij ſint, in ſolita libertate viuunt, quam il-

lis Turca conseruat. Ante quàm hæc insula in Turcæ potestatem veniret, Genuẽsibus omnino parebat. At postquam Turca eam occupauit, Genuensibus non adeò subiecta est, quin administrationem Reipublicæ pro sua voluntate gubernet, haudquaquam ex Genuensium arbitrio. Quemadmodum & Respublica Epidaurica, quæ similiter Turcæ tributaria est. Insulani partim lingua Græca, partim corrupta Italica, qualis est Genuensis, vtuntur: Vestium autem forma & victus ratio Genuensium est. Mastiches prouentus in ea insula tantus est, vt singulis annis Turcico Imperatori pro quaternis vel quinis millibus ducatorum pendant in deductionẽ eius summæ quam illi tributi nomine dare debẽt: & singulas centenas libras centenis quinis ducatis æstimant. Quidquid eius superest, sibi reseruant. Galli mercatores Mastiches precium idem perpetuò esse considerantes, existimant atque etiam referunt incolas, collecta eius certa quantitate, reliquam abiicere. Sed id veritati minimè consentaneum est: nam, vti diximus, magnas impensas in Lentisci fruticibus colendis & curandis faciunt. Sed quoniam Turcico Imperatori singulis annis pro quatuor aut plurium millium ducatorum æstimatione pendunt, eius precium vel augere vel imminuere non licet.

Cessante Austro, qui nobis aliquamdiu aduersus fuerat, vela explicuimus, atque thracia satis secundo versus Alexandriam nauigauimus. Prima quã è longinquo prospeximus insula, Icaria fuit, nunc Nicaria appellata, quam ad dextram reliquimus: * Exigua est insula, Reipub. Chiæ subdita, minimè lata, sed in longitudinem protensa, non admodum magnis montibus prædita, atque rariis siluis, sed frumẽto, & optimis pascuis pro ouibus abundat, è quibus ingentem caseorum numerum colligũt. Tutos portus habet hæc insula: atq. nisi pyratæ huic (quemadmodum & plurimis aliis paruis & desertis insulis) negotium

gotium facesserent, longè melius coleretur. Nãvilis etiam quiuis pyrata eò appellens, atque in incolas impetum faciens, eos comprehensos, & in triremem coniectos, vi abducit. Paulo pòst procul admodum intuentibus Samos apparuit, quoniam præaltos montes habet. Deinde longiùs progressi, Ion inter Icariam & Naxon vidimus, in qua Homerum sepultum ferunt.

* Quæ hoc loco de Samo insula in Gallico exemplari insperſa fuêre, sustuli, atque sub capitis finem reposui: alioqui non constabat sibi Belonius. Sed & Ion insulam malè collocare videtur inter Icariam & Naxon, si topographicæ tabulæ veræ sunt, quæ Ion longè infra Naxon reponunt.

CAP. IX.

De Insula Samo.

TAMETSI *insula Samos ampla sit, vtpote quæ quingenta & octoginta octo passuũ millia in ambitu habeat: deserta tamen est. Mirumq; est eam ita neglegi; quandoquidem olim adeò celebrata potensq; fuit, vt cum Athenienſibus decertare auderet: pyratarum metus eam adeò desertam reddit, vt ne pagus quidem vnicus supersit, eámque ob causam nulla pecora in ea aluntur. Orbicularis potiùs est quàm longa aut in latum extensa, & solo canali siue angustiis ab Asiæ continenti separata est. Ea insula pars quæ Septentrioni & Occidẽti obiecta est, celsissimum præruptúmque & scopulosum habet montem, qui olim Cercetius dictus fuit: sunt que eius scopuli penè inaccessibiles. Nauta Græcus in nostra naui vectus, qui eam insulam perlustrauerat, multos istic conspexisse riuos referebat: nos enim (tametsi non procul à nobis esset) è naui duntaxat conspeximus. Præaltarum arborum nemoribus abundat, è quibus breui temporis spatio pyratæ naues sibi fabricare possunt, ad prædas in mari agendum.*

CAP. X.

Disceptatio de pyratis, eorumque definitio.

QVONIAM *quid sibi hoc vocabulum pyrata velit, Mediterraneæ regiones non satis intelligunt, atque in*

ipsorũ potestate fuimus; quid Pyrata sit, edocere volumus. Vt id porrò paucis demonstremus, quomodo sese sustentare queat, atque vnde originem sumat; imaginandum est, tres aut quatuor viros nauigandi peritos, atque audaces, fortunæ sese exponere; qui cum initio egeni sint, vnicámq; nauiculam prædatoriam aut vilem dromadem habeant, pyxide tamen nauigatoria siue quadrante quod Bussolo vocant, præditos esse, atque bellico apparatu, videlicet leuibus quibusdam armis ad eminus feriendum. Pro sua alimonia saccum farinæ secum vehunt, atq. nonnihil panis biscocti, vtrem olei, mel, aliquot alliorum & ceparum simul colligatorum fasciculos, & salis modicum, quæ in menstruum spacium sufficiant. Rebus ita cõparatis, mari sese exponunt, eò nauem dirigentes vbi quæstum facere sperant. Si ventus aduersus terram petere eos cogit, nauiculam in continentem trahunt, eámq; arborum ramis tegunt: tum ligna securibus cædentes ignem struunt, placentámque ex farina conficiunt, quam eadem ratione coquunt, qua olim Romani milites in bello facere solebant, qui æream aut ferream laminam gestabant, qua binis lapidibus imposita, ignem substruebant, sed supra extensa prius placenta, quæ ignis ardore incalescente lamina, percoquebatur. Cùm igitur ita parata omnia habeant, fieri non potest, quin vno aut altero mense opimam aliquam prædam nanciscantur. Quam si fauente fortuna adepti sint, breui opulenti fiunt. Vt vt sit, nulla adeò exigua præda illis contingere potest, quæ ad maiora illos aspirare non faciat. Quoniam verò hæc pestis adeò contagiosa est, vt vno die ex Asia in Africam transvolet; nemo est qui non magnoperè eam metuat, sibíque, quantũ possit, ab illa caueat. Id malum publicum est, quod continentis incolas cogit ipsos in mari obseruare ea qua dicemus ratione. Nulla sunt in insulis siue in continentis littore montium iuga, in quibus interdiu non constituantur excubitores, qui

qui obseruent an aliquos pyratas in mari nauigantes conspiciant. Quod si nauem aliquam viderint, facilè discernent sitne pyratæ alicuius nécne: nam tam dextrè dissimulare non poterunt, quin suspectos sese reddant. Semper enim latibula quæritant, hinc inde obseruantes, vt aliquem inopinatum opprimant. Si excubiæ eiusmodi naues in mari conspexerint, subitò ignem accendũt; qui quoniam interdiu conspici non posset, de industria materiam aliquam præparatam habent, quæ ingentem fumũ excitet. Si plures naues conspexerint, variis locis fumũ excitabũt: nã multi fumi plures naues conspectas esse indicãt. His signis omnes vicinorũ portuũ incolæ admonẽtur vt sibi caueãt. Reliquæ quæ in aliis montiũ iugis sunt excubiæ, priorum exemplũ sequũtur, tametsi nihil aliud quàm fumos viderint. Sub noctis verò crepusculũ, luculentum ignem excitant, qui ab omnibus conspici queat. Nam ea nautarũ est consuetudo, vt sub noctis crepusculũ omnes ad ea loca vbi collocatæ sunt excubiæ, oculos conuertant, scientes excubias singulis noctibus lucidũ ignẽ excitare, in securitatis indicium: idq; appellãt, littus marinũ atque ipsum etiã mare nitidum & purũ esse; vt contra cùm multi ignes conspiciuntur, maritimã orã nebulosam esse. Quod si speculator binos ignes excitarit, duas hostiũ naues conspectas esse indicium est: idẽ fit de tribus, quatuor, aut pluribus. Quòd si plures ignes excitarit quàm vt eorũ numerus supputari queat, indiciũ est tot eũ cõspexisse naues, vt eas numerare non valuerit. Illud ignis indiciũ omnibus locis tam in pace quàm in bello obseruatur. Istud inuentum inter cetera Reipublicæ maximè vtile est. Nam vnius duntaxat speculæ exploratore opus est, vt vniuersam prouinciam commonefaciat. Speculatoribus enim sibi inuicem respondentibus, is qui procul abest, nõ minus admonet eum qui longiùs adhuc abest, quàm si ipsemet vidisset: idque vnica eiusdem diei hora, ad plura quàm centum quinquaginta

milliaria. Sed non est recens inuentum. Herodotus enim refert, Scyri incolas admonere potuisse Græcos plusquam triginta milliaribus inde distantes, de tribus triremibus quas illis Xerxes ademerat. Similis ignium ratio non minus in Anglia obseruatur, præsertim belli tempore, quàm in maris Aegei insulis. Nam ad vnicum ignis signum in proximo monte editum, minus trium horarum spacio omnes vicinæ regionis incolæ cum armis congregabuntur, cumq; singulæ tribus sciant quò illis proficiscendum sit ad hostes reprimendos, eos à suis littoribus arcent, nec in littus descendere patiuntur. Hæc omnia pyratæ non ignorant: eam ob causam noctu plerumque nauigant, atq. ad littus appellunt loco iis maximè opportuno, vt suũ myoparonem in littus pertractum ramis tegere queant. Interea otium habent insidiãdi iis qui è pagis aduenient, siue pascendi pecoris gratia, siue aquandi, siue quidpiam aliud agendi; quos statim comprehendunt, iisq; compedes iniicientes ad remos impellendos vtuntur. Si industrij fuerint, & bimestri solummodo spacio pyraticam exercuerint, segnes admodum fuisse eos necesse est, nisi duodena mancipia nacti fuerint: quorum numerum ea ratione augendo, sensim maiores naues sibi comparant, donec triremis alicuius fiãt domini. Quodsi forte fortuna binæ Pyratarum turmæ simul societatem ineant: tum liberiùs grassantur; non minus enim hostes sunt sanguine iunctorum quàm quorumlibet exterorum, nec vllo modo iis parcunt. Bini duntaxat pyratæ impetum facere audebunt in Squiras se, Marciliane, Luc, & eius generis minuta nauigia. At onerariam nauem adoredi non audebunt, modò aliquot tormentis bellicis prædita sit. Hac igitur ratione pyratæ in mari grassantur, sensimq; potentiores facti, omnibus insulanis sunt formidini, sic vt miseri rustici perpetuò in maiore metu versentur, quàm auicula cui auceps insidiatur: nam dum quispiam maximè securum se

putat,

putat, ab illis opprimitur: ipsique adeò piscatores. Atque vt huius rei exemplum adferamus. Cùm in Paxo, olim Ericusa dicta insula essemus, nõ procul à Corcyra, & cum itineris duce stirpes aliquas perquirerem, piratæ eam nauem quæ nos eò aduexerat, cum ipsis nautis abduxerunt. Item alio tempore magna nauis oneraria Veneta Priola appellata, in portu cuiusdam insulæ maris Aegei fixerat anchoras, cui nomẽ Zia, olim verò Cia, cõmodũ ventũ exspectans vt Constãtinopolim proficisceretur: lembus quidã ex Andri insulæ portu sõluens, secundo vento in nostrum portum delatus est, quo admodum serò peruenit. Hunc alius pyratarum lembus insequebatur; atq. in portum simul etiam ingressus fuisset, nisi piratæ nostram istic nauem conspexissent: eam ob causam sese subduxerunt in alium portum, qui post insulam erat, quoniam iam tenebræ obortæ erant. Sed postridie ante lucem pyratæ octo numero inter harundines sese abditum venerunt, auroram exspectaturi, & lembum qui in littore erat, occupare sperantes, quem vi cum his qui inerant abducerent. Idque sine dubio fecissent nisi auxilium aliis tulissemus. Simulatq. verò qui in lembo erãt sese oppressos à pyratis animaduerterunt, robustiores qui erãt viri, in mare sese abiecerunt, vt natando saluti suæ consulerent: at reliqui cum feminis & paruulis qui in lembo remanserant, in piratarum potestatem venerunt. Adeò temerarij erant hi pyratæ, vt in nostro conspectu, qui multi eramus, miseros captos è portu abducere velle auderẽt. At noster nauclerus tormentum bellicum in illos explosit, & sclopetarios per nauis foros dispositi; aliud deinde tormentum in ipsos emisit, sic vt lembum deserere cogerentur. Sed & cùm è portu egredi voluissent, proximè nostram nauem illos nauigare necesse fuisset: hac ratione ad suum lembum redire coacti sunt. Miseri isti qui ex Andro solue rant, haud dubiè Turcis venditi fuissent, nisi opem illis tulissemus.

Nun-

Nunquam Turcæ eos iugulant quos capiunt siue in mari, siue in continenti, sed vendunt. Formosa & iuuencula mulier octoginta aut centum ducatis, vetula triginta aut quadraginta, puer aliquis bene habito corpore, quadraginta aut quinquaginta ducatis æstimabitur, vir autem robustus & quadratus sexaginta. Hæc causa est cur naues semper armis bellicis instructæ nauigent: & cur illæ quæ armis carẽt, perpetuo in metu versentur. Sed hæc satis de pyratis: nunc ad nostram nauigationem reuertamur.

Aquilo, qui nobis secundus erat, tota ea nocte constans fuit, sic vt Samon insulam ad sinistram relinqueremus, atque per angustias quæ inter Samõ & Icariam sunt, nauigaremus. Alto adhuc sole apud binos illos paruos scopulos transiuimus, nautis omnibus adeò celebratos, & fornaces nominatos; quoniam periculi plena est secundum eos nauigatio: appellationẽ vulgarẽ sumpserũt à Græcis, quibus olim ἰτνοὶ, hoc est, furni dicti sunt: at veteres hos nõ intellexerunt, sed alios qui sunt ad ostia Penei amnis apud Thessaliã. Hi sunt admodũ metuendi, præsertim quãdo noctu istac nauigandum est. Marina tabula eos fornacum nomine indigetat. Quoniam verò nobis istac iter faciendum erat, vel alias magno ambitu mare nauigandum; plurimum metuebamus: sæpenumero etenim accidit, naues tempestate istic perire. Nostrum iter prosequentes, transiuimus apud aliam insulam appellatã Gaideroniso, hoc est, Asinorum insulam: nullius autem nominis est, quòd deserta sit.

CAP. XI.

De Insula Patmo.

PATMON *insulam (in qua Diuus Ioannes Euangelista relegatus fuit, & Apocalypsin scripsit) ad sinistram reliquimus, cuius montes adeò celsi sunt, vt procul etiam conspici possint. Vulgò Palmosa nuncupatur, atque à Christianis Græcis incolitur. Longè infra Icariam sita est.*

Eius

Eius incolæ in omni libertate Christiana secundum Græcorum consuetudinem viuũt, quemadmodum & reliquæ Græcorum insulæ quæ tributũ Turcico Imperatori pendunt. Magistratus tamen & vrbium Præfecti magna ex parte Turcæ sunt. Patmi portus satis capax est proparonibus, triremibus, & minoribus nauigiis. Vniuersa insula tritici ferax est, & omni leguminũ genere abũdat: in ea est monasteriũ Caloierorũ Græcorũ, in quo cadaueris manus ostẽditur, cui vngues succrescũt, vt in viuentis hominis manu; & tametsi resecentur, post aliquod tempus denuò succrescunt. Vnde Turcæ occasionem sumserunt dicendi manum esse alicuius ex ipsorum prophetis. At Græci Diui Ioannis manum esse asserunt, qua istic Apocalypsim exarauit. Aquilone, perseuerãte, ad dextrã Lipson insulam vidimus procul in mari dissitam, quæ parua est & deserta: paulo post insulam Pharmaco, quam veteres Pharmacusam nominabant, omnino etiam desertam superauimus. Apud hanc insulam olim Cæsar à pyratis captus fuit, cùm Rhodon proficisceretur, Apollonij Molonis audiendi causa. Pharmacusa superata, in insulam peruenimus quæ olim Ireon [Leria Sophiani tabula habet] dicta fuit, nunc Lero adamussim obiecta Asiæ continentis cuneo longè in mare protenso, quem marina tabula Cortolo appellat. Veteres istic arces conspiciuntur collibus impositæ. Leriæ montes iis qui in Samo sunt, longè celsiores sunt, probéque exculta est ea insula cùm à Turcis tum à Christianis Græcæ religionis. Longius progressi, in aliam magnam insulam peruenimus Calimno nuncupatam, à Græcis Christianis habitatam: inde in aliam nomine Psermo, in qua bina aut terna sunt oppida, & multi pagi. Græcorum Christianorum industria & labore exculta est. Vrbem ad sinistram habebamus Lesmirne appellatam, vnam ex opulentissimis, & maxime mercurialibus totius Anatoliæ siue Asiæ minoris, quæ veteribus Smyr-

Smyrna dicta fuit. E regione Patmi insulæ superandus nobis fuit cuneus Anatoliæ, longè in mare prominens, quem marina tabula Capo rosso, veteres Erythram dixerunt; hoc est, Promontorium rubrum. Magna difficultate eum superauimus: nam nebulosus erat aër, & intempesta nox. Ventus etiam aduersus nos occupauit, sic vt dimidiato velo in latus obuerso vteremur: Thracias is erat, adeò vehemens, vt mare mirum in modum cõcitaret & turbaret. Postride mane canalem Co insulæ ingredi cœpimus, apud continentem qui Halicarnassi nomen habet; is quinque solum milliaribus in latitudinem patet. Mare inter Samon & Con tam multis paruis insulis abundat, vt eas vix numerare liceat: eæ omnes veteribus Sporades sunt dictæ.

* Si topographicæ Castaldi & Sophiani Græciæ tabulæ veræ sunt: Bellonium non toto (quod aiunt) cælo, sed toto mari errare necesse est, aut suam nauigationem confuso admodum ordine describere. Nam qui fieri potest vt in Patmi insulæ conspectu sit promontorium Erythræ, atque ad Pœrima sinistram Smyrna, quæ in Ionia apud Clazomenas ad Sinum quendam in tabulis reponuntur? Sed id ego Lectoris iudicio relinquo.

CAP. XII.

De Co insula, Hippocratis patria.

CVM iam illuxisset, canalis bonam partem emensi, vniuersam insulam Con apertè conspicere poteramus, quæ Hippocratis patria est, Turcæ Stancon nominant. Eius montes nobis celsiores videbantur quàm reliquarum insularum quas adhuc conspexissemus: nam Cretæ montibus inferiores non apparebant. Ipsa vrbs Cos à solis Turcis habitatur, & in vniuersa insula duo duntaxat sunt pagi quos Græci incolant. Ipsa vrbs & arx etiam Stancon appellantur. Hæc in edito sita est, turresque orbiculares habet maiores, quàm arces quæ in Lesbo & Tenedo sunt: illa autem humili loco sub arce ad maris littus, insula animantibus abundat, longiórque est quàm lata. Nos illius oram diu legimus, secundo vento delati, atque omnibus velis expansis (nam tempestas iam

sam desierat) & additamentis etiã adhibitis. Ea porrò ad dextram relicta Rhodicum mare ingressi sumus. Procul ab vrbe Rhodo adhuc aberamus, cùm illam supra collem exiguum qui in mare protenditur, sitam conspiceremus: & quoniam præaltas habet turres, & pharos in quibus lumen reponitur, cuius conspectu naues dirigantur ne à portu aberrent, procul nobis intuentibus apparuit. Viciniores autem facti, comperimus veterem quam referunt fuisse vrbem colliculo rotundo impositam iuxta littus maris, binis milliaribus distare ab hodierna vrbe: aiúntque istic cœnobium fuisse equitum Rhodiorum: & præter splendida quæ istic sunt ædificia, munitum esse locum, qui etiam diligẽter à Turcis adseruatur. Tandem ante insulam appellentes, anchoris iactis è nauibus descendimus, atque vrbem perlustratum iuimus.

CAP. XIII.

Singularia quædam Rhodi obseruata.

VRBS Rhodia partim in accliui collis molliter descendentis sita est; altera pars littus occupat. Maxima eorum qui pagos totius insulæ incolunt pars, Græci sunt: his vrbẽ interdiu ingredi ad operas faciẽdas & annonam comportandã, atque in ea toto die commorari licet: at vt nocte istic hæreãt, nõ concedũt Turcæ, ob seditionis atq. proditionis metũ. Inferre tamẽ ideo nolum⁹, quin noctu Christiani aliqui istic permancant: nam pleraque eorũ mancipia Christiani sunt. Senatus item Venetus istic negotiorum Procuratorem, siue, vt vocant, Factorem, qui noctem in vrbe ducit, alunt, tametsi omnes eius famuli Christiani sint. Turcarum Imperator perpetuò quinque triremes bene instructas habet, quarum Præfecti cura est, liberã reddere mare ab incursionibus quas pyratæ in Cycladibus & Sporadibus insulis, aliisque Græciæ locis Turcico dominio subiectis facere solent: tum etiam vt Mediterraneum mare sibi subiectum habeat, atque reliquam Græciam tutam præstet. Nam plerumque cum

suis

suis triremibus excurrit: & si quem pyratã in mari vagari intelligat, eum persequi non cessat, donec eum inueniat. Omnia equitũ Rhodiorũ cùm Gallorũ tũ aliarum nationũ ædificia integra adhuc permanẽt. Turcæ etenim nulla insignia, nullas picturas, sculpturas, aut inscriptiones quas istic inuenerunt, abstulerũt. Sed & hodie plurimas inscriptiones cùm Gallicas tum Italicas legere licet. Asserimus insuper Turcas hanc consuetudinem perpetuò obseruasse, vt omnes arces & propugnacula quæ occuparint, vti ea inuenerunt conseruarint; nihil enim vnquam structurarum aut sculpturarum diruunt. Postridie vrbe egressi, vicinos quosdam pagos adiimus, sacrisque Caloierorũ Græcorũ interfuimus, & eorum hortos perlustrauimus, punicorum, aureorumque malorum, zyzipharum & sebesten arboribus, quibus abundant, probè instructorum: cuius sebesten fructu viscum conficiunt. Aderant etiam ficus, amygdalæ & oleæ. Pagorum Rhodi incolæ Græcam religionem obseruant, & rerum propria nomina habentium vocabula adhuc retinent. Nocturnæ Turcarum excubiæ cùm Rhodi, tum aliis Turcæ dominio subiectis arcibus alta voce fiũt (non autem campanarum sonitu, vt in Italiæ vrbibus & Epidauri) respondentibus sibi inuicem excubitoribus. Rhodi mœnia in eodem adhuc statu permanent quo fuerunt cùm vrbs Equitibus adempta fuit: nec quidquam ab eo tempore ademptum aut additum est. Istic inueniuntur venales elegantes acu pictæ merces, præsertim verò lectorum tentoria: eas variis coloribus pingunt, sericeis staminibus crucis in formam decussatim consutis. Ipsa pictura frondes repræsentat, differtque à Turcica & ea quæ in Chio & Cypro fit.

Quimos apud Vngaros etiã obseruatur.

CAP.

CAP. XIIII.

De aue Onocrotalo, & serpente Iaculo: deque Turcicorum militum modestia.

ISTIC *Onocrotalum cicurem vidimus per vrbem deambulantem; cuius magnitudine obseruata, Cigno minorē esse deprehendimus. Omnino albus est, & Ansere longè crassior. Crura & pedes, Cigni pedibus similes habet, sed crassiore cute præditos, coloris cinerei. Excitata est auis, capite sublimi & elato, rostro lato & canniculato, per extremum mucronato & vnco, plumarum cristam in occipite gerens, vt Vannellus siue Aëx, & in volatu Cignorum more alas verberat. Victum quaritat cùm in salsis tum in dulcibus aquis. In eo quem de auibus conscripsimus libro, hunc Pellicanum esse demonstrabimus, de quo breuitatis causa plura nunc non dicemus. Inter huius Insulæ singularia, serpentem Iaculum vidimus, paruis maculis oculorum instar in dorso varium, iis quibus Torpedo in dorso prædita est similibus. Nos extra vrbem sub spinosa cappari reperimus, quo loco Turca sua tormenta collocarat dum Rhodum obsideret. Græci nunc vulgari voce* Saetta, *hoc est; Sagittā, Turcæ* Ochilanne *appellāt, veteres Aconciam dixēre. Trium palmorum longitudinem habet, & minoris digiti crassitudinem non superat: color eius cinereus ad lacteum tēdens, venter autem omnino candidus, squammas in dorso, tabellas verò sub ventre habens, reliquorum more. Cæruicem nigram habet, & binas albas lineas ab ea per dorsi lōgitudinem vsque ad caudam excurrentes. Maculæ quas insperſas habet, lenticula maiores non sunt, coloris nigri, albo orbe cinctæ. Nos aliàs eius anatomen describemus, cùm peculiarem de omnibus serpentibus sermonem instituemus. Eius tamen effigiem ad viuum expressam nacti, eam hoc loco inserere libuit.*

Vidimus præterea myoparonem, Styrace rubra quam Græci huius seculi Maurocapno *appellant, onustam, in*



portus littore exonerari. Nobisque relatum est, in ipsa insula nasci: sed quoniam iis qui nauigationem instituunt, longiùs a suis nauibus progredi non licet, euagari non potuimus vt eius arborem obseruaremus: nam cùm nautæ commodum tempus habēt, nullius gratia nauigationē retardare solent. Ex quo inferre volumus, illos qui in triremibus aut aliis nauigiis peregrinationem instituunt, parum in continente obseruare posse, quoniam perpetuò nauem qua vehuntur præstolari necesse est. Diligentiùs obseruantes Turcas milites qui ad Rhodi vrbis portas excubāt, occasionē sumpsimus scribēdi quàm ingēs sit Turcarū militū continentia & obedientia: nam licet viginti aut triginta viri diligenter portas obseruarent, id tanto silentio & modestia faciebant, vt non plus turbæ exaudiretur, quàm si nemo istic adfuisset, videbantúrq. potius opifices aliqui quàm milites, nihilominus senatoriam quandā grauitatē præ se ferētes. In omnibus sane actionibus adeò modesti erant, vt nemo eorum arma, imo ne acinacem quidē haberet. Binæ duntaxat nūc Rhodi patent portæ, vna ad portum spectans, altera ad continentem; deinde ianua ad Præfecti ordinis qui solebat esse hortum. Rustici qui in vrbem caprcolos, caseos, butyrum, aliámque annonam inferunt, eodem quo Cretenses rustici modo amicti sunt, fuscam & corrugatam faciem habentes, prolixámq. & ad scapulas vsque propensam comam gestantes, atque crasso dupliciqué pileo caput tegentes. Thoracem coriaceum sine manicis, lineam interulam anteriore & posteriore parte propendentē induti, coriaceasq; oblōgas ocreas, quas thoraci ligulis adnectunt,

ctunt, & supra interulam lineas braccas inducunt. Qui eos antea non conspexissent, laruatos esse homines censeret iis omnino similes qui mimos siue matacinos agunt: nam simili modò compti sunt, quo laruati illi qui mimos Romæ & Venetiis in Bacchanalibus agunt. Turcæ eorum merces præsenti pecunia & bona fide redimere solent. Ex ruderibus quæ extra vrbem sunt, facilè colligere licet, magna olim istic fuisse suburbia, quæ omnino diruta fuêre cùm Turca Rhodum obsideret, nec postea restituta. vicini tamen vrbi sunt aliqui pagi, non longiùs à portis distantes quàm ad balistæ iactum, quos Græci & Turcæ incolunt, ibique Caloieri monasterium habent.

CAP. XV.

Profectio è Rhodo in Alexandriam.

ALIQVOT *diebus Rhodi exactis, & expeditis negotiis, nostram nauigationem prosequuti sumus aquilone flante, nauémque in alterum latus impellente; superandum enim nobis erat promontorium quod Cauo del Bo vulgò dicitur, longè supra Rhodum vrbem. Eò primùm appulerunt Turcicæ triremes, cùm continente occupato vrbem obsederunt. Superato promontorio, tum Aquilo nobis secundus adflauit, & proram rectà versus Alexandriam dirigentes omnia vela expandimus, additis etiam appendicibus, rectà nostrum cursum tenentes. Id Itali Gallico velo nauigare appellant: videntúrque hanc differentiam fecisse respectu Latini veli quod triangulum est, cùm Gallicum quadrangulum sit: tum etiam quod Bourdon nuncupatum vulgò, Latinum velum nominetur. Tota nocte nobis fuit ventus secundus, atque sub solis exortum eò progressi cùm essemus, vt insula amplius non conspiceretur, ipsâ meridie nos deseruit is ventus, & maris tranquillitas atque malacia subsecuta est: vbinam autem locorum essemus, cognoscere cupientes, ex marina tabula deprehendimus dimidum iter nos con-*

feciſſe: nam vento ſecundo nauigationẽ à Rhodo in Alexandriam minus triduo totidẽq; noctibus abſoluere licet. Quando malacia pleno æquore nauem occupat, non magis agitatur quàm ſi in portu eſſet. Tum ſinguli nautæ colludũt inter ſe, piſcantur, & natandi & lauandi gratia ſeſe in mare abiiciunt, nec, ſeſe ſub aquam mergentes, ab vno nauis latere in aliud tranſire verentur. Tum plerumque pyratas metuere ſolent: nam in malacia, nulla eſt exigua nauis longa, hoc eſt, quæ remis impelli ſolet, quæ in magna naui rotunda nauigantibus metum non incutiat. At flante vento, ne minore quidem rotunda vecti, à trireme ſibi metuunt: quoniam velorum beneficio effugere poſſunt. Euroauſtro paulatim flare incipiente, ſub veſperam intendi cœpit, & tandẽ nimium vehemens fieri, ſic vt omnia vela contrahenda fuerint, dolone excepto, quem ad dimidium vſque malum deprimere, atque funibus validè conſtringere neceſſe fuit. Huic ſucceſſit Auſter, ſiue Notus, nobis ſatis ſecundus qui tota nocte flauit. At ſub auroram Aquilo nobis denuo aſpirauit: tũ demum magnum iter peregimus, ſingulis horis quaterna ad minimum vel quina milliaria conficientes: qua nauigatione nulla expeditior eſſe poteſt, niſi tempeſtate nauis feratur. Hæc antẽ eius nauigationis ratio eſt, vt à boſphoro eã rectà inſtituentibus, noſtræ nauis puppis Septentrioni obuerſa eſſet, & prora Meridiei: nam Conſtantinopoli in Alexandriam recta linea contendentibus, à Septentrione in Meridiem nauigandum eſt. Quoniam porrò in nauigationis narratione noſtra oratio adeò progreſſa eſt, ab ea abſtinere commodum non videtur, quin prius de veterũ nauigatione aliquid dicamus, quæ longè difficilior & minus commoda erat quàm nunc ſit, vt in ſequenti capite apparebit.

CAP.

CAP. XVI.

Veteres nauigationem sine pyxide nautica instituisse, & magnetis vsum ignorasse

VETERES *longè difficiliùs suas nauigationes instituebãt, quàm nunc fit: nam vel Orientis vel Occidentis, vel Septentrionis vel Meridiei coniectura vti eos necesse erat: vel ex stellarum & Solis quæ noctu & interdiu illis apparebãt fulgore; atque magna ex parte nõ longiùs in mari progrediebantur, quin continentem perpetuò conspicere possent. Nunc autem cùm magnetis facultates omnibus sint perspectæ; nauigatio adeo facilis reddita est, vt bini viri cũ leui nauicula, omni momento, omnibus periculis, vehementissimisque ventis sese committere, & mare traiicere non vereantur: quod veteres ipsa meridie tentare non fuissent ausi, cùm nauticam pyxidem non haberent cuius acus magneti adfricata esset. Hic lapis alio nomine Heracleus & Sideritis dicitur; Itali Calamita, Galli Aimant vocant; in quo diuersæ facultates reperiuntur. Comperimus eum qui primus huius lapidis vsum inuenerit, Flauiũ fuisse nuncupatum. At Albertus magnus primus omniũ eius facultates scriptis tradidit: quæ cùm suo tempore in vsu iã esse animadueretet, veteribus non ignoratum fuisse credidit, atque Aristoteli eius facultates fuisse perspectas. Attamen & ipse Aristoteles, & qui aliquot sæculis eum subsequuti sunt, planè ignorauerunt hunc lapidem talibus facultatibus esse præditum, vt altera eius pars ferrum ad Septentrionem cõuertere faciat, altera ad Meridem. Aristoteles quidem non ignorauit ferri attrahendi facultatem habere: at quod nauigationibus vtilis esset, planè nescisit. Huius lapidis Gallica apellationis affinitas ansam præbuit nonnullis Chymicis imposturas excogitandi de ipsius efficacia in rebus amatoriis, vt etiam polliceri atque persuadere ausi sint, non minus hominum amorem pellicere, quàm ferrum attrahat, quod tamen fal-*

sum est; atque ad eam rem candidum magnetem longè prætulerunt, nõ ignorantes difficilius & rarius inueniri, quàm eum qui ferruginei coloris sit. Huius magnetis ingens copia nunc inuenitur in quadam Tyrrheni maris insula Elba, olim Ilua nuncupata, è regione Plombini, quod in Florentino agro est, sita, vbi vili emitur. Sed de eo plura in Mahumetis vita.

CAP. XVII.

Duo duntaxat esse magna Nili ostia quæ nauigari queant, & maioribus siue onerariis nauibus aditum præbeant.

INTER *Rhodum & Alexandriã, Hierax siue Sacer, Falconis genus, volando defatigatus, nostræ nauis antennæ insedit, atq. per binas ferè horas istic hæsit. Plurimæ coturnices à Septentrione versus Meridiem tendentes, in nostra etiam naue captæ fuêre. Vnde certiores redditi fuimus, illas esse peregrinas: nam & antè alias inuere obseruaueramus, cum è Zacyntho insula in Peloponnesum nauigaremus. Istic enim coturnices vidimus à Meridie in Septentrionem tendẽtes vt istic tota æstate commorarentur: harum tum temporis plurimæ etiam captæ fuere, cum aliis auium aduenarum generibus, quæ in nostram nauem sese coniecerant. Vidimus præterea aliud auis genus, omnibus qui in naui vehebantur ignotum: cuculi magnitudo erat, merulæ color quodammodo. Vidimus etiam onocrotalos volantes, atque à Septentrione versus Meridiem tendentes: aues hæ sunt in Gallia aut Italia minimè notæ, nisi quòd interdum in lacu Mantuano conspiciuntur, at in hieme abeunt. Toto eo die nullus flauit ventus, vt neque magna subsequentis noctis parte. Postride satis secundo nobis aspirante Aquilone, nostram nauigationem prosequentes, in locum quendam maris peruenimus, quem Nili aqua per ostium Mendesium siue Damiatæ sese exonerans, alio colore quàm natiuo infecerat, vt omnino caneſcere videretur. Ex quo indicio nautæ intellexerunt sese non procul ab*

Aegy-

Ægypti continenti abesse, tametsi nondum nobis appareret: nam vniuersa Aegypti regio humilis est, neque montes habet qui è mari conspici queant. Iam adueſperascebat, cùm in hanc turbidam aquam peruenimus, remissiorq; ventus erat: eam ob causam anchoras pleno aquore fiximus ad nonaginta orgiarum altitudinem. Mauritanorum siue Aegyptiorum Constantinopoli aduenientium consuetudo est, quando sub noctem ad turbidam illam aquam aduenium, atque ignorant supràne an infra Alexandrinum portum siue Nili ostium longius sint progressi, vt anchoras in mari figant, in proximum vsque diem, vt iam lucido die locum dignoscere queant, quo nauem in portum sint deducturi. Quod si altiùs progressos se agnoscant, cum tempore regredi possunt vt portum occupent. Nos istic nocte traducta cum tranquillitate maris, anchorisque postridie ex imo mari subductis, vela explicuimus, & ex hac turbida aqua egressi, non diu nauigauimus, quin in aliam Nili aquam ex ostio canopico siue heracleotico prolabentem incideremus. Hæc sunt duo maxima Nili ostia, cuius postremi aqua marinã ex viridi pallescente colore infecerat. Eam cùm per dimidy fortassis milliaris latitudinẽ emensi essemus, iterum in cæruleam maris aquam peruenimus. Omnium primùm nobis in Aegypto apparuit Rosettæ arx quæ sesquidiei itinere supra Alexandriam est. Cùm autem pleno aquore veheremur, & obseruantes quid nostris oculis primùm obiceretur, nihil aliud quàm Palmas, Sicomoros, & Pompeij prætã columnam conspeximus, quæ in Promontorio est supra Alexandriam. Cùm enim adeò humilis & mõtium expers sit regio, procul intuentibus apparere nequit. Nos sub noctem in portum appulimus, eam ob causam illo die nauem minimè sumus egressi.

CAP. XVIII.

Breuis Constantinopolitani in Alexandriam itineris narratio.

EX dierum quibus hanc nauigationẽ absoluimus obseruatione, cognosci potest, commodè quindecim dierum spatio nauigationem eiusmodi perfici posse, modò prosper, vt nobis, adflet ventus. Atque vt dictum nostrum iter repetamus, nisi Callipoli in Bosphoro ad Arcium angustias, tum in Chio, tum Rhodi subsistitissemus, octiduo eam absoluissemus. Nam à Rhodo in Alexandriam tres duntaxat dies & totidem noctes impendimus; è Chio Rhodum, binos solùm dies & binas noctes; & è Constantinopoli Chion duorum dierũ & trium noctium spatio peruenirì potest. Ea ratione magnum iter breui tempore conficitur, vento adflante secundo.

CAP. XIX.

De duabus Alexandriæ vrbibus, vna in Aegypto, altera (quæ Romanorum erat Colonia) in Phrygia.

POSTRIDIE mane naui egressi in vrbem Alexandriam profecti sumus. Sed antè quàm de ea sermonem instituamus, primùm nobis dicendum est, huius nominis varias esse vrbes: sed duas maximè celebres. Etenim latè imperium obtinentibus Romanis, Troia ab iisdẽ restaurata, & colonis Romanorum in eam missis, Alexandria nominata est, cuius Plinius meminit, atque etiam Annæus Seneca in morte Claudij Cæsaris: Quæro, inquit, sororem suam stultè studere Athenis dimidiũ, licet Alexandriæ totum annum: nam tum temporis Latinorum istic erat Academia, eáque est cuius Galenus sæpè meminit, non de Alexandria Ægypti: quod ex eius lucubrationibus facilè deprehendere licet. Nunc porrò de singularibus rebus à nobis obseruatis, breuiter agere sufficiet: nam sigillatim de Alexandria scribere post tam multos magni nominis viros, actum, quod aiunt, ageremus. Arenoso

noſo ſolo ſita eſt in promontorio quodã: ab vna enim parte mediterraneo mari alluitur; ab altera, mareoti lacu amplo & in longum extenſo. Perſtant adhuc mœnia quæ Alexander Macedo exſtrui iuſſit: at vrbs interior, ex veterum ædificiorum ruinis magna ex parte conſtat. Diruta autem fuit ea vrbs, quando Galliæ & Cypri Reges Sultanum ex ea expulerunt. Is etenim illam minimè poſſe retinere animaduertens, prius diruit, quàm in hoſtium poteſtatẽ veniret. Poſtea tamen paulatim ædes exſtrui cœperunt pro incolarum ratione. Sed & nunc, niſi Chriſtiani mercatores ſuos iſtic inſtitores alerent ob merciũ permutationẽ, admodũ celebris non eſſet. In eam inuehitur omnis generis commeatus cùm ex Ægypto, tum ex Cypro, aliisque vicinis locis. Panis qui iſtic pinſitur, in placentas efformatur planas, quibus inſpergitur legitimi melanthij ſemen. Eam ob cauſam huius ſeminis magni ſacci per fora & mercatorum officinas inueniuntur venales. Omnis generis vina iſtic etiam reperiuntur ex variis locis inuecta. Sed nec Cyprus longè inde abeſt. Sapida admodum iſtic eſt caro veruecina & hœdina, cùm vitulina tum bubula. Magna iſtic eſt abundantia generis cuiuſdam caprarum quæ Gazellæ vocantur, veteres Græci Oryges nuncupabant, quas in agris Sclopetis petunt: turmatim enim incedere ſolent. Inueniuntur iſtic & gallinæ & oua. Alexandria ſita eſt loco piſcibus abundante; iſtic enim obſeruauimus cantharos, lupos, vmbras, ſynodontides, mugiles, raias, ſquatinas, caniculas, linam priorem Rondeletij. Sed & multi alij cùm ſaliti tum recentes ex Nilo inuehuntur. Iſtic naſcuntur punica mala, muſæ, limones, aurea citriáque mala, ficus, ſycomori, ceratia, & pleraque alia fructuum genera, quæ nos non habemus. Abundant etiam omnis generis leguminibus (è quibus quæſtus magnus fit) atque omni frugũ genere, veluti oryza, hordeo, farre, aliàs ſpelta nuncupato. Dolicos Græ-

eis nuncupatus, florem fert istic flauum. Copiosum etiam istic pisi genus est, quod Græci Latyri, Veneti Manerete, Romani Cicerchie, Galli des Cerres appellant. Quid potissimùm in vrbe aliqua abundet, scire volentes, adeāt fora diebus quibus venales inferri solent aues, pisces, ole-

Genuina delineatio Alexandriæ Aegypti.



Mare Mediterraneum.

1. Ingressus Nili in vrbem.
2. Porta del Pere.
3. Colōna Pōpea.
4. Lacus Mareotis.
5. Mosquea.
6. Porta Memphitana.
7. Silua Palmarum.
8. Obeliscus.
9. Arx noua.
10. Arx vetus.
11. Porta maritima.
12. Palatium Alexādri.
13. Pharus.
14. Castelcto.
15. Garophalo.
16. Portus vetus.

Africæ continens.

ra, fructus, & reliqua victui necessaria: breui enim deprehendent quibus rebus incolæ magis abundent: quod in Alexandria nos obseruauimus. Aegyptij rarò cibum sumunt, quin addatur radicis genus Colocasia nuncupa-

tæ,

ta, quam cum carnibus decoquere solent. Magnũ est eius vectigal per vniuersam Aegyptum: nam vix quidpiam frequentius in vrbium & pagorum foris emitur. Cùm porrò de Alexandria institutus nobis est sermo, illius typum vti eam obseruauimus ad viuum expressam hic inserere voluimus.

CAP. XX.

De animali veteribus Hyæna nuncupato, nunc autem Ciuetta.

QVI tum Alexandriæ Florentinorum Consulẽ agebat, Ciuettam habuit adeò cicurem, vt cum hominibus colludẽs, illis nasum, aures, & labra sine noxa morsu prehenderet: ab ineunte etenim ætate humano lacte educata fuerat. Rarum profectò ita cicurari posse animal adeò ferum & indomitum. Ciuetta veteribus probè fuit cognita: ipsorumque auctoritate demonstrabimus, Hyænam ab ipsis fuisse nuncupatam, tametsi nunquam obseruauerint adeò odoratum excrementum eam reddere: meminerunt tamen generis cuiusdam Panthere odoriferi. Auctores verba fecerunt de Hyæna tanquã de fero animali Africano; quod nobis suspicionem mouet, Ciuettam eo tempore in caueis minimè fuisse obseruatam. Hodierno autem die, cicur reddita, maiorem quæstum præbet quàm olim. Illius etiam nomen quo eam nuncupare solemus, ex Arabibus auctoribus mutuatum est, relicto veteri. Compacto vt Taxus est corpore, at maior: cùm autem alium præter muliebrem naturam habeat meatũ, ex quo Ciuetta emanat, plurimi Hyænæ historiam legentes, existimarunt illam esse Taxum, qui veteribus & Aristoteli Trochus dictus est. In ceruice & per dorsi spinam pilos habet nigros, quos surrigit cùm indignatur, non minus quàm sus suos. Inde factum, vt Glanis piscis etiam Hyæna nuncupata sit. Os habet magis mucronatum quàm felis, sed barbæ

barbæ pilos illi similes; oculis est splẽdentibus & subrubentibus: sub quibus binis maculis nigris insignita est. Eius aures orbiculares sunt, ad Taxi auriũ formam accedentes. Corpus habet maculis aspersum nigris, cùm alias eius color albicet: eius crura & pedes pilo nigro obsiti sunt, quemadmodum in Ichneumone: cauda oblonga, superiùs nigra, infima verò parte albis maculis aspersa. Agilis est, & carne vescitur. Hæc est Ciuette historia, quæ si cum Hyænæ descriptione cõferatur, apparebit id animal quod nunc Ciuettam vocamus, veterum Hyænam esse.



CAP. XXI.

De variis rebus in Alexandria conspiciendis, atque de obeliscis & magnis Aegyptiorum colossis.

POSTRIDIE vrbe egressi, prælta Pompeÿ columnam spectatum iuimus, in exiguo quodam promontorio sitam, octaua miliaris ab vrbe parte. Ea columna est immẽsæ altitudinis, & crassitie reliquas quas vnquam viderimus, superat. Colũnæ Agrippæ quæ in Pantheo Romano sunt, nihil ad eius crassitiem accedunt. Vniuersa eius materies, cùm epistylij, tum formæ cubicæ ex Thebaico marmore est; ex eodem videlicet, ex quo omnes obeliscí ex Aegypto delati constant. Eam Cæsaris iussu, ob victoriam aduersus Pompeium partam, istic erectam aiunt. Adeò crassa est hæc columna, vt impossibile iudicetur,

nunc

nunc quenquam artificem reperiri posse, qui vllis instrumentis eam alio transferre queat. Ex summo hoc promõtorio longus in mare patet prospectus, atque etiã in Continentem. Si quis ad meridiem faciem obuertat, Mareotim lacum amplum & spacioſum cõſpicere poteſt, palmarũ ſiluis in ambitu obſitũ, qui vix dimidio milliari ab Alexãdria diſtat. Ager vicinus magna ex parte arena mobili cõſtat; planeq; ſterilis eſſet, niſi Harmalæ, & Capparũ nõ ſpinoſas ſtirpes aleret, quæ craſſas illas Cappares proferunt, nobisq. inde adferũtur: minores etenim in Capparum ſtirpibus ſpinoſis naſcuntur, quæ hieme folia abiicium: cùm non ſpinoſæ Aegypti, & quæ arboreſcunt in Arabia, folia retineant. Mirica arenoſis locis plurimum iſtic delectantur: cùm tamen aliis locis humidum ſolum ament. Harmala admodum ſimilis eſt Moly: Rutæque genus eſt, quod Arabibus, Aegytiis & Turcis nunc vario in vſu eſt. Ea etenim ſeſe ſuffiunt ſingulis diebus mane, ſibi perſuadentes noxios ſpiritus ſe hac ratione abigere. Ea res huic herbæ atque eius ſemini tantam celebritatem peperit & conciliauit, vt nullæ ſint adeò exiguæ & viles officinæ, quæ eam non habeant, tamquam precioſum aliquod medicamentum. Apollodorus antiquus auctor, cypero eaſdem facultates tribuit, cùm ait Barbaros domo egredi non ſolere, quin primùm Cypero ſuffiantur: quod occaſionem aliquando præbuit cogitandi, eius vſum vetuſtum eſſe. Inter ſingularia quæ Alexandriæ conſpeximus, bini ſunt obeliſci, qui apud eius vrbis palatium ſunt: alter rectus & integer, alter humi procumbẽs & confractus. Qui rectus perſtat, altero longè maior eſt: cuius craſſities comparari poſſet cum eo qui Romæ eſt ad D. Petri. Cùm de obeliſcis verba facimus, de re inter reliquas maximè admiranda facimus, quæque magnã dubitationem parit, cur adeò mirabiliter ſint inciſi. Si terni aut quaterni duntaxat inuenirentur, coniici poſſet, eos

Regis

Regis cuiuspiam cura excisos esse: sed cùm multi sint, quorum alij exigui, vt qui pone Mineruam, in foro apud Pantheon, & apud Aram cæli Romæ conspiciuntur; alij ingentes admodum, vt qui apud Populo, & Pontificis palatium sunt, atque omnes Ægyptiacis characteribus siue hieroglyphicis characteribus insculpti; statuere possumus eos olim excisos fuisse vt tumulis quibus in Ægypto corpora condita reposita erant, imponerentur, minimè autem vt templis dicati essent. Plurimi videntes solidum lapidem, tam ingentem, tam longum, & crassum, adeoq; expolitum, fusilem esse credunt (quoniam omnes obelisci ex lapide Thebaico sunt excisi, multis granis distincto duorum aut trium colorum, vt sturni auis collum: inde factum est, vt veteres Græci hunc lapidem Psaronium cognominarent: ψάρος enim Græcis, sturnum significat) sed hallucinantur, nam eius varietas & granorum distinctio ex rupis natura, quæ huiusmodi coloris est, procedit. Tanto magis admirandi obelisci videntur, quod ex solido lapide constent; quemadmodum si quis imaginaretur, se quadrangulam aliquam turrem intueri ex vnico lapide exstructam. Omnes qui nunc sunt Romæ obelisci, iam in Aegypto insculpti fuere antè quàm Romulus vnquam pedem Romæ figeret. Rupes siue Latomia, vnde excisi sunt, adeò solida est, nec vllis venis distincta, vt exscindere istic liceret solidam turrim, & vnico lapide constantem, crassiorem atque altiorem, quàm binæ illæ sunt turres ad Diuæ Virginis phanum Lutetiæ, si humana industria moueri posset: nam montem integrum duorũ milliarium longitudine, solido eoque sine vllis venis lapide constantem, videre istic est, ex quo colossi vel obelisci exscindi queant quanta quis voluerit crassitudinis & altitudinis. Tres colles murorum Alexandriæ ambitu continentur, qui scoparij siue sordium montes cognominãtur, vt ea loca quæ Lutetiæ Les voiries [in quę videlicet omnes

nes sordes & animaliũ cadauera abiiciũtur] *nuncupantur. Elegantes aquæductus, ingentes cisternæ, atq. putei qui Nili aquam excipiunt, obseruatione profecto digni sunt: adeò enim proba materie, atque tam magnifico opere exstructi sunt, vt adhuc integri persistant: necessary etiam omninò erant. Alexandriæ incolæ semel in anno eos implere solent, cùm Nilus inundat, ad totius anni vsum. Per ingentem canalem primũ vniuersas vrbis cisternas replẽt, in quibus depuratur & limpida redditur. Tota autem vrbs supra eiusmodi cisternas & puteos exstructa fuit olim firmo lapidũ & laterũ opere, quoniã rara per Ægyptũ nascuntur ligna, præter frequentes Palmas, quæ ad ædificandum prorsus sunt inutiles. Ægyptij rustici per agros palmas abortiuas & quæ vitium fecerunt, reqnirere solent, quarum cacuminibus excisis, candidam medullam eximunt, quam in foro venalem proponunt: ea cruda vescuntur, cinaræ etenim saporem refert. Eam veteres Palmæ medullam siue cerebrum nuncuparunt, & Græci ἐγκέφαλον. Aduertendum tamen est, Varia esse Palmarum genera: spinosum enim in Creta obseruauimus genus, ab eo differens quod nautæ ex Hispania aduehunt & Cephaloni* [Hispani Palmitos] *vocant: pumilam videlicet illã Palmam quã Rotomagenses & Lutetiani Aromatarij in suis officinis recentem venalem proponunt, & quaternos vel quinos asses æstimant.*

CAP. XXII.

Ichneumonem hodierno adhuc tempore in multis Aegypti ædibus cicurem adseruari: & alterius Ichneumonis vespæ aduersus Phalangium certamen.

ALEXANDRIÆ *incolæ Ichneumonem Aegypti peculiare animal alunt: cicurari etenim possunt, non secus atque feles & canes. Vulgus antiquo nomine appellare desiit, & vernaculo sermone Pharaonis murem nũcupat. Obseruauimus porrò eius catellos à rusticis Alexandriam venales inferri, atq. ab oppidanis auidè emi, vt*

vt illos domi alant, quoniam mures venantur non secus atque mustelæ, & serpentes insuper insequuntur, quibus indifferenter vescuntur. Exiguum est animal, & admodum mundum. Qui id ex ingenio duntaxat depinxerunt non conspectum, rectè exprimere nequiuerunt, vt ex præsenti pictura deprehendere licet; quoniam illa nihil naturale referunt: in nostra autem, reliquo corpori coniungenda est cauda.



Primus quem Alexandriæ conspeximus, inter arcis rudera fuit, gallinam quam ceperat vorans. Vafer est in præda aucupãda: nam posterioribus pedibus sese subleuat, & obseruata præda, summa tellure adrepens, magno impetu sese in prædam vibrat, indifferenter vescens omnibus viuis corporibus, vti scarabeis, lacertis, chamæleone, & omni serpentum genere, atque ranis, muribus maioribus & minoribus, aliisque similibus. Aniculas etiam maximè appetit, præsertim gallinas atque earum pullos: & cùm indignatur, pilos surrigit, qui duorum sunt per interualla colorum, nempe exalbidi vel flauescentes, & cinerei, duri & asperi instar pilorum lupi. Maiore est robustioreq; corporis mole quàm felis, rostrúmque nigrum & mucronatum habet instar viuerræ, sine vllis tamen barbæ pilis: breues & orbiculares habet aures, coloremq; cinereum ad flauescentem accedentem, qualis in cercopithecis conspicitur: eius crura nigrescunt,

scunt, & quinq. articulis posteriores pedes sunt præditi, quorum calcar interius breue est: eius cauda oblonga est, & superiore qua spinæ adhæret parte, crassa: linguã verò & dentes felinos habet. Peculiari præditus est nota, qua reliquæ quadrupedes animãtes carẽt; quæ suspicionẽ Auctoribus præbuit, vt existimarẽt mares nõ minus vterũ gestare quàm feminas: habet enim præter muliebris sexus meatũ, aliũ quempiã ingentẽ illi contiguũ, pilis obsitũ, non admodũ dissimilẽ pudẽdo mulieris, quẽ per magnos æstus aperit (clauso nihilominus permanente quo excrementa reddit foramine) vt cauitas in eo appareat. Testiculos felis habet, & ventum magnopere formidat. Tametsi hoc animal exiguũ sit, adeò tamen industrium & agile est, vt aduersus magnum canem confligere non vereatur: atque si felem obseruet, eam statim strangulet. Quoniam verò os adeò mucronatum habet, cum difficultate crassiorem carnis molem morsu apprehendere potest, imo ne humanam quidẽ manũ in pugnũ contractã mordere. Auctores de eo multa aliæ scripserunt, præsertim eum bellum aduersus aspidem gerere, & crocodili oua confringere, admodumque vigilantem esse, illi multas singulares facultates tribuentes, quas breuitatis causa hic prætermittimus; existimantes nos satis feciſſe, si eius descriptionem daremus. Sed & aliud animalculũ est, è vesparum genere quod Ichneumon vespa appellatur, & bellum internecinum habet cum phalangio: quoniam verò eorum pugnam vidimus, ipsam hoc loco cõmemorare libuit. Insecti genus est sanguinis expers, forma api siue vespæ, vel magnæ formicæ alatæ perquam simili, vespa tamen minus; in terra etiam suum latibulum quemadmodum phalangium faciens. Superat phalangium quandocunque id extra suum latibulum inuenire potest: at si in latibulo id adoriatur, sæpenumero re infecta redit. Accidit vt ichneumon vespa phalangion è suo latibulo egressum

corriperet, atque post se traheret, quemadmodum formica tritici granum, idque quò volebat impelleret, tametsi non sine magna difficultate: nam phalangium pedum vncis obuia quæq. apprehendens, quantum poterat renitebatur. Ichneumon verò, suo aculeo, quod instar apis exerit, variis in locis ipsum pungebat. Defessus autem ista pertractione, auolauit hac illac oberrans ad balistæ ferè iactum; deinde suum phalangium requirens, nec quo reliquerat loco inueniens, eius vestigia sequebatur, quasi illa odoraretur, non minus quàm canes leporum vestigia. Deinde inuentum plus quàm quinquagies aculeo pupugit, rursumq. pertrahens, quò voluit perduxit, istícque planè confecit. Merces quæ in Alexandrinis officinis reconditæ adseruantur perlustrantes, inter eas obseruauimus struthionum pelles cum suis plumis maxima copia: solent enim Aethiopes illis confectis pellem detrahere: carnibus quidem vescentes, at pelles cum suis plumis, aliis mercibus permutantes. Has deinde mercatores in Alexandriam inuehunt, quæ istinc in varias Turcarum prouincias distribuuntur: nam apud Turcas non minus inualuit vsus, suas tiaras his plumis exornandi, quàm apud nos galearum cristas conficere & adornare. Hortorum cultura apud Alexãdriam & per vniuersam Aegyptum præterquam secundum Nili ripas, admodum difficilis est: quoniam perpetuò instrumentis à bobus versatis haurienda est aqua ad rigandum solum. Illorum iaseminum à nostrate differt: flauo etenim est flore, admodum odorifero. Inueniuntur etiam istic flauæ rosæ, sed odoris expertes.

CAP. XXIII.

De Turcarum Alexandriam incolentium moribus, & Diui Macarij solitudinibus, variisque aliis Alexandriæ rebus.

QVINQVE *dierum vltra Alexandriam itinere versus Africam tendentibus, solitudines occurrunt, quæ Diui Macarij cognominantur, D. Antonij solitudinibus con-*

conterminæ, quas Caloieri Arabes inhabitant, eiusdem cum Græcis religionis: plurimáque istic sunt Arabum monasteria Græcis permixta. Incidimus Alexandriæ in Nobiles quosdam Venetos, qui nuper inde reuerterunt: quorum nonnulli curiositate quadam Tamarindorum, qui istic crescunt, ramulos cum suis floribus retulerunt. Istic etiam tanta lapidis aëtitis abundantia reperitur, vt eo naues onerari queant: illum olim mercatores Romam inde deuehebant. Plinius enim aëtitem lapidem, cognomine Cissitem, in Aegypto sponte nasci circa Copton tradit. Inter reliquas lapidis aëtitis facultates, veteres nobis scriptum reliquerunt, eo furem deprehendi, quæ etiamnum apud Græcos in vsu est; cuius etiam Dioscorides meminit, sed plenè eam non describit. Furem igitur deprehendere volentes Græci, omnes furti suspectos simul euocare solent: se enim adfuturos pollicentur. Multis autem id ceremoniis peragitur: admurmurant enim Caloieri multa verba, dum massam pinsunt sine fermẽto, è qua paruos panes conficiunt oui magnitudine: horum, singulis qui conuenerunt, terni deuorandi totidem bolis, nullo potu addito, deglutiendi præbentur. Id experimentum nos fieri vidimus: atque qui furtum commiserat, nunquã tertium panem deuorare potuit, quinimo dum deglutire nititur, parum abfuit quin suffocaretur, propterea reiicere coactus est. Monachi Græci id obseruant tanquam peculiare secretum, nec cuiquam communicare volunt. Intelleximus tamen illos lapidis aëtitis pollinem suæ massæ, dũ panes hos conficiunt, inspergere. Locus ille quem Cæsar Pharum nuncupauit, quiq; tum insula erat, nunc continenti iunctus est, arcémque habet admodum incommodam: nam singulis diebus aqua è Cisternis Alexandriæ hausta camelis in eam deuehenda est. Omniũ Alexandrinæ ædificiorũ tecta plana sunt & constrata, quemadmodũ vulgò apud Turcas, Arabes & Græ-

cos, vbi incolæ noctu dormiunt, ad frigidiorem auram captandam, omni anni tempore, cùm æstate, tum hieme. Aegyptij autem & Arabes supra reliquas nationes sub dio quouis tempore pernoctare delectãtur, nullo etiam lecto substrato; modò enim chlamydem aliquam habeant qua se tegere queant, lectos negligunt; non ignorantes, plumis confarctos lectos plurimum illis nocituros. Mirum igitur videri non debet, si eius regionis homines adeò exactè stellarũ cursum obseruare potuerunt: illis enim omni noctis tẽpore conspicuæ sunt, & cũ oriũtur, & cùm occidũt: huc adde quod aër istic non sit nubilus. Alexãdrini Arabicè vel Mauritanicè natura loquuntur: at Turcæ illis permixti, sermone ab iis admodũ differente vtuntur. Et quandoquidem istic multi Iudæi, Itali & Græci versantur, variorum idiomatum inualuit vsus. Olim Græcè loquuti sunt: nam cùm Alexander Aegypto subacta Alexandriam condidit, verisimile est, relictis illic Macedonum coloniis, linguam Græcã admixtã fuisse. Sed & Caloieri Iacobitæ & Græci ædificium istic habent pro Patriarchatu cum suo templo, eo loco in quo reconditum erat D. Marci cadauer, antè quam Veneti illud Venetias transferrent. Latini & Iudæi, sua istic peculiaria templa habent. Inter singularia quæ nobis Florentinus Consul ostendit, cũ aromata nos requirere animaduertisset, degustandam dedit radicem quæ Arabibus Bisch nominatur: ea nobis tantum calorem in ore per integrum biduum excitauit, vt flagrare videretur. Plurimi recentiores huius radicis gratia Auctores Arabes ferè confecerunt, eos toties mendacij arguentes, & iniuria afficientes, vt referre pudeat: cùm tamen ipsis nunquam nota fuerit. Exigua est, parui napi instar, alij Napellum vocant, & adeò vulgaris Turcicis aromatariis, vt nullius eorum venalem non habeat.

CAP.

CAP. XXIIII.

Ex Alexandria in Cairum profectio.

POSTQVAM *Alexandriæ aliquot dies commorati fuimus, ad iter Memphiticum nos accinximus. Duobus diuersis itineribus eo tendi potest; altero longiore, aduerso videlicet Nilo, altero terrestri breuiore. At quoniam Nilus Aegyptum inundauerat, Rosettam profecti sumus, vt nauigio Nilum subiremus. Dimidio milliari ab Alexandria progressi, in amplã planiciem arenosam peruenimus, in qua variæ stirpes nascuntur, inter quas Anthillis Græcorum est, quam Arabes Kali appellant: hanc incolæ lectam desiccant, ignis struendi causa (quoniam ligni magna istic est penuria) atque calcem cum ea adurentes, geminum quæstum faciunt: calcem enim Alexandriam deportant, atque herbæ cineres diligenter adseruant quos Soldam nuncupamus. Indurantur saxi modo, eosq; tãta copia colligunt, vt mercatorũ naues onerare possint; qui eos istic coemẽtes, Venetias deinde deuehũt, vitrorũ cristallinorũ fundendorum gratia. Vitrarij Veneti in Muran eos cõmiscent saxis quæ per Ticinũ amnẽ ex Papia aduehi iubent, quæ cum cineribus æqualiter commixta, materiam reddunt ad selectissima cristallina vitra fundenda. Galli autem nuper admodum Cristallina vitra conflare edocti, Stampanum fabulum saxorum Ticinensium loco vsurpant: id enim opifices commodius esse deprehenderunt, quàm Papiana saxa. Nondum tamen quidquã excogitare potuerunt, quod cinerũ vicẽ supplere queat: eãq. ob causam ex Prouincia Narbonensi vsq. eos petere necesse est. Quæ res nobis fidẽ facit, illos cineres his similes esse quos ex Syria mari inuehũt. Gallis tamen De la Soulde appellantur, denominationẽ sumẽtes ab altera stirpe Soldanella * nuncupata, quæ adusta, similiũ facultatũ cineres reddit, quorũ sit vsus in Syriacorũ defectu.*

* Plurimum hallucinatur meo iudicio Bellonius, qui in Gallia Narbonensi Sodæ cineres induratos ex Soldanella adusta conflari autumat. Maris etenim & stagnorum in ea accolæ, Soldanellam non vrunt: sed Anthilli-

thillidem domesticam, quam ipsi vitrariam ab effectu, & quòd instar vitri pellucida sit, nominant, magna cura & diligentia serere solent (eius etenim maior commodiorque est vsus quàm sponte nascentis) quam sub æstatis finem succidere solent; deinde reliccatam in scrobes, deindustria in eum vsum paratos, congerere, atque ignem subiicere: huius adustæ cineres imum petentes indurantur, atque massam eam præbent quàm Sodam appellant, non modò ad vitra conflanda vtilem, sed qua etiam Saponarij artifices plurimum vti solent: vti ego, dum in Mompelio viuerem, obseruaui: Sed de ea re Quinquerani libellum quem de Laudibus Prouinciæ inscripsit, consulendum iudico. Existimo enim non viliorem sodā in Galliæ Narbonensis ora maritima fieri, quàm in Syria & Aegypto.

CAP. XXV.

De singularibus quibusdam in Alexandria & Rosetta repertis.

BINIS ab Alexandria milliaribus per agros reperimus pastores, caprarum greges pascentes, quæ aures ad terram vsque promissas habent, per extremitatē quatuor aut amplius digitis sursum recuruas. Hi pastores ne tempus in ocio terant, arenam ventilantes, vetera numismata perquirunt. Sæpenumerò etenim accidit, vt ea cùm aurea tum argentea inueniant. Ad dextram nobis erāt ingentes planicies arenosæ, in quibus præter paucas cappares, atque atq. iam dicta Kali & Harmala, nihil crescebat. Regio ad sinistrā paulo sublimior erat, ingentésq. pagos hinc inde inter palmarum siluas sparsos habebat. Tribus circiter milliaribus emensis, aquam dulcē & potabilem inuenimus, quæ fontana videbatur, cùm duntaxat hydria esset Nili aqua plena, vtribus à Camelis eò elata, quam repleri perpetuò curabat Turca quispiam gratis: nam magnam eleemosynam esse censent & meritum, si secundum regias vias aquam reponi curent ad aquādos viatores. Tantum etenim abest, vt istic reperiatur vinum, vt in ipsis etiam vrbibus ægrè aquam recentem inuenias. Palmæ istic, vt & per reliquā ferè Aegyptum, celsissimæ sunt: inter quas nonnullæ reperiuntur quæ ex vnico trunco eadémq. origine viginti magnas arbores ab inuicē separatas proferāt. Nox in itinere nos oppressit, eāq; ob causam in tenebris diu nobis faciendū fuit

iter

iter secundũ littus maris Mediterranei quod ad sinistrã habebamus: neque substitimus, donec ad vnum ex primariis Nili riuis peruenirem⁹, quem iuxta littus maris vado transiuimus, ibique solùm piscatoris tuguriolum inuenimus, in quo sal erat ad saliendos pisces, atque etiam Botargues Gallorum, siue ὠὰ τάριχα, quæ fiunt ex Mugilum, quos veteres Cephalos nuncupabãt, ouis. Istic hæsimus, & noctem sub dio duximus cum camelis & iumentis. Primus ille Nili riuus, ostium Canopicum non est: eius tamen antiquum nomen ignoramus. Altum alueum non habet, quandoquidem, vt diximus, vado eum transiuimus, ipsomet quo Nilus Aegyptum inundauerat tempore. Postridie à riuo illo digressi, per arenosa loca iter fecimus, in quibus nullæ arbores crescunt præter Myricas, quæ in ingentem magnitudinem attolluntur, gallásq. ferunt, quas huius tẽporis Arabes Chermasel proprio nomine appellant. Hæ olim admodum in medico vsu fuerũt, & non pœnitendum mercimonium. Secundum maris littus iter facientes, pumilas myrtos nigras obseruauimus, quæ nõ attollũtur, eo quòd perpetuò à vẽtis marinis affligantur. Maritimis gaudent Myrti, eã ob causam Veneri dicatæ sunt, quam Poëtarũ fabulæ mari natam referunt. Diu littus marinum sequuti, planiciem arenæ mobilis ingressi sumus, vbi tenuissimæ arenæ tumulos conspeximus, quos ventus accumularat. Planities hæc adeò sterilis erat, vt nihil in illa nasceretur. Eo die sub vesperam peruenimus Rosettam, quam Mauritani Raschit nominãt, ad littus sitam circa magnum quoddam Nili ostiũ. Eius vrbis incolæ diligentes sunt in curandis hortis, in quibus Musæ arbores nascuntur, Papyri planta, Sacchari harũdines, Colocasiæ, Sycomori. Adeò exquisito virore præditi sunt Sycomori, vt omnes reliquas arbores sine controuersia superẽt. Colitur etiam istic radix quam Itali Dolceguini nuncupant. Chamæleones frequentes reperiũtur

in fruticibus qui Rhamnus altera dicuntur, & in varios colores sese commutant. Magna ex parte ex viridi pallent, interdum ex cæruleo virescunt. Inde fit vt non facilè obseruari queant: nam ramo insidentes simili virore prædito, etiam à diligenter requirentibus vix inueniri queunt. Vescuntur muscis, erucis, scarabeis, & locustis, serpentum more, qui omnis generis parua insecta deuorant, quæ sæpenumero in eorum ventriculis inuenimus, dum illorum anatomen faceremus. Nonnulli memoriæ prodiderunt Chamæleones vento vesci. Verum quidem est eos integro anno sine esca perdurare posse; quod creditu difficile non est: nam varij generis serpentes vidimus per decem mensium spacium viuere nullo administrato illis cibo: interdum tamen nonnihil aquæ dandum est, quam bibant.

CAP. XXVI.
De vrbe Rosetta ad Canopicum Nili ostium sita.

ROSETTA *elegans est oppidum, nullis tamen mœnibus cinctũ. Veneti istic Consulem alunt, quem alio nomine Bailum appellant; qui res ad mercaturam pertinentes curat. Onerariæ naues per Nilum ad oppidi vsque ædificia appellere possunt. Nullum est adeo exiguum oppidum per vniuersum Turcæ dominium, vbi Veneti quempiam non alant, qui eos de aduectis mercibus siue in amnium & maris portus, siue in continentem aduectis admoneat: quod magnæ illis cedit vtilitati, quoniam ex omnibus orbis partibus noua intelligunt, atque mercium in remotissimis etiam regionibus precia; vnde fit vt reliquas Respublicas, in mercium negotio superent. Quòd si quaspiam merces in aliquo portu venales intelligant, illico per suos illas occupant, vt primi quæstum habeãt. Rosettæ vicina est parua quædam arx non procul à Nilo, quà Alexandriam iter est. Vix binis milliaribus ab ostio quo se Nilus in mare exonerat, Rosetta distat.*

distat. Arabicus istic sermo in usu est, quemadmodum per vniuersam Aegyptum. Plurimi istic viuunt Iudæi qui per vniuersum Turcæ dominium adeo multiplicati sunt, vt nullum oppidum sit aut pagus, in quo non inueniantur frequentes; callentque varias linguas: qua in re plurimum nobis contulerunt, non modò interpretandi officio, sed etiam in illius prouinciæ rerum memoratu dignarum explicatione. Eiusmodi generis cibos in Rosettano foro inuenimus, quales in Alexandria. Palmarum siluæ oppidum inumbrant. Aedificiorum structura similis est iis quæ in Cairo sunt: ad quam rem maximè accommoda sunt ligna quæ nauibus Constantinopoli inuehuntur. Qui inde Constantinopolim nauigant, semper inueniunt quo suas naues onerent: nam potius quàm inanes redeant, naues lignis onerãt, ad ædificia instruenda, cùm nulla ad eam rem vtilia in Aegypto inueniantur. Aegypti animantia ob pabuli abundantiam, stirpium à Nilo rigatarum probum alimentũ, atq. aëris temperiẽ, in magnã molẽ euadũt, vti Bubali, Boues, Cameli, Equi, Asini, Arietes & Capræ. Arietes autem, qui admodum pingues & crassi sunt, amplam & densam atque ad terram vsq. propendentem caudam habent, & palearia insuper è collo dependentia vt in bobus, nigráque lana vestiuntur.

CAP. XXVII.

De Nili piscatoribus.

PLVRIMI *Rosettæ sunt qui ex quæstu è piscium in Nilo captura facto duntaxat vitam sustentant. Peculiare autem est his piscatoribus, in suis cymbis vti ingluuie illa quæ sub earum auium quas Plinius Onocrotalos appellat, rostro propendet ad aquam eiiciendam. Eiusmodi rostra, ea parte quæ capiti adhæsit, colligata, orbem quodammodo exprimunt: viua autẽ auis illo sacco seu ingluuie vtitur, tanquam altero vẽtriculo, vt multis deuoratis conchis & mytulis eas (dum sese tepore ape-*

riunt) deinde reiiciat, atque carnes à testis separatas deuoret. Eius porrò naturæ est hæc ingluuies, vt humiditate corrumpi nequeat: quã ob causam multo tempore piscatoribus vtilis est. Per onocrotalum autem non intelligimus ardeas stellares, quas nostri Boues tauros nominant, quòd bouis mugientis instar sonitum edant, neque nostras Pellas, hoc est, ardeolas, quæ rostri extremam partem latam habent: sed eas aues quas. Aristoteles πελεκάνες Pelecanes nominat. Aquis innatant vt cygni & anseres; his maiores, illis autem minores, omnino albi, pedibus q; latis præditi coloris inter cinereum & nigrum medij.

CAP. XXVIII.

De nauigatione è Rosetta in Cairum: atque de multis quæ secundum Nilum sunt rebus.

PHASELO conscensa, vt aduerso Nilo Cairum peteremus, & Aquilone nobis fauente (Nilus enim à Meridie in Septentrionem vergit) breui nostrum iter absoluimus. Longiùs paulo progressi, & ad alteram ripam appellẽtes, omnes descendimus, vt terrestri itinere secundum Nilum pergeremus. Magna autem voluptate afficiebamur, solum adeò herbidum conspicientes. Quiverò Nili alueum sequuntur, Cairum profecturi, compẽdium non quærunt; multos etenim habet mæandros. Maxima elegantiorum Aegypti pagorum pars secundum Nilum exstructa est, cùm ob aquæ commoditatem quæ agrum inundat, tum ad hortos rigandos. Conspiciuntur tamen & alij procul à Nilo seiuncti, qui maxima anni parte aquæ penuria laborant. In pagum nomine Anguidie peruenimus, deinde in alium maiorem Mahatelimie nuncupatum, postea in Dibi, inde porrò in oppidulum dimidij diei itinere à Rosetta distans, Nantubes appellatum, quod vtrãq. Nili ripã occupat; vt Beaucaire & Tarascon, ad Rhodanũ sita. Nilus istic alueũ maiorẽ non habet, quàm Rhodanus Lugduni. Post modũ inuenimus pagum

gũ Elminie. Magnũ iter cõfecimus eo die: prosperũ etenim ventũ habebamus. Eius loci horti & agri vicini, à Nilo mundati iam erant, & vndiquaq. Palmarũ siluæ apparebãt. Agri istic ab inuicem separãtur ex Rhamno constantibus sepibus, qui à nostra Grossularia differt. Inuenimus etiam Tamarices suis Gallis onustas. Agri plurimis locis oryza, papyro, & musis erant consiti, interdum etiam colocasia. Quoniam autem colocasia (quam etiam ad Cretæ insulæ riuos nãsci asserimus; istic enim sponte prouenientem inuenimus; Aegyptij autem diligenter colunt) Lotus & Faba Aegyptia etiam nominatur, & frustra eius semina magna diligẽtia perquirentes, Cairi incolis ridendos nos præbuerimus, quasi innuere vellent nulla reperiri: occasionem habuimus inquirendi cur veteres Auctores Fabam Aegyptiam nominarint, cùm nullas proferat fabas. Erroris tandem originem animaduertimus, quæ ita habet. Herodotus vetustissimus scriptor de duabus stirpibus in Nilo nascentibus verba fecit; quarum altera orbicularem radicem habebat, quæ est colocasia; altera verò quidpiam oliuarum nucleis simile in capite profert. Reliqui qui illũ subsequuti sunt auctores, alij aliorum vestigijs insistentes, pro arbitrio de his loquuti sunt. Nam cùm Theophrastus ait eius radicem spinosam; aliter rem se habere experientia docet. Dioscorides de Faba Aegyptia agens, Theophrasti verba fere expressit. Plinius verò ex illis ipsis mutuatus, similia omnino scribit. In ea itaque opinione facilè essemus, vt per fabam Aegyptiam intelligenda sit edulis faba quæ in Aegypto nascitur. Ipse Galenus de vulgaribus fabis intellexisse videtur libro de Alimentis, cùm de Aegypti fabis agit. Vt verò elucidemus quod Plinius refert Aegyptios varij generis vasa ex eius foliis facere: animaduertendum est ea admodum amplæ esse, eamque ob causam complicari & conuolui instar corni-

corniculorum posse, quibus aquam è Nilo hauriant & bibant; deinde abiici. Tandem in amplum quendam pagum peruenimus, nomine Berimbal. Aegypti regio nobis apparebat omninò aqua submersa, præter quosdam aggeres nonnullis locis eminentes, per quos ex vno pago in alium pateat iter. Incolæ vt securi sint ab inundationibus Nili, pagorum ædificia sublimioribus locis substruere cogũtur, quorum maxima conspicitur quantitas: etenim plana est regio, & ædificia ex tenaci pinguiq; limo constructa, tectóque operta acuminato, aluearium instar, procul admodũ apparẽt: nonnulla etiã tegũt plana forma, propugnaculi instar, quod vulgare est per vniuersum Turcæ dominiũ & Græciam. Tanta apud illos est lignorũ & lapidum pẽnuria, vt eorum ædificia humiles duntaxat sint casæ: etenim ampliores non sunt quàm pusilla tecta, recipiendis anseribus idonea. Eam videlicet ob causam, quòd magna ex parte cubent, bibant & edãt sub arboribus; vel insectorum vitandorum causa, vel vt frigidiorem auram excipiant; etenim hieme istic non pluit. Æstate autem sub tecto frigidiorem auram non requirunt sed sub Palmis. Tamarices in Aegypto indifferenter nascuntur cum humidis tum siccioribus locis, vt illarum siluulæ perinde in aridioribus locis reperiantur atq. in humidis littoribus. Eæ autem illa excrescentia quã Gallã nominauimus adeò onustæ sunt, vt parũ absit quin rami præpõdere rumpantur. Nouum quidpiam nobis fuit mense Septembri conspicere aquaticam auem, quam Galli (quoniam in stagnis non minus damnũ infert quàm Castor) vn Bieure, hoc est, fibrũ vocãt, Latini Vulp-anserem, pullos recèns exclusos in Nilo ducentem. Aquaticæ aues quæ sub hiemem à Septentrionalibus regionibus loca commutant, in Aegyptum adueniunt, istícque pullos excludunt, deinde æstate reuertuntur, solis immẽsum & intolerabilem ardorem fugientes.

CAP.

CAP. XXIX.

De magnis Aegypti vrbibus & pagis ad Nili ripas sitis ob aquæ commoditatem.

PER *Berimbal transeuntibus nobis, plurimi Aegyptiaci pueri sese in Nili profluentem abiiciebant, vt panem exciperent, quem de industria è naui abiiciebamus, vt ex illis adeò peritè natantibus voluptatem caperemus: ipsi etenim in aquam sese abiicere non magis reformidant, quàm anatū pulli. Nostrum iter secundo Aquilone prosequentes, in pagum nomine Sindon peruenimus, ad cuius dextram est * Diuruth, eáque nocte in oppidum appulimus Foua nuncupatum, amplam olim vrbem vt Cairum: sed & hodie nullū est in continenti Aegypti oppidū, excepto Cairo, amplius quàm sit Foua: multo etenim maior est Rosetta, atque è regione magnam Insulam habet, Sacchari arundinibus, Sycomoris, Palmis, Colocasiis, omnisque generis leguminibus excultam, atque oryza, quæ præ reliquis magni est census per vniuersam Aegyptum. In Foua pernoctauimus: nam licet nobis secundus adspiraret ventus, nautæ tamen noctu nauigare reformidabant, quòd Nilus iis locis multos inflexus habet, atque admodum rapidus est. Non minus etenim velocè habet cursum quàm Ligeris. Nonnullis locis rectū tenet cursum, in quibus etiam noctu velis explicatis (modò secundus sit ventus) sine metu nauigare liceat: lentiùs enim fluit, quàm vbi sese contorquet.*

* Secundum geographicam tabulam, Diuruth longè infra Sindou est, vt Deruthi infra Berimbal aduersa esse potius cēseri queat, quàm Sindou.

CAP. XXX.

Nilum, si quis cum alio flumine comparare velit, Pado fere similem esse.

VIX *in nostra Europa amnē inuenire liceat magis ad Nilum accedentem quàm sit Padus, præsertim à Ferraria mare vsque: nam facilè velis expansis subiri potest,*

test, aduersus ipsius etiam profluentem: quod non minus in Ligeri fieri potest quàm in Nilo & Pado. Ligeris autem alueus non est adeò profundus. Omnia Cymbarum siue nauicularum quarum in Nilo vsus est genera, ab aliorum amnium nauiculis differunt: vulgare etenim est cymbas singulis locis pro amnium natura variare. Nam homines ad loci naturam nauigia accommodare volentes, fluminũ cursum obseruare cogũtur. Nisi enim in Tiberi, qui rapidus est, profundúmque alueum & altas ripas habet, cymbarum vtraque extremitas, siue prora & puppis præaltæ essent, & riparum altitudini respondérent, quandocumque appellunt, ad egrediendum scala perpetuò opus foret: eam ob causam angustis scaphis in Lunæ crescentis formam fabricatis, prorámque & puppim præaltas habentibus & in mucronem desinentibus vtendum est: quarũ gubernacula longis perticis alligata sint, & gubernator in summa puppi stet, vt quò agenda sit nauis, conspicere queat. At Nilus cùm ripas humiles, & summa aqua duntaxat eminentes habeat; nauiculas exiguas, humiles, planásque, & latas fert. Padi scaphæ breues sunt, profundæ, constratæ, subrotundæque, & gubernaculum ad latus habent, possuntque mare subire, & Venetias vsque nauigare. Oblõgæ nauiculæ, quarum vsus est in fluminibus haud profundi aluei, vt sunt Ligeris & Sequana, extrema puppi gubernaculum seu temonem habent. Nonnulli persuadere voluerunt, amnes inueniri qui maiores naues grauioribúsque oneribus plenas ferre queant, aliis simili alueo & profunditate præditis: at in exemplum adducentes fluuium Aisę, qui licet Ligeri angustior sit, triplo grauiora tamen fert onera, tribuentésque id aquæ naturæ, haud eius profunditati, solido argumento niti non videntur. Sed quoniam eius rei elucidatio in experientia consistit, facilè veritas adquiri potest. Cùm Nilus vniuersam regionem inundat,

ingens

ingens tum est, magnáque & capacia fert nauigia, quorum duntaxat vsus est inundationis tempore: at cũ inundatio cessauit, certa loca ostendũtur vbi ab equite vado trãsiri potest. Expansis etiam velis nauigare in eo licet, quoniam neque montes neque siluarum frequentia ventum adimere vel impedire queunt, perinde vt neque in Pado. Et quemadmodum populi in ripa Padi nascentes quibusdam locis ventum nauigantibus infringunt: sic etiam Palmæ ad Nilum nascentes. Nili piscatores cũ Padi piscatoribus in hoc cõueniunt, quòd vtriq. aquã in cymbarũ alueo vehũt, quã cratibus vimineis superimpositis tegũt: nã ista ratione pisces viuos adseruãt, & per crates incedẽtibus pedes nõ madẽt. Nostrũ iter persequẽtes, & paulo supra pagũ * Sindon progressi, aluei caput cõspeximus, quẽ Alexãder fodi curauit, vt aquã in Alexandriam deduceret implendis vrbis cisternis & puteis & siphonibus, eumque ad sinistram reliquimus. Terra qua exempta fuit, adhuc superest vtrinque proiecta secundum canalis ripas, cuius caput à magno illo pago Sindou quadrante milliaris dũtaxat distat. Regio quam ad dextram relinquebamus, paulo sublimior erat ea quam ad sinistram habebamus, atque magis arenosa, ideoq; (nã Nilus eò non pertingit) sterilior. At quæ ad sinistram est, quoniam humilis & plana, atque Nilo irrigatur, fertilior est & magis herbida; in quam aquaticæ aues hieme commeant tanta copia vt agri & prata iis albescãt; præsertim autem ciconiis, quas Aegyptij non ab re magni faciunt, cùm rana tanta abundantia istic generẽtur, vt nisi ciconiæ eas vorarent, nihil illis esset frequentius; tũ etiam quòd serpentes capiant, & integros deuorent. In arenosa altera parte, vultures conspiciuntur, accipitres Aegyptij, miluij, aliæque aues carniuoræ: sed Aegyptius accipiter omnium frequentissimè, corpore corui, capite miluij, rostro inter coruinum & aquilinum medio, nam

mucro-

mucronem paulo magis incuruum habet, crura verò & pedes inter coruũ & aues rapaces. Similis nominis auem in Herodoti aliorúmque veterum scriptis inuenimus: videtúrque ea esse quam accipitrem Aegyptium nominant. Colore est accipitris: interdum tamen color variat. Eius iconem libro de Auibus exhibebimus. Buffali tempore inundationis in aqua ad aluum vsque versantur, caput ad armos vsq. in aquam demittentes, vt gramina depascãt, quibus depastis, id eximunt, & in aërem tollũt, vt herbam dentibus atterant & ruminent, atque in aluum demittant: nullum etenim animal pulmonibus praeditum, siue aues sint, siue quadrupedes, siue etiam cete & delphini, & reliqui qui masticant, escam in aqua deglutire queunt. Hac itaque ratione aluntur Buffali inundationis tempore. Fieri nequit vt peritiores natatores reperiãtur quàm Aegyptij, cósque tales esse necessitas cogit: nam inundationis tempore subinde ex vno pago in alium tranare necesse est, ad sua expedienda negotia: eámque ob causam vestes ad natationem aptas gestant, promissam videlicet interulam albam, leuiter elaboratam; deinde chlamydis genus inconsutile laneum, vilis cujusdam tapetis instar, qua humeros & corporis aliquam partem obuoluunt: neque alias vestes gestant peregrè profecturi. Si profundũ amnem transire necesse est, chlamydẽ cum interula capiti obuoluunt diadematis instar, atque sic natantes ad alteram amnis ripam perueniunt. Si verò longiore spacio illis natandum est, scirpos post se trahunt, donec terram pedibus attingere amplius nequeunt: tum demum scirpeis fascibus incumbentes, natationem leuiorem & minus operosam habent. Aquilone adhuc nobis prospero, magnum iter conficiebamus, & licet plus quadraginta passuum millibus à Pyramidibus, adeò à veteribus celebratis, abessemus, nobis tamen apparere

rere inciperẽt: edito etenim sunt loco eorum qui Nilo venantur oculis expositi: quod Plinius his verbis intellexit: sanè conspicuæ undique adnauigãtibus. Aegyptij Pyramidum nomine appellare non norũt, sed Pharaones nuncupant. Magis adhuc admirandæ videntur propè inspicientibus, quàm ab auctoribus descriptæ sunt, vt postea demonstrabimus.

* Cùm Bellonius superiore capite ad Foua vsque progressus sit, hoc capite, quasi sui oblitus, in Sindou regreditur, supra quẽ aluei illius Alexandriam fluentis caput ponit, qui tamen in Geographica tabula paulò supra Berimbal, infra autem Sindou constituitur. Præterea non potuit eum canalem ad sinistram relinquere cùm à Rosetta Cairum nauigaret, sed ad dextram potius: ad Nili quidem profluentis sinistram est.

CAP. XXXI.

Singularia quædam de Aegypto & Aegyptiis.

NVLLA est natio quæ magis antiquitatis vestigia retineat, quàm Aegyptiorum: nam etiamnum illos in vrbibus videmus similibus vestibus vti, quales descripserunt veteres. Per vniuersam Aegyptum, pulli gallinacei à matre excludi non solent: sed fornaces artificiosè, vt vidimus, exstructas habent, in quibus tria aut quatuor ouorum millia reponunt; quarum calorem ita temperare norunt, vt omnia oua simul excludantur: quod recens inuentum non est. Nam Aristoteles lib. 6. historiæ animalium cap. 2. iam scripserat: Incubitu auium, fœtum excludi naturæ ratio est: non tamen ita solùm oua aperiuntur, sed etiam sponte in terra, vt in Aegypto, obruta fimo pulliciem procreant. Hi furni communes sunt plurimis rusticis, qui è diuersis locis sua oua inferentes istic excludi curant. Aggeres exstruunt, ad continendum in suo alueo Nilum, quos straminis, sacchari harundinum, Halimi, Rhamni & Tamaricis fasciculis muniunt. Postridie nostram nauigationem vento maximè prospero prosequentes, quibusdam locis Nilum sæpenumero se contorquentem & Maandros facientem inue-

nimus: interdum etiam Palmarum arbores noſtræ nauis velis flatum admebant, ſic vt nautæ phaſelo egredi, eámque vi pertrahere cogerentur. Remiſſiore autem vento, Nilique profluente admodum rapido, ad alteram ripam appellere nos oportuit, atque in terram deſcendere. Sed cùm iſtic parumper hæſiſſemus, ſecundus ventus nobis denuo adſpirauit.

CAP. XXXII.

Plurimarum auium atque aliorum animalium ſecundum Nilum obſeruatorum deſcriptio.

CVM *Ægyti regio hieme adeò tepida ſit, & paluſtris; plurimas aquaticas aues alit, atque inter reliquas illam quæ Græcis & Ariſtoteli Crex dicta fuit. Eam ex voce agnouimus, ſtrepera etenim eſt, & vt Vannellus Aex, ſic hæc dum volat Crex, Crex pronunciat: ipſam verò ſequentibus verbis deſcripſimus. Crex corpore eſt inter elorium & calidrim, media inter illas crura etiam habens, quæ cum pedibus & capite nigra ſunt: ceruix, pectus, & humeri albeſcunt: corporis ſuperior pars ad cinereum tendit colorem, candidam lineam obliquè alas ſecantem habens. Humi & in aëre victum quæritat, vt Vannellus, qui veteribus Aex appellatus fuit, atque ſimili modò ſtrepitum volando excitat. Inter aues quæ Gallico nomine cognitæ ſunt, minimè recenſendam exiſtimamus, tametſi antea exiſtimauerimus Gallorum Barge, hoc eſt, Aegocephalum Crecem eſſe, quoniã Herodotus eius magnitudinem cum Ibis genere comparat. Antèa ſ̃ibidem nigram pro Hæmatopode habueramus: ſed obſeruatis eius moribus, non Hæmatopodẽ ſed, Ibin nigram eſſe deprehendimus, cuius Herodotus primus meminit, deinde Ariſtoteles. Corpore eſt elorij, aut paulo minor, omnino niger, capite corui aquatici, roſtro, quàcapiti iungitur, pollicis craſſitiem ſuperante, ſed per extremitatem mucronato & incuruo nonnihil, atque fornicato, & omni-*

omninò rubente, vti etiam cruribus, quæ oblonga sunt, similia cruribus illius auis quã Plinius Bouem taurum, Aristoteles Ardeam stellarem nominant, collum verò oblongum ardeolæ instar habet: sic vt cùm primùm Ibidem nigram conspiceremus, Boui tauro corporis habitu similis nobis videretur. Aegyptij, Mauritani, vel Arabes, suæ religionis cæremonias strictius & diligẽtius obseruant quàm Turcæ: & licet vtrique eandem religionem, quæ Mahumetana est, amplectantur, eiusdémque Domini imperio subsint; Turcæ tamen maiorem sanctimoniam Arabibus, quàm sibiipsis tribuunt. Eam putant esse causam, quòd Alcoranus lingua Arabica primùm conscriptus sit, & deinde in Turcicum idioma cõuersus. Sed & ipsi doctiores Turcæ, non Turcicè, sed Arabicè loquuntur. Characteres quidem similes sunt, sed lingua diuersa est: Turcæ etenim suos Characteres ab Arabibus mutuati sunt. Ad Nili ripas appellentes, & nauim egredientes vt pagos perlustraremus, Mauritanos in suis Moscheis, hoc est, suis templis canentes, & sibi alternatim respondentes audiebamus, Latinorum sacerdotum more, & iisdem accentibus pausisque fere vtentes vt ij qui Latinos Psalmos canunt: quod minimè faciunt Turcæ, quorum idioma rude est Arabici comparatione, quod facile est, & ad rhythmos cõponendos aptum. Sed & Alchoranus rhythmicis versibus conscriptꝰ est. Quatuor sub Cairo milliaribus Nili alueus in binos ramos sese diuidit, quorum alter ad sinistram tendens, Rosettam, vnde veniebamus, delabitur, quæ est Ostium Canopicum: alter ad dextram profluens, apud Damiatam se exonerat, vbi est Ostium Peluſiacum. Inde affirmare possumus, Nilum bina duntaxat primaria & nauigabilia habere Ostia, per quæ magnæ naues subire possint, aut ad summũ tria. Non inficiamur, quin in multos riuos diducatur, sed duos tantum illos alueos nauigabiles esse dicimus: aut si

aliorum quipiã nonnullis locis nauigabiles sunt, id inundationis tempore fieri: aliàs etiam qua in mare sese exonerant vado transiri possunt, quemadmodum canalem illum inter Alexandriam & Rosettam superauimus. Ventus ad Cairũ vsq. nobis secundus fuit, istic q; nauigationẽ absoluimus. Descẽdimus autem ad magnum quendam pagum nomine Boulac, territory Cairini, in Nili ripa situm. Porro antè quàm de Nilo sermonẽ finiamus; de nõnullis animalibus, quæ in eo reperiuntur, nobis agendum est, atque inter cetera de Crocodilo, cuius hæc est effigies.



Nos illum suspensum in multis templis & foris publicis admiramur: inueniuntur tamen & terrestres. Hippopotamus etiã Græcis & Latinis dictus, istic inuenitur; Latini enim Græcorum vestigia sequuti, appellationem Græcam, quæ equum fluuiatilem significat, non immutarunt, sed eam retinuerunt: videntur que id feciſſe ob eam quam referemus causam; nempe cùm id animal nulla ratione equum referre animaduerterent, sua lingua id interpretari noluerunt, sed Græcam dictionem seruarunt. Alterum tamen horum vt fuerit, necesse est; vel Romanos Græcorum Hippopotamum non nouisse: aut id animal quod Hippopotamum censebant, diuersum à Græcorum Hippopotamo fuisse. Nam si is qui Romam ad-

uectus

uectus fuit cùm Augustus de Cleopatra triumphauit, vt scribit Dio, & alij qui in M. Scauri ludis, & Pompeij triumphis exhibiti fuerũt, Hippopotami erãt: dubiũ non est, quin veram eorum effigiem in eo libro quem de omnis generis piscibus conscripsimus, dederimus: nam id animal quod è Nilo delatum Constantinopoli viuum conspeximus, omnibus notis conueniebat cum iis qui in variis Imperatorum numis expressi sunt. Ad eius historiam quod attinet, cùm eam alibi Gallicè & Latinè dederimus, hoc loco nihil amplius addemus. Nilus plurimos alios pisces admodum celebres alit, quos tamen sigillatim enumerare hoc loco non volumus: nisi quod Lucium qui istic frequens est, & veterem appellationem ei applicare difficile est, Oxyrincum veteribus nominatum asserimus. Capiuntur etiam pisciũ orbicularium duo genera humani capitis magnitudine, quorum pelles tomento vel fœno repletæ à mercatoribus ad nos perferuntur: Græcis vulgo Elascopsari (Latinis Orbis, vel Græco nomine Orchis, dicuntur) lagenæ etenim instar rotundi sunt. Alius est qui squammarum vice totus osseo cortice tectus est: eam ob causam vt præcedens adseruatur.

CAP. XXXIII.

Nauigiorum quorum in Nilo vsus est, differentia, atque arborum quæ in Cairi hortis vulgariter aluntur, nomina.

NOSTRA per Nilum nauigatione peracta, & in pagum Boulac, quo omnia in Nilo commeantia nauigia appellere solent, vt merces quas in Cairũ conuehunt exonerent, cùm descendissemus: eorum nauigiorum (Gerbes ipsi vocant) formam obseruare voluimus, atque comperimus eorum quatuor esse differentias. Etenim alia humilia, plana, latáque sunt, sed admodum breuia si ad latitudinis proportionem conferantur. Alia maiora latioráque, sed in orbem ferè contracta. Maiora non multũ absimilia essent Sequanæ nauibus, nisi longè breuiora

essent: maiora onera ferunt quàm reliqua, præsertim autem Sacchari harundines pro Turcarum Imperatore: sed illa inundationis duntaxat tempore nauigant, neque infra pagum Foua descendunt, Latinóque velo vtuntur. Omnium minima, plana, humilia & lata sunt, velóque quadrangulo vtuntur, neq. longiùs à Boulac euagãtur, ad traiiciendum Nilum duntaxat apta, & ad annonam ex proximis pagis in Cairum deuehendum, atque armenta ex vna ripa in aduersam traducenda. Quæ Damiatam & Alexandriam vsque descendunt Gerbes, Latino velo vtuntur, mareque, si malacia sit, ingredi possunt: at si tempestas suboriatur, diu obsistere nequeunt. Eam ob causam in iis nauigaturi mitem molliorémque auram obseruant, & ventum admodũ fauentem. Hortorũ etiam arbores istic obseruauimus, nempe Sicomoros, Palmas, Cassias solutiuas, Punicas malos, & Aureas, Acaciam, & Tamaricem.

CAP. XXXIIII.

Plurimos hallucinatos esse, qui Chamæleones solo aëre victitare crediderunt.

CVM nullas cæduas siluas in Ægypto conspiceremus, ad fundenda tamen metalla (quibus perpetuo ea regio abundauit) plurimis lignis opus fuerit: quæ ligna istic frequentiora essent, obseruauimus (vtuntur autẽ & Cassiæ Tamaricis, Rhamni, Sycomori, Napeca, Palmarumq; ramis & arundinibus) nihil tãdem istic frequentiùs Sacchari arundinibus: idque veterum auctoritati consentaneum est, qui materia, ad colliquandum aurum, opus esse non ignorantes, dixerunt, & inter ceteros Plinius, Pineis optimè lignis æs ferrũq; funditur, sed & Aegyptia papyro: paleis aurũ. Nã primariũ Aegypti metallũ, aurũ semper fuit. Sepes Cairi hortos ambientes, Chamæleonibus obsiti sunt, præsertim secundũ Nili ripas: sic vt breui spacio ingentẽ eorũ numerũ cõspiceremus. At nõ

abs

abs re in dumetis versantur: nam Viperæ & Ceraſtæ, cùm eos apprehendere possunt, integros deuorant. Chamæleones prædam capere cupientes, linguam semipedalem exerunt, rotundam instar linguæ Pici martij, lumbrico terrestri similem, in cuius extremo spongiosus quidam & glutinosus nodus est, quo insecta, vt locustas, erucas, muscásque capiunt, & in os attrahunt. Ipsas autem exerentes, tá validè tantáq. velocitate vibrant, quàm sagitta ab arcu emitti possit. Natura frustra huic animali linguam, ventriculum & intestina tribuisset, si edendi vsum illi ademisset, vt plerique arbitrati sunt.

CAP. XXXV.

De nostro in Cairum appulsu, quidque istic viderimus.

DVM *in Boulac iumenta exspectabamus quæ Cairum nos veherent, nouũ quidpiam & memoratu dignum audiuimus: Denæ enim vel duodenæ mulieres per plateam simul transeuntes, Ægyptiaco more salutationem dicentes, simul vocem emiserunt, cui similem antè in quibusdam pagis ad Nilum sitis audiueramus quidem: sed quidnã esset, imaginari nequiueramus. Mulieres etenim nunquam in publicum prodeunt, quin tectam faciẽ habeant, non ob singularem formam quæ proditæ sint, sed quia Mahumetes sic præcepit. Immo Aethiopes quæ carbone sunt atriores, faciem larua contegunt, non secus atq. formosissima totius Asiæ Turcica mulier. Difficile itaq. nobis erat, qua ratione eiusmodi vox efformari posset, imaginari: sed eiusmodi acclamationem sæpius repetitam, & confusam quandam harmoniam referentem audientes, intelleximus, ipsas aperto & hiante, quantum fieri potest, ore, vocem acutam emittere, volutata inter dentes lingua, & versus palatum contracta, accentúque acuto terminare, quemadmodum rusticæ mulieres sub acclamationis finem facere solent, quando lac venale Lutetiæ proclamant. Faciem autem obuelant pro regionum va-*

rio more. Sed ea qua Arabicæ & Aegyptiacæ rusticæ vtuntur faciem tegendi ratio, omnium est inelegantissima: nam xylinam telam nigri vel alterius coloris ante oculos ponunt, quæ ante faciem propendens, in cuspidem versus mentum desinit, quemadmodum qua nostræ nobiles mulieres vtuntur, quam barbutam appellant: vt autem per hanc telam prospicere queant, bina foramina ex oculorum aduerso faciunt, sicque instructæ, iis similes sunt qui die Veneris ante Pascha Romæ & Auenioni flagris semet cædunt. At in amplioribus vrbibus Turcicarum mulierum morem sequuntur, quæ exiguum quoddam velum ex caudæ equinæ pilis contextum ante faciem gestant: quæ verò splendidiores sunt, tenuissimam lineam telam. Itaque si quis earum vestimenta singulatim describere vellet; non minus laborandum illi esset, quàm huic qui pictura omnes omniũ quæ in Gallia, Italia, & Germania sunt mulierum habitus, exprimere cuperet: etenim in eadem prouincia animaduerteret ornatum capitis plurimum inter se differre, atque vicinarum ornatui planè dissimilem esse: sic etiam Aegyptiacæ mulieres ornatu à Turcicis plurimum differunt. In Ægypto (vt neque apud Turcas, neque Græcos) mulierum aut virorũ vestes dissecare moris non est. Nullus præterea est præscriptus ordo, quo homines diuersæ religionis dignosci queant ex vestium coloris varietate; nam vt diximus, in solo pileo consistit. Christiani variis coloribus distinctũ gestant, nũc cæruleo, nũc rubro: Iudæi luteũ ferunt: nam solis Turcis albo aut viridi vti conceditur, atque viridi quidem his qui ex Mahumetis sanguine prognatos se iactitant. Capitis porrò ornamentum quo Aegyptiacæ mulieres vtuntur, consideratione dignum est: vetustum enim est, quale in variis numis expressum conspicitur. Auctores turritum capitis ornamentum, aut turritam coronam, seu vittã turritam nuncuparũt, quasi

quasi dicas capitis ornamentum in turris formam subleuatum. Harum aliæ sandalia gestant editiore solo, aliæ cothurnos ferrato calcaneo, Turcicarum mulierum more. Cùm autem talis capitis ornatus vetustatem adeò resipiat, ad eum diligentiùs obseruandum nos commouit, præsertim cùm Latini poëtæ eius meminerint. Ceterùm vt faciliùs demonstraremus quomodo amictæ incedant, earum icones hîc exhibere voluimus, Turcicarum amictum postea exhibituri.



Illo ipso die Cairum profecti sumus, quò peregrino equiti ingredi non licet, nisi illustris vir & Satrapas siet, aut ex eius sit comitatu: at incolis siue peregrinis, asinis insidere indecorum non est. Nobiles inquilini, & Turcarum Imperatoris milites, ostentationis gratia equitant ephippio insidentes, breui instrato tecto, non minus quàm in Gallia, equorumque vsum sibi reseruarunt, tennioris



fortunæ hominibus eos inuidentes. Mulieres etiam asinis clitellatis superimpositogausape insident. Non ignorantes autem singulas nationes retinere suæ regionis consuetudinem.ne Aegyptiorũ naturalem habitum cum Turcico confunderemus, Ciuem Cairinum equo insidentem, cum vxore asino insidenti secundum regionis consuetudinem animi gratia deambulatum proficiscentes,hic exprimi curauimus.

Boulac à Cairo dimidio duntaxat milliari abest. Per hortos iter facientes multas elegantes arbores fructiferas vidimus. Nulli Tamarindi in Aegypto nisi sati proueniunt. Vnicam arborem inter Cairi rudera apud Boulac inuenimus, & limones quosdam siluestres, quarum fructus columbino ouo maior nõ est. Cassiæ, Sebesten, Palmarúmq. arbores & Sycomori in summam altitudinem excrescunt. In Cairum cùm peruenissemus, nostrum vni-

eniqua



cuique licuit sine duce per vrbem deambulare : nam quocunque diei tempore vel intra vrbem, vel foras prodeambulare libuit, nemo nobis obstitit, nec damnū à quoquam metuimus. Imò asserimus, quod si quis peregrinus oblonga veste amictus, per singulas Turcarū Imperatori subiectas vrbes ire vellet, neminem ei magis nociturū quàm inquilino. Sub noctem conspicitur exiguus quidam lacertus secundum muros reptans, qui muscas venatur; Graci vulgari lingua Samiamitos, Itali Tarentola appellant, veteribus Chalcidica lacerta dicta fuit. Quoniam verò recentiores hoc nomen Tarantola cum Phalangio confundunt, nec vocabulū Italicum Tarentola sine Terantula vetustum est, sed à terræ denominatione desumptum videtur: longa oratione opus esset ad explicandum exiguum illum lacertum, nomine Chalcidica lacerta, de quo aliò loco pluribus agemus. Plerisque accidit, vt de exteræ regionis rebus scribentes, primos earum inuentores sese existiment: attamen si veteres auctores legant, in iis eadem ferè his quæ obseruarunt, inueniant. Idem nobis contigit: nam cùm nostrūm singuli noctu inter dormiendum à culicibus ita afflicti fuissemus, vt postridie exan-

the-

thematis laborare videremur, id adnotaueramus, atque etiam adieceramus, noctu tegendam esse faciem dormiendo sub tentoriis, aut in summis ædibus sub dio. Legentes tamen postea Herodotum, eum similia scripsisse deprehendimus. Aegyptij, inquit, noctu suis retibus tentoriorũ vice vtuntur ob culicum metum, quæ illis interdiu vsui sunt ad capiendos pisces. Aegyptij coria parantes, quercus corticibus, vti in Gallia, non vtuntur; neque æsculi calycibus, vt in Asia; neque Lentisci, Terebinthina & Rhois foliis, vt in Græcia; sed arboris Acaciæ siliquis, quarum ingentes facci pleni in Cairo venales reperiuntur: sic herba Kali siue Anthillis tingẽdi vicem illis præstat. Cùm istic essemus, plurima aromata diligenter requisiuimus, quorũ veteres Auctores meminere, atq. comperimus multa illic in vsu esse, quæ mercatores ad nos nõ aduehũt, veluti Nitrũ, Acacia, Calamus odoratus, Amomum, Costus, Benalbum, & pleraque alia similia.

CAP. XXXVI.

De Cairi ædificiis & hortis: deque turre quæ Nili incrementum designat, ex qua eius anni fertilitas cognoscitur.

ARCIS Cairinæ structuræ, cubicula, atria, & picturæ quæ supersunt, Circaßiorum qui nuper admodũ Aegypto dominabantur, antè quàm Turca in suã potestatẽ eos redigeret, magnificentiã satis declarãt. Muri ad humanam altitudinem. fimbria quadam marmorea pedem lata, in ambitu circa ianuam & fenestras incrustati sunt, cui opere vermiculato inserta sunt vnionum conchilia, ebenus, cristallum, marmor, corallium, & vitrum coloribus infectum. Similia etiam ornamenta in priuatis quibusdam Cairi ædificiis conspiciuntur. Maxima ædificiorum pars gemino pauimento subdiali tecta est. Aedificiorum ianuas adeò angustas & humiles fieri curant, vt equus ingredi nequat: eam ob causam inclinare se ingredi cupientibus necesse est. Seræ vulgariter ex ligneæ

ex lignea materia fabricatæ sunt non minore artificio quam quæ ex ferro fiunt. Vulgare est per vniuersum Turcæ dominium (vt belli tempore immunes sint ab excipiendis equis) ædificiorum ianuas humiles exstruere. Satraparum tamẽ ædes, ianuas Europæis similes habent. Aegyptij quos nominauimus accipitres per Aegyptum admodum frequentes sunt, & raro ex ea abscedunt. Milluij etiam istic nidulantur eo tempore quo à nobis absunt; adeóque cicures fiunt, vt ad ædium vsque fenestras conuolent, * dactylis victitantes: æstate autem in Europam auolant vt immensum solis ardorem fugiant. Cairi vrbs ampla admodum & laxa est, non tamen ab omni parte mœnibus cincta, quoniam maior eius pars à Nili riuo alluitur, qui mœnorum vicem illi præbet, vt etiam magna ex parte ipse Nilus. Hic riuus humano artificio ductus est, curantibus Romanis Imperatoribus, cùm Aegypto dominarentur. Ex huius aduerso conspicitur structura quædam solidæ turris instar, ex qua Aegypti fertilitas singulis annis æstimatur. Cùm enim non ignorent Nilum Aegyptiacæ fertilitatis auctorem esse; qui eius rei curam habent, certo anni die conueniunt, vt obseruent quantum Nilus excreuerit. Quod si ad supremum vsque foramen quod in turri est, pertingat: planè agnoscunt vberem futurum subsequẽte anno Aegypti prouentum. Quoniam verò singulis annis in eandem altitudinem non excrescit, variæ sunt in ea turre notæ, quibus futuri anni vbertatem deprehendant. Scriptis proditum est, Aegypti censum ingentem admodum fuisse, dum Romani huic prouinciæ dominarentur, qui postea admodum imminutus est: sed etiam considerandum, Romanos nullis sumtibus pepercisse, vt eam fertiliorem redderent. Admodum admirati sumus, tantam Cassiæ solutiuæ arborum quantitatẽ in Cairi hortis & per Aegyptũ conspicientes, cùm tamen veteres nullam eius mentionem fecerint: sed neque

Theo-

Theophraſtus, qui ferè de reliquis Aegypti ſtirpibus ſcripſit, eius meminit. Sed cenſendum eſt Theophraſtum de plantis ſcripſiſſe, quemadmodum Ariſtoteles de animalibus. Nam quemadmodum variæ nationes Alexandri mandatis obſequentes, varia animalium genera Ariſtoteli adferebant, cùm eorum hiſtoriam deſcriberet: ſic neceſſe fuit, vt de plantis earúmque natura diuerſæ nationes ſimiliter Theophraſto referrent, cùm illarum hiſtoriam ſcriptis proderet. Ex eius etenim hiſtoria apparet, non ſine ingentibus ſumtibus miſſos eſſe in varias regiones viros, qui ſtirpes quas deſcripſit, obſeruarent. Itaque nullum in vniuerſa eius hiſtoria locum inuenientes qui Caſſiæ conueniat, ſtatuimus nullam eius mentionem fecisſe: niſi fortè tertio capite libri quarti, vbi ſcribit, ipſi relatum, arborem circa Memphim tanta magnitudine eſſe, vt tres homines nequeant eius amplecti caudicem. Nam Caſſiæ arbores iſtic minores non ſunt noſtris iuglandibus, foliáque ſimilia habent, vt ex eius icone, quæ ipſam ad viuum exprimit, videre licet.

Mirum nõ eſt ſi Aegyptus oleraceis ſtirpibus abundat: nam cùm vehementes iſtic ſint calores, plantáſque ſumma facilitate rigare queant; diligentes ſunt incolæ in conſerendis opportuno tempore ſeminibus. Nilo inundante, rigatione non opus eſt: ſed ante & poſt ipſam, diligenti opus eſt cura. Cùm autem aluei ex Nilo ducti alti non ſint, inſtrumenta habent hauriendæ aquæ idonea, variis modis fabricata. Inter cetera verò vnum eſt quod illis duntaxat vſui eſſe poteſt cùm alta eſt aqua, nec difficilis eſt ratio: binos etenim palos terræ infigunt ſumma parte bifurcatos, vt tignum ſuſtineant patibuli inſtar, huic palam vtrinque anſatam, vel lancem ligneam binis funibus propendẽtibus alligatam adfigunt, quam bini homines, hinc & inde in aqua ad vmbilicum vſque ſtantes, manibus tenent, eámque validè agitando aquam hau-



hauriũt, quam in hortum magna vi vibrant, & in horti solum spargunt.

* Vix maiorem in Cairo miluiorum frequentiam conspici existimo, quàm Londini Trenobantum in Britannia, qui nullo non anni tempore frequentissimi istic apparent: cùm enim eos interficere vetitum sit, vt spurcitiem in plateas, vel etiam ipsum flumen Thamesim qui vrbem alluit, ab incolis eiectam legant & deuorent, maxima quantitate eo confluunt, adeoque cicures redduntur, vt per confertos etiam homines, prædam ab ipsis in alto volantibus conspectam, corripere non vereantur: quod sæpenumero, dum istic essem, admiratus sum.

CAP. XXXVII.

Vrbis Cairi, atque eius arcis descriptio.

CAIRI *vrbs in longitudinem magis protensa est, quàm in latitudinem laxa, solique homines (vt in vniuerso Turcæ dominio) mercimonia exercent. Feminæ, earum filiæ, & infantes rarissimè in publicum prodeunt. Atque arbitramur quòd si populi sex per vrbem excurrendi consuetudinem haberet, feminæq; necessaria emerent & venderent, quemadmodum apud nos, vrbs longè populosior appareret: adeò tamen frequens non est, vt vulgò fertur. Triangulari est forma: nam arx quæ in colle sita, supremam vrbis partem occupat, vnum angulum constituit. Itaque qui ab arce egressus secundum mœnia ad meridiem descenderet, in alterum vrbis angulum perueniret: inde autem versus Septentrionem progressus, in alium, qui tertius est, angulum pertingeret: inde porro ad arcẽ conscendens, vrbis circuitum absolueret in Δ Græci formam. Totidem ferè sunt extra mœniorum ambitũ ædificia, quot in ipso ambitu; vnde plurimi hallucinati sunt, vrbẽ mœnibus minimè cinctam esse existimãtes. Arx in solida rupe exstructa est, in qua gradus incisi sunt, vt facilior sit in eam ascensus, iis fere similes qui in arce Amboſiana ad Ligerim sunt: nam eius situs similiter, vt diximus, in edito est, orbiculari ferè figura, multásque crassas rotundas habet operis antiqui turres, quæ tamen imbecillæ sunt. Quoniam verò in sublimi est, quadrangula est facta cochlea versus hortum gradibus instru-*

instructa, vt ea quæ in Palatio Diui Petri Romæ est, per quam equi, cameli, atque asini onusti facilè subire possunt. Huius arcis area magna & laxa est, iucundaque istic & sana est habitatio: nam ex fenestris vndiquaque quantum oculorum acies ferre potest, circunspiciendo, vniuersa ferè Aegypti regio apparet, non minus quàm si quis in summo pyramidis alicuius fastigio esset. Hæc arx si cum propugnaculis comparetur, infirma admodũ æstimari debet. Nonnulli Lutetiam cum Cairo comparare volentes, Cairum antiquitus Is dictum asserunt, & quod ob parem amplitudinem, dicta sit Par Is, quasi similis vrbi Is. Verum quidem est, celebrem vrbem fuisse Is, cuius Herodotus meminit, sed Cairum non est: nam ipsius testimonio Is octidui itinere à Babylonia aberat, à fluuio qui eam perluit, deinde in Euphratem sese exonerat, nomen mutuata. Cairi incolæ solis ardoribus admodum vexati, ad arborum perpetuò virentium vmbram confugere coguntur: eam ob causam multis vrbis locis, & per compita, & publica fora Sycomoros alunt & colunt: de qua plura diceremus, nisi eius amplam descriptionem inter arbores perpetua fronde virentes dedissemus; eius tamen iconem hîc exhibere voluimus. In Clio siue li. 2.

Plurimæ etiam herbulæ per parietes serpentes istic obseruari queunt, quæ in nostra Europa non nascuntur, præsertim autem conuoluoli genus lacteo succo prægnans, semẽ in oblonga siliqua ferens, vt Smilax siluestris, Scammoneæ admodum similis: nam ex eadem radice plurima producit sarmenta, quibus sæpenumero sepes (quæ magna ex parte Tamarice, Oenoplia & Rhamno constant) atque parietes ex pingui argilla factos, vestiunt, quemadmodum apud nos hedera, quæ in Aegypto non crescit. Peculiarem etiam istic habent herbulam, quæ sursum rependo pergulas tegere solet, ideoque perticis adpositis eius ascensum vsque ad ædificiorum fenestras procurant.



Nihil in Cairo magis æstimatione dignum ipso Baseſtan, hoc eſt, loco illo muris cincto, in quo argentaria aureáque opera tum ex ſericeis ſtamimbus contexta, & nonnulla rariora exoticáque aromata venduntur; quò plerumque frequens hominum turba confluere ſolet: iſtic enim negociandi gratia conueniunt, quemadmodum Lutetiæ in Palatium, Antuerpiæ in Burſam, vel Lugduni in eum locum quem Change appellant. Si quid enim elegantis & rari in tota vrbe eſt, iſtic requirendum. Ex noſtro comitatu quiſpiam quæſtionem mouit, vtrum plures Meſchitæ in Cairo eſſent, quàm primaria templa Lutetiæ. Sed parum abeſſe, plurimis diligenter obſeruantibus deprehenſum eſt.

CAP. XXXVIII.

De magno aquæductu, qui inter Babylonis rudera & vrbem Cairum eſt, per quem Nili aqua in arcem decurrit.

CAIRO *diſceſſimus, vt veterem Cairi vrbem paulò ſuprà ſitam, videremus, quæ priſcis Babylon dicta fuit, tametſi alia Babylon ſit in Aſſyria quæ nunc Bagadet dicitur, in Meſopotamia. Nos iſtic multorum vetuſtorum ædificiorum ex latere & calce conſtructorum rudera vidimus, quæ ſplendida fuiſſe apparebãt: nunc exiguus iſtic eſt pagus, quem Chriſtiani Armeni & Græci incolunt, qui elegans & ſatis ſplendidè ſtructum ſacellum nobis oſtenderunt, à Chriſtiano quodam Medico D. Virgini conſecratum. Fornix eſt in eodem templo ſubterranea, in qua ipſa cum infante Chriſto latuiſſe fertur, cùm ob Herodis tyrannidem ex Iudæa profugiſſent. Paulo ſupra Cairum in itinere reperimus ingentem aquæductum plus quàm trecentis fornicibus conſtantẽ, ad Nili aquam in Cairi arcem deuehendam: quibuſdam etenim machinis, hoc eſt, magnis rotis, boum labore in orbem verſatis, aqua è Nilo hauritur, atque in aquæductum iniicitur.*

*Mauritani & Aegyptij præ reliquis nationibus sunt hilares & faceti: nam siue ad saltationem, siue ad choreas ducendas, siue ad totum corpus in aërem vibrandũ semper parati; quod illis ab omni antiquitate innatum est. Flauius enim Vopiscus scribit Aegyptios magnos poëtas fuisse, & comœdos, semperq́ ad saltandum paratos. Qua in re plurimum à Turcis differunt, qui natura morosi, lenti & desides sunt. Mauritanæ mulieres Cairi incolæ instrumentum quoddam pulsare norunt Cinghi *appellatum, quod etiam Constantinopoli non est incognitum: non minus harmonicum est cithara; & licet adeò suauem concentũ non edat, auribus tamẽ placet eius harmonia, modò humanæ vocis modulatio addatur. Mauritani & Aegyptij maiorem Musices vsum habent quàm Turcæ, præsertim fistularum & lyrarum: imò asserere audemus, eius si quẽ vsum habent Turcæ, à Mauritanis didicisse.*

* Hæc vox Cinghi abludere non videtur à Gingrina, quæ γίγγας Polluci, γιγγρίνης Eustath. dicitur; tibia breuior, exilem luctuosumque sonum edens, nomen habens à Gingri, hoc, est Adonide (ita enim Phrygica lingua dicebatur) defleto, talibúsque ribiis funerato: vel, vti Festo placet, à gingritu fictitia anserum voce, vel quod ex anserum ossibus eæ tibiæ concinnarentur. Consule Hadriani Iunij Nomenclatorem.

CAP. XXXIX.

Balsami descriptio.

IN *quodam pago spectatum iuimus hortum Balsami fruticibus consitũ, qui à Cairo longiùs haud abest, quàm Lendit à Lutetia. Quoniam porro Balsami planta admodum celebris, preciosa, raráque est; hic scribere libuit, quidquid ad eius historiam pertinere arbitrati sumus. Quosdam esse scimus, qui Matereæ Balsamum ex Iudæa delatum esse putent: rem autem haud ita sese habere, postea demonstrabimus. In magno quodam horto sunt, sed angusto loco muris conclusæ, quos exstructos fuisse aiunt postquam Turca Aegyptum Sultano ademit: Bacha autem à Turcarum Imperatore huic regioni præfectum, ea*

arbusta

arbusta digna existimasse quæ peculiari loco cõcluderentur. Cùm istic essemus, nouem aut decem duntaxat frutices eius aderant, qui nullum liquorem præbebant. Inter notas à veteribus proditas, quibus Balsamum dignosci possit, vna est, vt perpetuò vireat: illud tamen in Materea, apud Cairum, pauca admodum folia Septembri mense habebat: quod nobis insolens visum est. Nam reliquæ arbores quæ hieme virere solent, folia solùm nouo vere abiiciunt, cùm videlicet noua germina produxerũt: solentq́ue autumno magis virere, quàm nouo vere. At reliquæ quæ folia abiiciunt, id sub hiemem facere solent, vt æstate, noua adquirant. Ideoq́ue nobis præter naturam videbatur, Balsamum æstate folia abiicere, vt hieme, noua germina produceret: nobis enim id obseruantibus, quæcunque habuit folia, recèns nata erant. Eius iustam magnitudinem tradere nequimus; nam quotquot eius frutices in horto aderant, stipitem solùm habebant pedis longitudine & pollicari crassitie, tenuibus ramulis præditũ, raris foliis obsitis. Vbicunque autem tandem nascantur, duorum aut trium cubitorum altitudinem non superant; & pedali altitudine cùm sunt, in multos graciles ramulos anserinæ pẽnæ caule haud crassiores finduntur. Balsami frutices Matereæ iam recèns putati fuerant, sic vt soli stipites superessent, qui ramulorum rudimenta producebant. Eiusdem etenim est Balsamum cum vite naturæ, quam singulis annis putare necesse est, alioqui degenerat. Noua illa Balsami germina subrubente cortice erant tecta, foliaq́ viridia habebant, lentiscinorum foliorum modo formata, hoc est, vtrinque in neruo nata, vt in rosarum, vel fraxini, vel iuglandis foliis videre est; ciceris tamen foliorum magnitudinem non excedebant, sicq́ constructa erat eorum series, vt postremum foliolũ extimam alam occupans, imparem numerum efficeret: nam totius alæ foliolis numeratis, terna, quina, aut septena in-

ueniuntur, septenarium certè numerum superare vix animaduertimus: extremum autem foliolũ reliquis maius est, facto etenim ab illo progressu, reliqua sensim minutiora fiunt, vti in Rutæ foliis. Plinius in eius historia Theophrastum per omnia sequutus est, quemadmodum etiam Dioscorides, eiúsque vestigiis insistentes, Balsami folia Rutæ foliis compararunt: quod veritati consonum esse deprehendimus. Quoniam autem primùm in Materea illud exactè nõ obseruaueramus, denuò illud spectatum iuimus; eiúsque ramulum nacti, ipsum atque illius folia degustauimus, quæ facultatis nonnihil adstrictoriæ esse comperimus, pinguíque aliquantulum saporis atque aromatici: ramulorũ autem cortex his odoratior est. Gemino cortice præditi sunt ramuli, extimo foris subrubente, qui vt membrana intimum viridem operit. Is gustatus, inter Thus & Terebinthi folium sapit, Satureiæ siluestri sapore simili admodum grato, atq. digitis tritus Cardamomum olet: ipsum lignum candicat, odoríque & saporis expers est, non secus atque aliud inutile lignum. Ipsius virgæ rectæ sunt & graciles, varíque foliorum alis sparsim & confuso ordine nascentibus obsepta, quæ (vt diximus) ternis, quinis, aut septenis foliolis constant. Variæ sunt auctorum qui de Balsamo scripserunt opiniones: & nisi nos ipsi plantam conspexissemus, nihil post illos de eo scribere ausi fuissemus: atque in eam ferè opinionem inclinaremus, illud in Hierico planis nunquam cultum fuisse. Quia autẽ ipsum fruticẽ vidimus, diligenterq. obseruauimus, de eo, tãquã de re quæ diligenti obseruatione digna, disserere libuit. Experientia autem didicimus, lignum illud vulgo Xylobalsamum nuncupatum, quod ex felici Arabia delatum, à mercatoribus vẽditur, cum Aegyptio quod in Materea colitur, conuenire: nam desiccatum nostrum Balsami ramum cum eo quod in officinis venale reperitur contulimus, atque omnibus notis respondere depre-

deprehendimus: estque ex duobus alterum necessarium, aut Xylobalsamum & Carpobalsamum, quale in officinis vāditur, adulterinū esse, aut illud Aegyptium, quod colitur in Materea horto, legitimúmque Balsamum esse censetur. Nam cùm in omnibus conueniant, certique simus idem esse, asserimus & concludimus, id quod hoc nomine venale reperitur, simile ei esse quod ab omni antiquitate in usu fuit. Balsamū nūc temporis in sola Aegypto colitur apud Cairū. Et licet Theophrastus in ea opinione sit, id siluestre & sponte nascens non inueniri: asserere tamen audemus ab omni ævo in felici Arabia fuisse, atque etiam nunc nasci, cuius lignum & fructus etiam olim ad nos perlata fuerint cum aliis Arabiæ mercibus. Atque demonstrare volumus ea nō minus cognita fuisse mercatoribus, quàm reliqua aromata, vt ex medicamentorum, quibus perpetuò iniici solita sunt, compositionibus apparet. An non Mithridates in suum medicamentū intulit? An nō in officinis venalia nō reperiebantur? Id ex sola Dioscoridis auctoritate probari potest, qui sua ætate Carpobalsamum adulterari conqueritur. Carpobalsamū (inquit) adulteratur semine hyperico simili, quod à Petra oppido defertur: (per Petram oppidum Mecam intelligimus) atque de Xylobalsamo: E ligni genere quod Xylobalsamū vocant, probatur reces, sarmento tenui, fuluum, odoratū, quadātenus Opobalsamū spirans. Ex his liquidò apparet vulgaris vsus inter reliqua aromata fuisse. Sed & ex Diodori Siculi vetustissimi scriptoris Arabiæ felicis opes enumerantis verbis manifestò liquet: maritimis enim locis Balsamum producere ait. Cultum igitur id esse non intelligit, sed sponte nascens. Pausanias etiam tradit Balsamum Arabiæ fruticem esse. Plerique tamen auctores de Balsamo agentes inter se non conueniunt: nam Strabo prodit in Syria nasci apud lacum Genezareth, inter montem Libanum & Antilibanum. Reliqui volunt

ſolam Iudæam regionem id producere, eiúſq. ramos oſſeo cultro, aut vitro duntaxat vulnerandos eſſe ad liquorem eliciendum; alioqui ſi ferro cædantur, ſtatim emori. Cornelius Tacitus ſcribit, ferro iuxta adpoſito metu exhorreſcere, idcirco aliis quam ferreis inſtrumentis vulnerandum, ſi liquorem elicere quis cupiat. Percõtantes à mercatoribus Cairi, de Balſamo, cùm noſtrum ramulum conferremus, nobis affirmarunt, quidquid Xylobalſami vel Carpobalſami vnquã vendidiſſent, id omne ex Meca cum aliis aromatibus accepiſſe; atque meminiſſe, ſuo tempore, Balſami frutices qui nunc in Materea coluntur, ex Arabia felici delatos eſſe, magnis ſumtibus Sultani. Quoniam verò id nobis tam multi affirmarunt, exiſtimauimus ſine vllo ſcrupulo aut diſſimulatione nobis licere id ſcribere.

CAP. XL.

De magno Obeliſco qui erectus eſt apud Cairum, & arboribus in Matereæ horto naſcentibus.

*IN Materea horto multæ Sebeſten arbores & Sycomori quas Ficus Pharaonis nominant, aluntur. Illius ficus noſtris ſimiles eſſent, niſi putamen rubrum haberent, dui eſſent magnitudine, & perpetuò fiſſæ & hiantes. Siccatæ ſunt inutiles: nam aridæ ſunt & duræ, granulis plenæ, atque ingrati inſipidique guſtus, iis præſertim qui iis veſci non ſunt aſſueti. Recentes paulo ſunt meliores: attamen, vt maximè celebrem, parum grati ſaporis ſunt: licet magni cenſus ſint vniuerſæ Aegypto. Ocimi ſiue Baſilici planta iſtic in agris ſeritur, atque in triplo maiorem amplitudinem excreſcit quàm apud nos. Ea veſcuntur, quemadmodum nos aliis oleribus. Mala inſana, quæ nos Poma amoris dicimus, magna frequentia in arenoſis agris ſponte proueniunt, duorum aut trium generum, alba, rubra, oblonga & rotunda. Theophraſtus noſtro iudicio * Malinathalam nomi-*

nominat: nam de Aegypti plantis scribens, ait, Locis « autem arenosis, haud procul a fluuio, nascitur terrenum, « quod Malinathalam appellant. Omnibus ferè mensis adponuntur, aut sub cineribus cocta, aut elixa, aut frixa. In hoc Matereæ horto demonstratus est nobis locus in quo Christus cum virgine Matre diu habitarunt cùm in Aegyptum venissent, ex Iudæa Herodis metu fugientes: sed & istic est fenestra, in qua D. Virginem reposuisse ad quiescendum ferunt. Istic etiam fons est, Balsalmi hortum irrigans, in quo D. Virgo Christum sæpiùs lauasse, atque eius fascias pannósque eluisse creditur. Certissimum est Obeliscos excisos, vt Regum Aegypti tumulis imponerentur, vti Pyramides atque magni Colossi. Ex his Obeliscis vnus ingens est erectus in agro quodam paulo supra Mateream, longè maior & crassior his qui Alexandriæ sunt, aut eo qui Constantinopoli in Hippodromo conspicitur. Eo conspecto, versus Cairum regressi sumus, ad dextram declinantes, vt alium hortum spectaremus, vno milliari à Cairo distantem, in quo amplum & laxum est atrium à Circassis exstructum cùm Sultanus Aegypto dominaretur. Hæc structura, amplus & capax locus est, magnis lapidibus quadris stratus, tectusq. ad solem arcendum, tectũ sustinentibus pilis. Nilus inundationis tempore proximè adeius parietes accedit. Ad huius structuræ Orientalem plagam, elegans hortulus est, in quo multæ Cassiæ arbores, Cypri siue Alcennæ, Rosæ, & Iasminum flauum: ad Septentrionalem verò & Meridionalẽ, parui gemini lacus ad aquam potabilem adseruandam idonei. Vniuersa hæc structura superiore parte picturis ornata est. Eius trabes & asseres ex Palma sunt. Postquam autem Aegyptus in Turcarum Imperatoris potestatem venit, sensim collabi cœpit.

*Sed meo iudicio Bellonius fallitur: nam ſ Theophrasti locum, qui est lib. Plant. hist. 4. cap. 10. totamque Malinathalæ historiam diligen-

ter perpendas: eius Malinathalla quæ Mespili magnitudine est, sinéque semine & cortice, & folia Cypero similia habet, plurimum à Malo insano differre deprehendetur. Sed Bellonio fortè vocabulorum affinitas imposuit.

CAP. XLI.

Errones illos quos vulgo Aegyptios appellamus, perinde in Aegypto inueniri atque in alijs regionibus.

NVLLAM *regionem in vniuerso orbe immunem esse existimo ab erronibus illis turmatim incedentibus, quos falso nomine Aegyptios & Bohemos appellamus: nam cum in Materea & Cairo essemus, atque secundum Nilum, in plurimis Nili pagis magnas istorum turmas inuenimus, sub Palmis desidentes, qui non minus in Aegypto exteri habentur quàm apud nos. Quoniam autem ex Wallachia aut Bulgaria oriundi sunt, Christiani sunt, atque plurimas linguas callent. Itali eos Singani appellant. Istorum vxoribus, priuilegio à Turcis impetrato, sese prostituere publicè licet, cùm Christianis tum Turcis: ædésque habent in Pera, multis cubiculis instructas, quò quilibet liberè ingredi potest, sine vllo Turcici magistratus metu; vbi continuò duodenæ ad minimum mulieres versantur. Hi errones per Græciam, Aegyptum, & reliquum Turcarum dominium, ferrariam artem exercent; atque inter ipsos excellentes inueniuntur in ea re artifices. Ipsimet suos carbones excoquunt; at eos, vt intelleximus, qui ex ericæ stipitibus & radicibus parantur, ad eiusmodi opera omnium aptissimos esse censent; ferrum enim indurare creduntur. Postquam aliquot diebus in Cairo hæsissemus, & Pyramides spectatũ ire constituissemus; rebus necessarijs paratis, ex vrbe per meridionalem portam egressi, cymbas inuenimus quæ trans Nilum nos vexerunt. Magno comitatu eò proficiscendum est, alioqui spoliationis periculum incurrendum esset. Eam ob causam quidam Sangiac cum multis Spahi Domino de Fumet sese adiunxit, qui ipsi totique eius comitatui præsidio essent.*

CAP.

CAP. XLII.

Pyramidum obseruatio.

ROMANORVM *fabricæ & antiqua opera (cum venia id dictum sit) nihil accedunt ad Pyramidum splendorem & superbiam. Aegyptij mortuorum resurrectionem exspectantes corpora condire solebãt, vt ad æternitatem perdurarent, ea comburere nolentes, vt Latini; neque terra sepelire vt, Græci: ignem etenim animal esse existimabant, quod omnia deuorat & absumit, quódque iam satur, cum his quæ deuorauit, perit: minimè autem sepeliebant, quòd, ne à vermibus absumerentur, metuerent. Itaque ad ista incommoda euitanda, olim corpora condiebant cedria & nitro (quæ nunc nobis in vsu sunt sub Mumiæ appellatione) eaque condita, sepulcris condebant, sub ingentem aliquam lapidum molem: eámque ad rem, maximè sterilia loca deligebant. Pyramidum etiam locus admodum desertus est, quatuor milliaribus à Cairo distans vltra Nilum, quem cùm veli tum remorum adminiculo sub ea insula quæ Cairo opposita est, transiuimus: sed neque satis fuit fluminis alueum semel transiuisse: nam postquam in alteram ripam peruenissemus, longus agger nobis sequendus fuit, multas lapideas fornices, & quibusdam etiam locis ligneos ponticulos habens, per quos incedendum nobis fuit. Tandem cùm prope Busyrim pagum peruenissemus, vbi Nili aqua pontis lapidei fornices euerterat, cymba cum superare oportuit: deinde à Busyri pago, alius est oblongus agger, qui in Pyramidum solitudinibus desinit. Nili alueus primum diuiditur longè supra Cairum, canalem promens qui in Mareotim lacum perpetuò secundum desertam illam Africæ partem decurrens effunditur. Propterea nobis dubitationem intulit, an hic Nili ramus Aegyptum ab Africa separaret: nam iuxta Pyramidum basim labitur, Aegypti fertilem regionem à sterili diuidens. Nilus*

itaque

itaque Cairum alluens integer non est: nam iam longè suprà, suas vndas in canalem distribuit, qui in Mareotidem lacũ decurrit. Superato Nilo, ad alteram eius ripam, in quo latere sunt Pyramides, delati, illum integrum inter nos & Cairum habuimus. Quacunque igitur parte Aegyptus spectetur, non potest non figuram Deltæ exprimere. Nam si quis eam circumeat, & a Mareoti lacu incipiens recta linea sursum supra Pyramides tendat, & inde Damiatam, quæ ad ostium Pelusiacũ est, descendat, nónne angulum fecerit? inde porrò in Alexandriã pergat, an non duos alios absoluerit, qui triangularem formam veluti Δ exprimant? Cùm per Busiridis aggerem iter faceremus, qui quodã loco, vbi Nilus lacum facit (quod occasionem Græcis præbuit, fabulas suas de Lethe & Stige comminiscendi, quoniam condita corpora per eum lacum, ad eum vbi recondi debebant locum, deuehebantur) ab exundante lacu perruptus erat: qui validos & firmos habebant equos, præeuntibus itineris ducibus sine difficultate transiuerunt, at qui debiles equos habebant, cymbam, quæ eos traiiceret, exspectare necesse fuit. Nonnulli tamen exutis vestibus, & suos equos loris trahentes, transiuerunt, pertingente sub axillas vsq. aqua. Proximi pagi Mauri, comites se nobis præbuerũt, & itineris duces ad conscendendas Pyramides; quæ procul admodum à mari absunt, sed à Nilo duntaxat tertio lapidis iactu. Pyramides videntur esse montes immensæ magnitudinis: sed earum etiam moles magno hominum labore eò congestæ fuere. Locus vbi sitæ sunt, admodum arenosus & sterilis est, cuius Plinius, Herodotum secutus, Lib. 36. cap. 12. *in hæc verba meminit: Arena latè pura circum, lentis magnitudine. Maxima Pyramis, procul aspicientibus minor secũda esse videtur, quòd humiliore loco sita sit: sed si quis prope adsistat, sine comparatione multo maior apparet. Cæterùm magis admirãdæ reuera sunt, quàm Historici*

storici eas descripserunt. Amplissima exstructa est gradibus foris prominẽtibus. Nos eius basim dimensi sumus, quæ quatuor angulorum paribus interuallis cùm sit, trecẽtos viginti quatuor passus habet in singula latera, paululum extensis cruribus, gradiendo singulos passus numerantes. A basi autem ad cacumen ipsius supputationem facientes, comperimus circiter ducentos quinquaginta gradus, quorum singuli altitudinem habent quinque solearum. Calcei nouem pollicũ longitudinis. In eius fastigio cùm essemus, aperte Cairum ex aduersa parte Nili situm, qua Arabiam desertam spectat, conspicere potuimus; ad Septentrionem verò conuersi, vniuersam Aegypti regionem veluti submersam, maris alicuius instar videbamus: inde porrò ad Meridiem obuertentes faciem, qua Africa est, arena sterilis nostris oculis duntaxat apparebat. Considerata autem ea Pyramidis parte quæ Septentrionem spectat, eam comperimus magis corruptam quàm reliquis partibus; quoniã cùm nocturni roris, tum Nili humiditas ventis aquilonaribus agitata, plurimum illam absumit; manentibus aliis, quæ vel Orienti vel Septentrioni obiectæ sunt, attamen ab humore non aspernguntur, integris. Nam Aquilo in Aegypto humidus est, cùm in aliis regionibus desiccet. Et hæc quidem de exteriore amplissimæ primæq; Pyramidis parte. Nunc de interioribus partibus sermonem instituere volumus. Nos eam ingressi sumus per quadratum foramen, quod subire non licet nisi incuruato corpore: nam transuersim fabricatum est, hoc est, ex alto in imum descendendo. Sine autem probabili ratione illud ita exstruxisse non videtur artifex: nam si obliquum fecisset, nullũ in Pyramidis cauitatem lumen recipi potuisset. Singuli autem cereum accensum in manu habentes, in id foramen descendimus, (pluribus enim simul non licet) nam cùm ad imum peruenissemus, vt in cauitatem ingrederemur, in ventrem pro-

procumbendum fuit, & serpentum more perreptandum, nec adhuc sine difficultate ingressi sumus. In ipsa Pyramide vacuum quendam locum inuenimus: inde ad sinistram progressi, alium meatum pergulæ quadræ satis affabrè excisæ, per quem ad superiora ascensus est, quà vir erectus gradiri potest: nam satis amplus & altus est, magnis latisq. & perpolitis splendētibúsq. lapidibus constratus, nullis tamen gradibus. Sed podia, quæ vtrinque exstant, manu apprehendenda sunt, quo facilius ascendi possit. Confectis igitur hac ratione quindecim aut sedecim passibus, peruenitur in elegans cubiculum quadrangulum, sex passus longum, & quatuor latum, quatuor verò vel sex orgiis altum; in quo marmor nigrum, solidum, in cista formam excisum inuenimus, duodecim pedes longum, quinque altum, & totidem latum, sine operculo. Sepulcrum Regis cuius piam Aegyptij id fuisse certum est, in cuius gratiam Pyramidis illius moles exstructa fuit: id autem sepulcrum istic repositum fuisse ante Pyramidis substructionem, non dubium est. Inde regredientes, & per spatiosum illum meatum descendentes, ad Septentrionem vergebamus. Egressi ad sinistram nos conuertimus, vbi puteum inuenimus, sed lapidibus nunc ferè plenum. Hæc Pyramidum historia ab Herodoto, Diodoro, multísque aliis Græcis est prodita. Plinius verò inter Latinos scribit puteum admodum profundū esse; nihilque certius est, ex eo aquam haustam ad fabricam substruendam, & operas potandum: nam interior Pyramidis pars opere signino ex calce & arena constructa est, quod indicium est aqua opus fuisse. Cùm in primam cauitatem regressi, longiùs progrederemur, exiguam aliquam eius partem ad sinistram reperimus confractam: nam alioqui solida est substructio. Istic vespertiliones erant à nostris diuersi, & ab his quos antea in Cretensi Labyrintho conspexeramus: nostri etenim caudam alis longiorem

non

non habent; at his oblonga est cauda instar murium, quatuor digitis alas superans longitudine. Pyramide tandem egressi, ad secundam nos contulimus. Amplissimam porrò hanc pyramidem primò descripsimus, eo quòd reliquas magnitudine & præstantia superet, eáque ipsa sit, quam omnes veteres auctores aspectu admirabilem esse scripserunt. Peritissimus atque validissimus sagittarius in eius fastigio existens, atque sagittam in aërem emittens, tam validè eam eiaculari non poterit, vt extra molis basim decidat, sed in ipsos gradus cadet, adeò vastæ latitudinis, vti diximus, est hæc moles.

Qui plura de huius, reliquarumque Pyramidum, & similium operum Ægyptiacorum magnificẽtia intelligere volet, eiusdem Bellonij libellum consulat, cui titulum fecit, De admirabili operum antiquorum & rerum suspiciendarum præstantia.

CAP. XLIII.

Alterius Pyramidis obseruatio.

ALTERA *Pyramis, quæ magnitudine secunda est, nullis gradibus foris prominentibus est instructa; eam ob rem scandi non potest: ea, quoniam editiore quàm prior loco est, procul aspicientibus maior esse videtur, propiùs autẽ contemplanti contrariũ deprehenditur. Eius forma quadrangula est, vti superior, sed vsq. ad fastigiũ solida. Primæ fastigiũ in planitiẽ desinit, duos passus in diametro patentem, in qua quinquaginta homines consistere queant: hæc autẽ in cuspidẽ desinit minus capacẽ quàm vt homo in ea stare possit. Foris intrita incrustata est, atq. ei⁹ pars quæ ad Septentrionẽ vergit, perinde ab humore quẽ aquilones ex aqua Nili & nocturno rore illi inspergunt, corrupta est, atq. prior. Stelliones Græcis Colitis nũcupati, circum has Pyramides admodum frequentes sunt, & in sepulcrorum cauis, quæ per eam planiciẽ passim sparsa sunt. Inter lapidum interstitia domicilium habẽt, muscásque venantur, vti nos obseruauimus. Tarentolis quæ ædificia incolunt, similes essent, nisi cõpactiore essent corpore,*

pore, crassioréque & planiore capite. Hi sunt qui excrementum illud excernunt, quod veteres Crocodileam appellarunt, nostræ verò officinæ stercus lacerti. Turcicæ mulieres faciem illo fucant, atque in omnibus Turcicorum aromatariorum officinis venale prostat: sed & in nostra Europa satis magnus eius est vsus.

CAP. XLIIII.
De tertia siue minore Aegyptiaca Pyramide.

TERTIA Pyramis duabus superioribus longè minor, tertia est autem parte maior ea quæ apud Testaceũ montem est Romæ qua ad D. Pauli eundum est, itinere Ostiẽsi. Adhuc integra est, nec magis rimis corrupta, quã si iã recès exstructa esset: Marmoris enim genere cõstat, quod Basaltes nuncupatur, vel lapis Aethiopicus, ipso ferro duriore. Ex eo lapide magna ex parte excisæ sunt omnes Sphinges Aegyptiacæ, quales Romæ in Capitolio conspiciuntur, ab Aegyptijs aliquando sculptæ. Hæc tertia Pyramis sagittæ iactu longius distat quàm secunda. Minimam illam appellamus, comparatione ad duas priores facta: nam licet Romana quinquaginta candidi marmoris perpoliti ordinibus incrustata sit, Aegyptiacæ in morem; eius tamen artifex magna solertia vsus fuisse non videtur, si etiam cum minima Aegyptiaca conferatur, quarum plus quàm centũ per eam planiciem hinc inde sparsæ conspiciuntur: nam ne vnica quidem ex illarum numero adeò vitiata reperietur, vti Romana. Eam ob causam illarum comparatione nouam appellare licebit: etenim eius interior pars rudere ex tegulis arena & calce conflato dunxtaxat constat, quod subsidens, marmoris incrustationem dissoluit; sic vt singula latera iam rimas agentia & fatiscentia Terebinthis, Capparibus, Genistis, Rubis, Tinis, Teucrio, Absinthio, aliisq. stirpibus locum dederint in quo radices agerent: & nisi lapides ferro & plumbo firmati essent, iamdudum corruissent.

CAP.

CAP. XLV.

De plurimis aliis Aegyptiis Pyramidibus.

PRÆTER *superiores tres, plurimas alias minores hinc inde per arenosam illam Africæ solitudinem sparsas vidimus: quarum pleræque etiam paruæ & rudioris operis, tum varij generis sepulchra, ad corporum cedria & nitro conditorũ sepulturas in Aegypto destinata, quemadmodum bitumine in Iudæa. Historici prodiderunt, Aegyptios pro facultatum ratione sepulcra sibi condidisse. Opulentiores aliquod opus magnificentius & præstantius fabricari curabant, vt Obeliscos, Colossos, Pyramides: mediocris fortunæ homines, alia mediocria opera: neminem autem adeò tenuis fortunæ fuisse, qui non aliquot lapides in cumulum congestos pro sepulchro habuerit. Locus in quo sunt sepulchra exstructa, adeò incommodus & desertus est, vt nemo istic habitare aut quidquam serere possit. Inde Plato occasionem sumsit, leges sanciendi, vt sterilia loca, defunctorum sepulturæ dicarentur: quod & Graci & Turcæ nunc etiam obseruant, Arabum imitatione: nam mortuos sepeliunt celebrosis locis, ad colles aliquos alioqui natura steriles. Quoniam autem Sphinx, siue Androsphinx, cuius veteres adeò meminerunt, integra adhuc est in arenoso illo campo cum Pyramidibus; facere non potuimus quin hoc loco de ea nonnihil ageremus.*

CAP. XLVI.

De ingenti Colosso, ab Herodoto Androsphinx nuncupato, & à Plinio Sphinx, ante Pyramides exciso.

DILIGENTER *consideratum ingens saxeum caput Nili alueo vicinum, paululum infra amplissimam Pyramidem, occasionem dedit vt Aegyptia opera admiraremur. Vt autem Plinius modum excesserit in Pyramidum mensura: sic æquior fuit in describendo Sphingis Colosso ad ampliſsimæ pyramidis dextrã sito, qua Orientem spectat. Nos in Sphingum descriptione diutiùs immorari nolumus: nam quæcunque de hoc animali picta &*

scripta sunt cùm ab Aethiopibus tum ab Aegyptiis, meræ reuera sunt fabulæ. Sed Diodorus ipse cùm eas describeret, nihil aliud adferre potuit, nisi picturis, quibus expressæ sunt, similes esse, paulo tamen pinguiores, atque miti natura præditas. Hæc Diodorus, qui Sphinges ex earum pictura nos dignoscere cupit, vti Herodotus Phœnicem. Iam verò Sphingum & Phœnicis picturas exhiberi solitas à vetustissimis temporibus necesse est: quandoquidem eorum tempore ex picturis agnoscebantur. Sphinges itaque ex picturis cognoscere volentes, diligenter quibuscunque existāt vel cæsæ vel sculptæ locis, obseruauimus quænam earum esset forma. Sed cùm in diuersis sculpturis, & veteribus numis adeò variè expressas deprehenderimus, vt ex denis aut duodenis vetustis quæ Romæ sunt, cùm in Capitolio ex marmore Basalte, sine Aethiopico lapide sculptæ, tū in peristylio Pōtificij Palatij horto Belueder, ex Thebaico lapide, vti sunt Obelisci; nulla sit quæ cum altera conueniat; quæq; in Augusti & Hadriani numis expressæ sunt, à sculptis differant: libertatem nobis concessam arbitramur statuendi, meram esse fabulam quidquid de iis scriptum est, vt postea demonstrabimus. Rex Franciscus, litterarum restaurator, & omnis virtutis parens, binas satis obscuras fundi iussit, ad Romanarum imitationem, quas adhuc in Fontainebelleau Palatio cum aliis eiusdē Regis vetustatis monumentis videre licet: sed nec illæ cum Augusti numis aliquam similitudinem habent. Imo nullam adhuc consticere nobis licuit, cui notæ à Plinio illis attributæ conueniant. Etenim aliæ vbera in pectore habent, vt quæ sub brachio magni illius Colossi marmorei Nilum exprimentis conspicitur, cùm in Hadriani numis, tum ea quæ Romæ est in horto Belueder. Aliæ in aluo habēt, vt quæ in Augusti numis expressæ sunt. Aliæ his omnino carēt, vt quæ Romæ ex Basalte & Thebaico lapide sunt.

Nunc

Nunc porrò de Aegyptia Sphinge, quam Herodotus Androsphingem nominauit, cuiúsque Strabo, Plinius, & plerique alij Auctores meminerunt, dicemus. Plinius de Pyramidibus & hac Sphinge agens, ait: Ante has est Sphinx, vel magis miranda, qua siluestria sunt accolentium. Cùm tamen Sphingem nominat, caput immensæ magnitudinis duntaxat intelligit, vt ex ipsiusmet verbis apparet: Est autem saxo naturali elaborata (inquit) & lubrica: Capitis monstri ambitus per frontem centum duos pedes colligit: longitudo pedum centum quadraginta trium est: altitudo à ventre ad summum apicem in capite, sexaginta duorum. Hoc saxum formæ cubicæ insidet, nihilque aliud est quàm ingens quædam facies sculpta, Cairum spectans. Cuius faciei vel omnium eius partium, veluti nasi, oculorum, oris, frontis, menti, & ceterarum proportio adeò diligenter obseruata est, vt negari non possit, quin insigni artificio sit facta: attamen nullam habet cum aliarum Sphingum sculpturis similitudinem. Rex Franciscus, rerum suspiciendarum summus admirator, Herculem ex ære fuso conflare decreuerat: quod haud dubiè effectum curasset, nisi morte præuentus fuisset: nam eius typus diu asseruatus fuit Lutetiæ in Regia de Nelle, quinquagenos binos vel ternos pedes altus. Hunc si absoluere licuisset, credibile est hoc opus reliquas cùm Romanorum Imperatorum, tum Aegyptiorum substructiones superaturum. Nonnulli existimant Martem eum conflare voluisse: nam & Veneris typus eiusdem magnitudinis iam factus erat: quique eum viderunt, plurimum admirati sunt. Sed aliud opus illis proponere volumus: nempe Mercurium quem Leuodorus architectus in Aruernia erexerat, quique postea Romam euocatus, Solis Colossum excidit, quem Nero Imperator Rhodi erigi iussit, ex solido marmore, qui exactè duplo maior erat quàm Hercules Regis fuisset: nam quemad-

Lib. 36. cap. 12.

modum Regius quinquaginta duorum & semis pedum altitudinem habere debebat. Rhodius centenos quinos altus fuit. Sed hoc saxum de quo nobis sermo institutus est, magis adhuc admirandum: nam cùm sit solidum, sexaginta & trium pedum est altitudine. Plinius centum quadraginta trium pedum longitudinem illi tribuit. Sed Sphinges in hac oratione nos nõ detinent: at huius Colossi magnitudo & sublimitas, qui nõ minus admirãdus est quã ingens aliquis obeliscus. Assererenõ dubitamus, Romanos ex solido saxo nunquam quidpiam confici curasse, quod operis præstantia & sublimitate cum Pyramide, aut Obelisco, aut hac de qua agimus Sphinge cõparari possit: imo quidquid præstans vnquam fecerunt, ad Aegyptiorũ imitationẽ id peregisse; sed & Sphingũ effigies, quæ nũc in Capitolio cernuntur, ex Aegypto delatæ sunt, idq́ post Plinij tẽpora: nam ne vnicã quidẽ notã obtinẽt eorũ quæ Plinius Sphingi tribuit, neq. vlla illarum vbera vel alas habet: quæcunq. etenim alas gestare videntur, Chimerarum & Harpyiarum sunt picturæ (de quibus in libro de auibus) nequaquam autem Sphingum. Romanorum statuas, veterum Ægyptiacarum comparatione, veteres nuncupare indecorum existimaremus: nam inter reliqua vetustatis monumenta quæ Romæ conspiciuntur, nihil vetustius conspicimus, quàm quod ex Aegypti regione translatũ est. Nunc superest vt dicamus vnde hæc Sphinx suã originẽ apud Aegyptios habeat. Sole in Leonis & Virginis signis existẽte, Nilus Aegypti regionẽ irrigat: itaque Aegyptij suas opes significare volentes, monstrum sculptura expresserunt, anteriore parte virginis formam, posteriore leonis referens, Sphingemq́ue appellarunt: & quoniam pro hominis arbitrio sculptæ sunt, ideò earum forma adeò est varia. Certissimum autem est, ingentem hanc capitis molem, sepulchrum fuisse, vti & Pyramides & Obelisci: nam Plinius ait, Amasim Regem

putant

putant in ea conditum. Quoniam porrò funus conditum id est quod falsò Mumiam vocamus, eius conficiendi rationem hic demonstrare volumus.

De hoc ingenti Colosso consule ipsius Bellonij libellum De admirabili operum antiquorum & rerum suspiciendarum præstantia. Sed an Sphinx & Satyrorum genus apud Plinium lib. 10 cap. 72 nostræ Simiæ & Cercopitechi sint? quos cibum in thesauros maxillarum condere ait.

CAP. XLVII.

De Mumia, & veteri condiendorum & sepeliendorum corporum in Aegypto ratione.

ÆGYPTII *mortuorum resurrectionem sperantes, corpora humana ab elementis aere, terra, aqua, vel igne absumi, flagitium esse cēsebant. Nam, vti retulimus, Zoroastes Philosophus eos docuerat ignem animatam quandam belluam esse, quæ omnia deuoret; & iam deuorando saturam vnà cum ipsa re deuorata emori. Eam ob causam corpora in Aegypto cremari vetuit, pro aliarum nationum consuetudine, neque humari, sed condiri, vt à vermibus præseruarentur. Pomponius itē Mela de conditis Aegyptiorum corporibus agens, Medicata funera Latinè ea appellat, Plinius seruata corpora. Ea etenim ad æternitatem ita condiebant, vt adhuc incorrupta maneant, atque in æternum sint duratura. Corporum autem condiendorum apud Aegyptios ratio varia fuit: nam qui maiores sumptus impendere potuit, accuratiùs condiebatur, atque ei splendidior sepultura curabatur: nemo tamen moriebatur, cuius funus quocunque tandem modo non condiretur. Ea corpora seruata, nos Mumiam appellamus: Arabes tamen Auctores Mumiam describentes, medicamentū illud intelligebant à Græcis Pissasphalthon nuncupatum, cuius priore libro meminimus. Corporum in Aegypto conditorum, hoc est, nostræ Mumiæ vsus tantus est in Gallia, vt Rex Franciscus, litterarum restitutor, nusquam proficisceretur, quin penui eius præfecti semper cum Rhabarbaro illud in pyxide deferrēt, at-*

que etiam ipsemet gestare solitus esset. Qui, vt sua mendacia de hac Mumia stabilirent, arenosum mare finxerunt, quod ventis agitatũ, eorũ qui per Libyæ aut Arabiæ solitudines iter faciũt, corpora absorbeat, multis imposuerũt: nãlicet nonnulli in his arenis pereant, cũ tamen putredini obnoxij sint, non possunt eorum corpora non putrescere. Qui Tabulas topographicas fecerũt, & loca vnde Mumia sumeretur adscripserunt, quàm iudicio carerent, & istarum rerum ignari essent, apertè declararunt. Eos autem minimè veraces esse, ex Theophrasto, Dioscoride, Galeno, Herodoto, Hippocrate, Diodoro, Strabone, & Plinio demonstrare volumus: qui de Aegypto agentes, expresè scripserunt corpora istic conseruari medicamento cedria: quorum, cùm in Cairo essemus, tria delata sunt, in iam dictis sepulchris recèns inuenta. Nos in plurima sepulchra ingressi sumus, quorum alia concamerata sunt, alia in cubiculi formam exstructa; eorum enim infinitus per arenosa illa loca inter Pyramides numerus est. Mustarum apud Pyramides tam magna est frequentia, vt aër illarum murmure (dum nobis transeuntibus auolarent) resonaret. Istic Tithymalum platiphyllon obseruauimus. Prandium autẽ sumpturi ad Nili ripam sub Pyramidibus descendimus: eò enim illati fuerant cibi, eodemq; quo veneramus itinere regressi sumus. Cùm ad Nili alueum peruenissemus, istic nobiles quosdam Arabes sub tentoriis inuenimus, qui Dominum de Fumet expresè exspectabãt, vt illi gratificarentur; quique prandium illi apparauerãt. Quoniam verò binos fidicines habebant, qui fidibus ludentes simul accinebant; ea harmonia delectati sumus, eámque hoc loco describere voluimus.

CAP.

CAP. XLVIII.

De Lyra Aegyptiorum.

ÆGYPTIORVM *Lyræ siue Violæ vulgo dictæ, singulis, aut ad summum binis fidibus sunt præditæ, quæ ex singularibus equinæ caudæ pilis constant non contortis: sic vt Lyræ tum plectri fides similes sint. Ceruix oblonga est, itaque diuaricatis admodum digitis tactus sunt faciendi. Magas siue pōticulus huius Lyræ, vel eorum testudinis, non sustinetur à Chely lignea, siue assere, vt in nostris, sed à piscis in Nilo capti pelle, qui Glanis nominatur, sub ligno adglutinata. Ipsa concaua testa, pyxidis planæ in morem formata est, quam oblongo ferro ex ipsa prominente humique innixo sustinent: etenim eam humero nō applicant. Simul accinebant voce pari siue consonante, quæ delectationem adferebat: nam rhythmici erant numeri quos canebant. Eodem die Cairum peruenimus, vbi multo tempore hæsimus. Mercatores qui istic officinas instructas habent, è variis nationibus sunt, veluti Iudæi, Turcæ, Græci, & Arabes. Sed Iudæi maiore ex parte Hispanica, Italica, Turcica, Græca & Arabica lingua vtuntur.*

CAP. XLIX.

De Gyraffa, quam Arabes Zurnapa, Græci & Latini Camelopardalin nominant.

AB *omni vetustate Satrapæ & Principes viri beluas exterarum regionū sibi dono mitti delectati sunt. Huiusmodi plurimas in Cairo vidimus vndique eò aductas: inter quas erat quam vulgo* Zurnapa *vocant, veteres Latini Camelopardalin appellarūt, nomine à Pardo & Camelo desumpto: Pardi enim variis maculis infecta est, oblongúmque instar Cameli habet collū. Elegans est animal, & mitis admodum præ reliquis feris naturæ, ferè vti ouis, Ceruinum fermè caput habet, excepta magnitudine, exiguis obtusisque cornibus præditum, sex digitos longis, & pilosis: longiora marem à femina distinguunt:*

alioqui vterque sexus magnas aures habet, Bubulis ferè pares, bubulamque linguam & nigram, dentibus molaribus, in superiore mandibula carens: collum oblongum, rectum, & gracile, iubam tenuẽ in & orbem inflexã, gracilia crura, anteriora oblonga, posteriora autem adeò breuia habens, vt quodammodo erecta stare videatur: Bubulis pedes similes habet: cauda ad poplites promissa, orbiculata, pilis obsita, equinis triplo crassioribus: medio corpore graculi: moribusq; Camelo perquam similibus. Cùm currit, anteriores pedes simul glomerat: prona iacet, collumq; in pectore & femoribus habet, Cameli instar. Stans gramen depasci nequit, nisi admodum diuariçatis



anterioribus cruribus, nec id sine summa difficultate. Itaque credendum est, eam in solitudinibus vesci duntaxat arborum foliis, cùm oblongum adeò habeat collum, vt capite ad dimidiæ lãceæ siue sariſſæ Germanicæ altitudinem pertingere queat. Cùm autem eius iconem ad viuũ expressam nacti simus, illam hic exhibere libuit.

* Camelopardalis meminit etiã Strabo lib. 16. in hæc verba: Camelopardalis nullam cum Pardali similitudinem habet: coloris enim varietate

se Hinnulo similima est, virgatis pilis distincto: posteriora etiam humiliora sunt anterioribus, vt à cauda sedere videatur ad Bouis altitudinem. Anteriora verò crura Cameli cruribus nõ sunt humiliora: collum rectum est, & in altum exurgit, verticem paulo sublimiorem Camelo habet, propter quam partium inconcinnitatem (ἀσυμμετρίαν) nec tantam celeritatem habere puto, quantam dixit Artemidorus, insuperabilem affirmans. At nec fera quidem est, sed pecus; nullam enim feritatem præ se fert. Meminit & Plinius lib. 8. cap. 18.

CAP. L.

De eleganti exiguóque Africano Boue, quem veteres Græci Bubalum appellarunt.

SVMMA *voluptas est homini studioso, & rerum antiquarum scrutatori, si in peregrinum aliquod & rarum animal incidit, vt illud veteri nomine exprimere norit: nam qui describere aliquam rem adgreditur non expressa propria appellatione, næ is operã ludere videtur. Itaq. cùm exiguum Africanum Bouem primùm conspiceremus quadrato & bene habito corpore & expolito; subitò nobis suspicio incidit, id animal esse quod veteres Græci Bubalon nuncuparunt: animaduertendum tamen est ne vocabulorum affinitas nobis imponat, nec pro hoc animali vulgarem Buffalum intelligamus. Nos porrò in eo omnes Bubali notas reperimus: sed & ex Asamia in Cairum deuectus fuerat, licet in Africa etiam inueniantur. Iam ætate grãdis erat, corpore minor Ceruo, sed habitiore & maiore quàm caprea, tam quadrato & bene formato corpore, vt oculis gratus esset eius aspectus: nam eius pilus flauus, adeò splendens & læuis erat, vt expolitus videretur. Aluum magis rufum ad flauum colorem tendentem habet quàm dorsum, quod ad fuscum accedit: Bubuli pedes, breuiaq; & firma sunt illi crura: collum crassum & breue, exiguis præditum palearibus: Caput Bubulo simile, cuius vertici insidet cornua nigra, & admodum incurua, vt Gazellæ, lunaq; crescentis in modum inflexa, quibus haud multum se tueri potest, cùm in seipsa sint recurua: Bubulis auribus præditus est, armos subleuatos*

natos & plenos habet : caudam vt in Camelopardali, vsque ad poplites promissam, nigris pilis fultam, duplo quàm equini crassioribus: Bouis mugitum habet, sed non adeò sonorum. Breuiter, si quis imaginetur se conspicere pusillum Bouem, quadrato corpore, pilo fuluo & splendente, cornibúsq. lunatis, surrectis, & in se recuruis, Bubali ideam habebit. Quoniam autem Bubalum eũ nuncupauimus, nomine Buffalo vulgariter adaptato, ingenuè fatemur vetustam Buffali appellationem nos ignorare: nam licet in Gallia nullos habeamus, adeò tamẽ frequentes sunt per Italiam, Græciam, & Asiam, vt nullum animal frequentius conspiciatur. Itaque mirum videretur, si Aristoteles, qui in animalium perquisitione septies centena quinquaginta coronatorum millia, expensas faciente Alexandro, insumsit, illius non meminisset. Non negamus eum Bubali pluribus locis meminisse, & concedimus Buffalum intelligere voluisse : sed reliqui Auctores nos in dubium rapiunt, an pusillum istum Bouem de quo egimus, intelligere non voluerit. Nam Plinius ait: Insignia tamen Boum ferorum genera, Bubalos, Bisontes excel-



excellentique & vi & velocitate Uros, quibus imperitum vulgus Bubalorum nomen imponit, cùm id gignat Africa, Vituli potiùs Ceruive quadã similitudine. Solinus eadem dicit. Omnes autem notæ quas Plinius suo Bubalo tribuit, huic pusillo quem descripsimus Boui conueniunt. Itaque facilè asserimus, Plinium & Solinum per Bubalum minimè Buffalum intellexisse. Quoniam autem Bubalum in Cairo ad viuum exprimi curauimus, eius iconem Lectoris oculis subiicere voluimus.

CAP. LI.

De alio Cerui genere Damæ simili, olim Axis nuncupato: & de Gazella, quæ veteribus Orix dicta fuit.

ADERAT etiam vtriusque sexus Cerui vel Damæ quoddam genus in illius arcis area, quod agnoscere nequiuimus, sed suspicione ducti, Axin esse arbitramur, de qua Plin. lib. 8. cap. 20. in hæc verba scripsit: In India & Boues solidis vngulis, vnicornes: & ferã nomine Axin, Hinnuli pelle, pluribus candidioribúsq. maculis; sacram Libero patri, Vterque cornibus carebat, caudámq. Damæ instar longam, ad poplites vsque propendentem habebat, quæ Ceruum non esse arguebat. Et sanè cùm initio videremus, Damas esse existimauimus: sed diligentiùs deinde considerantes, & Damæ notas non ignorantes, opinionem mutauimus. Femina mare minor est: atq. vtriusque corium orbicularibus maculis albis rutilum ad flauum tendentem colorem distinguentibus asperſum erat, & sub ventre albo colore insigne: in hoc à Camelopardali differunt, quod in Camelopardali phœniceæ maculæ satis amplæ album colorem distinguunt, non autẽ rutilum, vt in hoc animali Axi. Vocem magis argutam habent, & aëream quàm Ceruus; mugiẽtes etenim audiui. Permultis igitur manifestis notis, eas feras neque ceruos esse, neq. Damas, nobis occurrentibus, facilè inducti fuimus vt illas Axis nomine vocaremus. Aderant etiam cicures

Gazellæ

Gazellæ è siluestribus locis eò deductæ, quæ omninò Capreæ similes sunt, corpore & colore Rupicapras referentes, anterioribus pedibus breuioribus, posterioribus longioribus, Leporis modo: nigram lineam supra oculos ductam habent vt Rupicapra: atque Capellæ instar balant: at barba carent. Pilus rutilus est, ad pallidum tendens, lauis & splendens: pectus & nates albescunt, vt in Dama: cauda subtus candicat, atque superiore parte fusca est, ad poplitum vsque suffragines propendens, vt in Dama. Gazella multò leuiore cursu mõtes conscendit, quàm in valles descendit, atque in plano satis veloci impetu fertur. Aures arrigit vt Ceruus, graciliáque crura habet & bisulcos pedes: collum oblongum & gracile vti Rupicapra. Maris cornua maiora sunt quàm feminarum, quæ omninò recta essent, nisi circa summum nonnihil incuruarentur, longioráque quàm Rupricapræ, & lunæ crescentis in modum inflexa. Cicurari debent: nam alioqui loca campestria, sterilia, & sicca inhabitant.

CAP. LII.

De gesticulationibus quæ in Cairo fiunt: atque de Simiæ genere Callitriches nuncupato.

ARABES *multas gesticulationes in Cairo faciunt, quæ Constantinopoli non conspiciuntur: petauristæ verò gesticulando tympanum digitis pulsant, vocemque ad tympani strepitum pro arbitrio accommodant: tympanum enim ab altera duntaxat parte membrana clausum est, atque ipsum lignum sex digitorum latitudine, multa ænea fragmenta appensa habet quæ sonitum simul edunt: sinistra autem tympanum tenentes, dextra digitis complodunt. Varias gesticulationes multa animalia imitari magna facilitate edocent, atque inter reliqua, capras ipsas ephippium gestare, subsultaréque, & calcibus ferire equorum instar docent, quibus deinde simias sessores imponunt. Asinos item concidere, humi sese volutare, atque*

que mortuos se simulare docent, Simias quæ in illos insiliunt, se petere fingentes. Atque, quod rarum est, Cercopithecos similiter instructos habent, cùm tamen animal admodum inconstans sit. Magnas præterea Simias illas quas veteres Cynocephalos appellarunt, adeò instructas habent, vt in orbem singulos spectatores adeant, manúque protensa vt in illam nummi reponantur innuunt, quos deinde suo hero perferre norunt. Hac ratione varij generis Simias instituunt: inter quas nonnullæ à nostris differunt. Ex harum numero est quæ Plinio ob pilorum venustatem Callitriches nominatur. Rutilat vt aureæ pensa, & è Cercopithecorum genere est, quod Aristoteli Cepus dictus fuit: nam oblongam caudam habet vt Cercopithecus.

CAP. LIII.

De apparatu qui ab his qui Cairo Mecham proficiscí volunt, fieri solet.

QVONIAM *singulis annis Caravanna ex Cairo Mecham iter conficit, plurimi Turcæ Cairum conueniunt, vt sese comites addant huic profectioni, quam religionis causa in Mahometi gratiã, tametsi istic sepultus non sit, suscipiunt. Cùm verò per ingentes solitudines, in quibus neque oppida neque ædificia inueniuntur, iter faciendum sit: res ad integram profectionem necessarias comparare solent. atque inter reliquas cicer non elixum sed in sartagine tostum. Multæ sunt in Cairo officinæ, quæ ciceris tosti quæstu se sustentant: magna etenim copia illud vendunt, cùm nemo sit qui non emat, quantũ illi in totam profectionem sufficiat. Turcæ Mecham proficiscentes, simul duo itinera absoluunt: alterum in Almedina, vbi Mahometi cadauer reconditum est, alterum in Mecham negociandi causa. Nam inde magnam vim Aromatum & aliarum mercium referunt: Mecha autem ea est quam veteres Petram nominarunt, de qua plura libro tertio.*

CAP.

CAP. LIIII.

Profectionis noſtræ ex Cairo in montem Sinai deſcriptio: & de ſingulari carnis præparandæ ratione his qui longinquam profectionem ſuſcipiunt.

NECESSARIIS *omnibus rebus ad longam illam è Cairo in Montem Sinai profectionem comparatis, per eam portam egreſſi ſumus quæ ad Septentrionem vergit, atque Caruannam inuenimus, quæ non procul ab vrbe ſecundũ Moſcheã quandã conſtiterat, & donec omnes qui profecturi erãt aduenisſent, exſpectabat. Nam per Arabiam iter facere non eſt tutum, niſi magno comitatu. Dominus itaque de Fumet viginti Ianitzeros corporis cuſtodes habens, iuxta Nilum caſtra poſuit, vbi vaſa atque vtres fluminis aqua impleuimus, quæ nobis & noſtris equis in triduum ſufficeret: ſiquidem per ſolitudines nobis erat tranſeundum, in quibus nulli fontes, neque riui reperiuntur. Annonam inſuper habebamus, quæ nobis in profectionem & reditum ſufficeret: videlicet camelum biſcocto pane onuſtum in Domini de Fumet, eorúmq. qui illum comitabantur (qui plurimi erant) vſum. Camelum item carnibus onerauimus in ſequentem modum præparatis. Multi arietes iugulati & in fruſta ſecti elixantur; deinde abiectis oſſibus, in minuta fruſta extremi pollicis articuli magnitudine conciduntur; quæ cum cepis & pinguedine porrò ad totius aquei humoris abſumptionẽ elixata, ſale & aromatibus aſperguntur, & vaſculis reconduntur. Hæ carnes ſic paratæ diu conſeruari poſſunt: nam poſt etiam quindecim dies, addita cepa calefactæ, videntur illo ipſo die apparatæ, nobiſque in ſolitudinibus optimè ſapuerũt. Eo die ingentẽ perpeſſi ſumus æſtũ, quòd nulla aura ſpiraret. Noctẽ ſequentẽ ſub tentoriis ad Nili ripã fixis, duximus: atq. media nocte digreſſi, vt æſtũ effugeremus, per ſteriles arenas pedibus cedẽtes iter faciebamus, in quibus nihil aliud creſcit quàm Hyoſcyami nigri genus, ſed tanta abundantia, vt agri duntaxat illo*

vire-

virescerent. Huius semine Ægyptij oleum conficiunt, non modo ad lucernas, sed ad alia pleraque illis vtile. Postridie subortus est lenis ventus, qui totius diei æstum temperauit nobis ad Orientem tendentibus. In arenoso autem isto solo muris genus inuenimus quod iam dicti Hyoscyami semine solummodo victitat. Dorsum cinerei est coloris, candida aluus, satis oblongum corpus, prolixáque cauda, & mucronatum os: vt nobis facilè obseruare licuit; quoniam quocunque profecti fuimus, ferreum ligonem semper circumtulimus, quo effossa terra, & huno murem, & varij generis serpentes eduximus. Nos meridie sub tentoriis substitimus, vt cameli & equi nonnihil quiescerent: noctu autem eis aquã ex vtribus deprompta bibendã dedimus; Cameli antẽ nõ biberunt, quoniam triduo aut quatriduo integro sine potu persistere possunt. Qui prodiderũt Arabes per solitudines iter facientes camelis accinere solere, vt illos gradiẽtes excitẽt, verũ dixerunt: nã qui camelos agũt, illorũ passus obseruãtes, simúlque gradientes, cantũ ad ipsorũ passus accomodant. Istic vsque ad mediam noctem substitimus, quæ frigidiuscula fuit, ob aërem nebulosum & frigidum (nebulæ enim istic Septembri mense non minus humectant, quàm in Europa rores Maio) interdiu tamen vehementissimus est æstus. Deinde ad iter nos accinximus, vt frigidiuscula noctis aura frueremur, diu in tenebris iter facientes, donec iam diluculo ad Suez puteum peruenieremus, quod tribus castris siue stationibus factum est: prior enim à Cairo ad Nili ripam, fuit sub Palmarum arboribus, altera in ampla planicie, tertia ad puteum Suez. Omnibus enim istac iter facientibus constitutas mansiones, quas stationes appellauimus, sequi necesse est: distat autem hic puteus duntaxat sesquimilliari, hoc est, sesquihoræ spacio ob oppido Suez, & castello includitur, in quo toto die substitimus. Eius aqua salsa est, quam tamen viatores

&

& Sues incolæ potare coguntur, alterius penuria, nisi è Nilo importetur, licet in arce Sues ingẽs & elegans sit cisterna, quæ semel vel bis in anno aqua pluuia impletur: nam tametsi rarò istic pluat, ingẽtes tamẽ istic decidunt imbres. Putei aqua vt cameli & equi potent, duntaxat vsui est: nã viatores aliã in suũ vsum deferre solẽt. Perquirẽs in ea regione stirpes, atq. aliquantulũ per planiciẽ progressus, Ambrosiam, Senam, Hiericuntinã quam vocant rosam, Colocynthidem, Acaciam, Paliurum Agatochtis, à Theophrasto descriptũ, Genistæ peculiare genus, Rhamni duo genera, atque arborem à Græcis Cairi incolis Oenoplia dictã inueni. Istic viperam cepi atque binos Cerastas, marem & feminam, quorum anatonem fecimus, & sigillatim descripsimus, eorúmque exuuias tomento expleuimus. Licet porrò plura de hoc Ceraste cum aliis serpentibus egerimus, hic tamen etiam meminisse libet eum bina tubercula instar hordei granorum supra oculos habere, quæ bina minuta cornua videntur, quorum Aristoteles meminit, qui Colubros Thebanos eos nũcupauit. At quemadmodũ omnes auctores, alter alterius vestigia sequentes, in eundem errorem incidunt, in quem prior: sic Solinus Plinij verba sequutus hallucinatus est, cùm Ceraſten octonis cornibus esse præditum scripsit; etenim rem ita non se habere comperimus. Dentes viperinis similes, similique ordine dispositos habet. Haud ignari sumus magnam esse inter viperas differentiam, pro regionum in quibus viuunt, diuersitate: nam diligens cura quam in iis cognoscendis adhibuimus, effecit, vt in Anglia, Gallia, Italia, Græcia, Asia, & Aegypto obseruauerimus, corpore coloréque inter se differentes, etiam in variis Galliæ prouinciis. Viperam autem eam intelligimus quam Turonenses & Cenomanni Aspic nominant. Sed & in Aruernia inueniri, testes habemus. Nam cùm apud Fratrum minimorum Monasterium, ab Epi-

scopo

ſcopo Claremontano Dn. Guilelmo du Prat apud Beauregard exſtructum, eſſemus, Renatus des prez, Epiſcopi familiæ pharmacopœus, Cenomannus, Foletourte municeps, nuda manu vnam coram Epiſcopo eiúſque vniuerſa familia apprehendit, colubrum eſſe exiſtimans: at præmorſo ab ea illius pollice, totum brachiũ, illico inflammatum fuit cum eiuſmodi ſymptomatibus, vt toto octiduo de eius ſalute perquam exigua ſpes relinqueretur, poſtea tamen ſanitati reſtitutus eſt. Ceraſtes non minus quàm Vipera omnis & Salamandra, viuum animal parit. Quoniam verò Ariſtoteles vltimo cap. lib. 5. de Hiſtoria animalium de Vipera ſcribit in hunc modũ: Parit catulos obuolutos membranis, quæ tertia die rumpuntur. Euenit interdum, vt qui in vtero adhuc ſunt, abroſis membranis perrumpant: parit enim diebus ſingulis ſingulos, & plures quàm viginti. Id nos impulit vt admirãda Dei opera, viperas ſcilicet prægnantes, videre cuperemus. Attamen pace illius dixerim, ſine tumcis illos parere nobis viſa eſt. Quod propterea hîc adducere libuit, vt alij noſtra dubitatione admoniti, etiam obſeruent, & iſtam dubitationem nobis adimant.



Plurimas alias inſuper ſtirpes eo agro inuenimus quas neque veteri neque recenti nomine exprimere potuimus.

CAP. LV.

Altissimi in Arabia deserta putei descriptio.

PVTEVS *porrò cuius meminimus, vt ipsius formam describamus meretur: nam reuera admirabilis est. Magnis sumptibus exstructus olim fuit, cùm Sultanus Aegypto imperaret, vt vrbis Sues incolæ faciliorem aquationem haberent, vtque viatores istac transeuntes suis iumentis aquam potandam præbere possent. Aedificium est non admodum amplum, muris cinctum, & arcis instar quadrangulare, in quo machina est ad hauriendam ex puteo, qui altissimus est, aquam exstructa, cum rota, quæ à bobus circumagitur: supra rotam bini sunt funes simul colligati ad pedis distantiam, secundum quorum longitudinem multi vrcei adnexi sunt, qui, versata à bobus rota, aquam ex puteo educunt, atque in alueum sub rota collocatum effundunt, quæ deinde per canalem extra arcem in cisternam fluit: hæc arx aliquantulum munita est, vt homines cum suis iumentis tutiores esse queãt. Huius machinæ descriptio, sit tanquam typus omnium reliquarum quæ in Aegyptiis hortis sunt: nam ad huius exemplar omnes ferè fabricatæ.*

CAP. LVI.

De Stirpibus quæ arenosis circa Sues locis nascuntur.

CVM *apud eum puteum toto, vt diximus, die substitissemus, diu ante intempestam noctem discessimus, nec vrbem ingredi voluimus, nisi in reditu. Lucescente die, ad Arabici sinus littus peruenimus, Sues ad quartam milliaris partem post nos relicta: atque per sterilem solitudinẽ itinere facto, vbi nullæ stirpes nascebantur præter Acaciam, cuius gummi diligenter ab Arabibus colligitur, idq. est quo in Europa in atramento & coloribus conficiendis vtuntur; licet recentiorum nonnulli aliter existiment. Demonstrabimus tamen in libro de Arboribus perpetuò virentibus, id esse quod veteres* Gummi Arabicum *nuncuparunt. Eius fõlia adeò tenuia sunt, vt eorum*



rum ala pollice contegi queat; quæ si numerentur, trecenta & quinquaginta reperies. Incolæ eius ramos lõgis perticis flagellant, vt folia decutiãt à pecore deuoranda. Eius iconem ad viuum expressam hîc adposuimus.

Superato Sues, latam planiciem ingressi sumus Sena virente obsitam, quæ istic sponte nascitur, qualis ad nos à mercatoribus adfertur. Sena autem quæ in officinis venalis est, duorum est generum, vt ex eius delectu appareat: altera enim planas habet siliquas, falcis in modum incuruas, foliáque mucronata: altera etiam planas habet siliquas, vt prior, at multo latiores, & minus incuruas, foliáq. obtuso mucrone prædita. Prior præfertur, atq. Orientalis cognominatur: altera quã mediam vocant, nõ est adeò efficax. Regiones vnde deuehũtur, hanc differentiam pariunt. Rerum sibi similium affinitas facit vt errores nonnunquam committantur, quemadmodum in Sena & Colutea nostris hortis vulgari accidit. Plurimi Senæ genus esse affirmarunt: attamen falluntur; nam nullas facultates cum Sena (quæ perpetuò viret) communes habet.

CAP. LVII.

De duodecim amaris fontibus Mosis, quorum Plinius meminit.

LICET *satis maturè ad duodecim fontes peruenissemus, istic tamen substitimus. Horum aqua admodum salsa est & amara, feruntque duodecim fontes illos esse, quorum in Bibliis fit mentio: etenim Mosis fontes adhuc nominantur: Solo sterili, arenoso nitroso q, in amplissima planicie siti sunt, quinquaginta passibus forsitan inter se distantes, non quòd omnium æqualis sit distantia, sed vnius centum, alterius quinquaginta, reliquorum plus vel minus. Omnes è terra scaturiunt ad tumuli vel colliculi radices, atque in varios riuos sese diffundunt, fontium perennium instar, qui paulo post in arena se condunt & euanescunt. Æstus tantam sitim nobis conciliauerat,*

uerat, vt salsam illam aquam singuli bibere cogeremur: quæ licet ob nitrum amara esset, ab omnibus tamen ob summam sitim grati saporis fuit reperta.

CAP. LVIII.

De Rubri maris siue Sinus Arabici canali.

ARABICVS *sinus ad oppidum Sues desinit, vbi statio est triremium Turcicarum, quæ in continentem hieme pertrahuntur, quoniam portus ille à ventis malè tidus est. Hoc mare, canalis siue sinus duntaxat est, haud latior Sequana inter Haure-fleur, & Honde-fleur, qui sine difficultate & periculo nauigari nõ potest, ob scopulorũ frequentiã. Nonnulli huius maris aquã, solúmve aut arenam rubere existimant: sed falluntur. Eius canalis à Septentrione versus meridiẽ vergit, atque à Sues ortum habens, per triginta fere milliaria recta linea extenditur, sed paulo infra duodecim fontes, nonnihil ad occasum sese conuertit. Planicies in qua versabamur, fere æqualem cum Sinus Arabici littore altitudinẽ habebat: at ab altera parte celsissimi montes & rupes ipsum cingunt. Fontes à mari gemino balistæ iactu duntaxat absunt, à montibus verò quos ad sinistram conspiciebamus, integro circiter miliari. Postquam æstus maris recessisset, varia minutorum piscicul orum genera obseruauimus, tum etiam conchiliorũ & aliorũ excrementorũ marinorũ, & in his erinacei marini quintum genus nusquam alibi nobis conspectum, licet iam alia quatuor inter se differentia obseruassemus. Omnes conchæ in ingentẽ magnitudinẽ excrescũt, vel climatis vel tẽperati aëris, vel alimenti ratione.*

CAP. LIX.

De Rhamni frutice ad sinus Arabici littus nascente.

SECVNDVM *littus eius maris, fruticem inuenimus Rhamno alteri simile, foliis crassis admodum salsis & candicantibus, rami spinis horrent, sed obtusioribus, vt in Europæo rhãno. Origũ etiã vestigia obseruauimus, cordis figura in arenis impressa, æquabilis etenim est arena Ex*

proximis montibus descendunt, vt ex dictis fontibus bibant & Rhamni folia depascantur. Plinius de his fontibus Lib. 6. cap 29. *abũde meminit, & Fontes amaros vocat, vbi ait Ptolemæũ fossã duxisse latitudine pedũ centũ, altitudine triginta, in longitudinẽ triginta septẽ milliũ & quingentorũ passuũ vsq. ad fontes amaros. Vltrà deterruit inundationis metus, excelsiore tribus cubitis Rubro mari cõperto quàm terra Aegypti, vel ne immisso mari corrũperetur aqua Nili, quæ sola potũ præbet. Nos istic quartã à Cairo stationem, & à Nilo tertiam habuimus. Impletis istic vtribus, progressi sumus per saxosa & arida loca, nullisq; fruticibus prædita, exceptis quibusdam genistis. Summus toto illo die nos vssit calor: nam Borealis, qui superioribus diebus nos recreauerat, ventus planè desierat. Et licet aqua quam è fontibus hauseramus, salsa, fœtida, & solis ardore quodammodo feruida esset, vix tamen ad exstinguendam in itinere sitim sufficit: quòd sic calida hausta, sitim potius augeret quàm sedaret.*

CAP. LX.

De multis Arabiæ arboribus, deque laniferis, & Chamæleonibus.

NOs *istic Chamæleones inuenimus multis notis ab Ægyptiis differentes: minores enim sunt, colorisq; planè diuersi, videlicet albi, cui ruber admixtus sit: licet autem vtrumque genus libro de Serpentibus describemus: eius tamẽ iconem hoc loco exhibere libuit, vt eius forma agnoscatur, tum etiam quòd antè sæpiùs eius meminimus.*

Origum greges per agros pascentes & currentes vidimus. Circiter autem meridiem substitimus, vt iumenta quiescerent; & sub tentoriis ob summum calorem delituimus. Noctu denuò iumentis oneratis discessimus, vt nocturno frigore frueremur; tum colles & tumulos inuenire cepimus; atque ad exiguum fontem progressi, quintam stationem habuimus; comparata istic viua animalia, quæ hinc inde à pastoribus quibusdam agebantur, macta-



mactauimus, atque exstructo igne è Tamaricis, arboris q. laniferæ, & Acaciæ Oenopliæque lignis, eorũ carnes decoximus. Per istos colles oberrantes, Cappares inuenimus, quæ in pumilarum ficuum altitudinem excreuerant, adeò vt nobis conscendendæ fuerint ad earum fructus colligendos, qui gallinaceũ ouum magnitudine æquãt, & semina intus continẽt: ipsæ Cappares iuglandibus magnitudine non cedunt, & cũ suo semine piperis instar calidæ sunt. Vt verò Insubres album sinapi in vinum vernachiam iniiciunt, ne feruеat, sed diutiùs dulce permaneat: sic Arabes istarum Capparum semina in sua vina immittere solent, vt dulcia ea conseruent, quemadmodum etiam Auicenna annotauit. Herodotus primus meminit istius arboris lanigeræ: quem sequuti sunt Theophrastus, Plinius, & plerique alij. Ex earum arborũ albo est, quæ perpetua fronde virent. Eius lana bombycinis staminibus tenuior est, ex qua Arabes elegantes pannos texunt, longè tenuiores sericeis, & ex gossipio confectis candidiores. Quod facilè colligere licet ex eius fructu quem retulimus lana plenum. Per montana deinde, stirpibúsque carentia & steriliora loca iter fecimus, quàm solitudines quas superauerамus: atque à mari digressi, tentoria fiximus eo vespere in quadam planicie Amphitheatrum quoddam ementiente: nam vndique montibus

cingitur, vnico excepto loco. Istic fuit sexta nostra mansio. Refectis quiete corporibus, & temperato calore, per reliquam diei partem cum subsequente nocte iter fecimus, atque sub diluculum denuo ad mare peruenimus: nam vbi digressi eramus, in arcũ se quodammodo incuruabat. Ad trium ferè sagittarum iactum per aquam secundum littus gradiendum nobis fuit; deinde eo relicto, in magnas angustias concedendum inter arenosos montes, in quibus etiam lanigeras arbores & Cappares arborescentes inuenimus. Superatis iis montibus, in planiciem peruenimus, in qua magnos Origum greges vidimus, tã procul ab aquis viuentes, vt occasionem nacti simus affirmandi ipsas non bibere; vel si bibãt, rarius id facere: quod difficile creditu non est, & veteres etiam scriptum reliquerunt: huc adde pleraque alia animalia etiam sine potu viuere; imò Anglicanæ Oues nunquam bibũt, & Cerastes atque Viperæ inter reliqua serpentũ genera à potu abstinent. Quemadmodum Chamæleones sine alimento plus quàm integrum annum viuere queunt. Confecto magno itinere, & calore iam ingrauescente, eius vitãdi causa subsitimus: æstu autem mitigato, iumentisque illico oneratis, tota nocte iter fecimus, atque inter difficiles rupes ingressi sumus, quæ Arabiam Petream à deserta diuidunt.

CAP. LXI.

De primo pago quem in montem Sinai tendentes inuenimus.

IAM ipsa luce peruenieramus in apertum locum, dextra & sinistra celsis montibus obsitum, vbi riuum aquæ fontanæ dulcis limpidæque inuenimus, ex monte procul inde dissito delabentem. Ea prima aqua dulcis toto itinere à Cairo vsq. nobis obtigit. Insignis pagus ad huius loci ingressum ab Arabibus habitatus nomine Pharagon erat, licet terna aut quaterna ædificia exstructa dun-

taxat

taxat haberet: nam eius regionis pagi in ædium structura non consistunt, sed hominũ numero, qui sub palmarum arboribus habitant, aut sub rupibus: suas enim ædes subterraneas condunt, vt apud Turones & Lodunenses, atque multis aliis nostræ Galliæ locis secundum amnes. Ianissarus cornicem pyxide tormentaria istic deturbauit, quã Domino de Fumet obtulit. Pharagou locus nobis elegans visus est, eius regionis quam emensi eramus respectu: nam punicæ mali, palmæ, oleæ, ficus, pyri, & aliæ arbores fructiferæ egregiam præbẽt vmbram: atque is primus pagus fuit, excepto Sues, quem à nostro ex Cairo discessu inuenimus. Refectis corporibus huius aquæ dulcis potu, vtribusque ea expletis, atque necessariis rebus comparatis, vt gallinis, capris, veruecibus, atque pomis, pyris, granatis, vuisque recentibus, denuò iumenta onerauimus, atque nostrum iter prosequuti sumus. Eius regionis incolæ cùm istic raræ sint pluuiæ, alia, vt dixi, tecta non expetunt, quàm Palmarum ramos, earum truncis subnixos, quo se aliquantulum à Solis ardore tueantur: ideoq; fusci sunt coloris. Huius regionis asini, equi, cameli, veruecces, hœdi, boues, vaccæ, capræ, gallinæ, ceteráq. animalia, multo sunt minora quàm Ægyptiaca. In rupem deinde conscendimus, in qua Balani myrepsicæ arbores inter saxa prouenientes cõspiciebantur, Betulæ magnitudine, similibúsq. ramis: caudice etiam candido, vt procul intuentes, Betulam esse existimaremus. Pharagou incolæ, eius fructus diligenter legunt, è quibus multum olei exprimunt. Vt autem istam arborem obseruaremus, occasionem nobis præbuit eius semen cum suis siliquis trigonis, quod incola Arabs in aceruum congesserat apud pagum. In riuo autẽ similes plantas animaduertimus, quæ ad Europæ riuos nasci solent, vt Syssimbrium, Pulegium Conyzam, Anagallidem aquaticã, Cardaminen, & Scirpos. Aduerso riuo ascendentes, sub Palmarum siluis to-

tum illum diem per continuas valles iter faciendo insumsimus, parumper tamen subsistentes, nostrorum iumentorum recreandorum causa: inde porrò tota nocte equitantes, ad radices præaltorum montium Sinai, cùm illucesceret, peruenimus, isticque aliquantulum quieuimus: paulo pòst nostrum iter prosequentes, per difficilem ascensum nobis subeundum fuit, vt in summum montem Sinai perueniremus. Humana etenim arte gradus ex solido saxo parati sunt, & interdum in ipsa rupe excisi, quo faciliùs cameli atque alia animantia in montem traduci queant: rarò autem equi, quòd iter nimium sit difficile. Is ascensus per dimidium miliare durat. Cùm ad summum peruenissemus, plus quàm binis adhuc milliaribus nobis progrediendum fuit inter montes instar tumulorum rotundorũ hinc inde dispersos, & ab inuicem dissitos, alios aliis maiores. Tum demum à meridie ad monasterium peruenimus: cùm tamen summo diluculo montem conscendere incepissemus.

CAP. LXII.

De monte Sinai.

DE *Sinai monte agere volentibus, nihilq́; celebrius cùm istic sit ipso monasterio; operæpreciũ visum est, primùm significare, monachos qui istic habitãt, Christianos Maronitas esse, atque Græco ritu viuere: qui iamdudum de nostro aduentu præmoniti, nos, obuiam progressi, humaniter exceperunt. Eorum monasterium exstructum est vt ea quæ in monte Atho sunt, illi quod Agias Laura dicitur admodum simile. Templum humili loco structum est, quemadmodum & monasterium Iuero. Circiter sexaginta Caloieri Maronitæ vt plurimùm in eo monasterio versantur, quorum nonnulli Græci, alij Syri, alij Arabes sunt, omnes tamen Caloieri nomẽ retinentes, & Græco ritu viuentes. Perinde ac si monachi Germani, Itali & Hispa-*

Hispani Gallis essent permixti; qui licet diuersò vterentur sermone, eiusdem tamen professionis essent. Peregrini montem Sinai accedentes, in monasterio excipiũtur: nullum etenim aliud est diuersoriũ. In valle sitũest ad radices montis Oreb, magnámque habet aquarum commoditatem: nam riuus è monte delabens eò perfluit, cisternámque implet aqua limpida, frigida, dulci, atque omnibus dotibus prædita. Præaltis muris cingitur, vt etiam aduersus hostes qui impetum in illos facere velient, seseq; tueri queant. Istic & Moschea est pro Arabibus & Turcis, atque hospitiũ illis deputatum: nam Christianis montẽ accedere non licet, nisi comitantibus Turcis Arabibus. Per montis Sinai valles, amœnissimi conspiciuntur horti, in quibus vites & legumina colunt, tum etiam brassicas, lactucas, betas, cepas, allia, porrum, & similes vulgares herbas; arbores item fructiferas varij generis, præsertim verò Amygdalas.

CAP. LXIII.

Montis Oreb descriptio.

SVMTO *prandio in monasterio, remissóq. solis ardore, montem Oreb conscendere instituimus, itineris indicibus Caloieris, qui quæ singularia in hoc monte obseruanda essent, nos docerent, riuum qui in monasterium defluit, ducem sequuti. Ex Caloieris itineris indicibus vnus septuagenarius æquè agilis in ascensu erat atq. quispiam alius in vniuerso comitatu: magnum sanè bonæ valetudinis indicium in huius montis incolis: omnes enim eramus pedites. Montem conscendentibus Oriens obiectus erat: paulo altiùs progressi, sub montis Oreb vertice vallem inuenimus, in qua templum exstructum loco quo Helias commoratus esse dicitur: altiùs porrò, gradus lapide solido excisos, atque portam quæ olim ad graduum initium claudi solebat, vt id latus seiungeret; vt qui præsidium*

sidium istic collocare velit, descensu ex monte in eum locum facilè arceat. Ad summum montis Oreb verticem perducti, aliud templum inuenimus: fuit autem iste mons habitatus ob fontis commoditatem, minimè verò mons Sinai, qui aridus est. Diodorus de Iudæorum regione agēs, huius montis meminit, Abbatæorum regionem appellans. Scribit enim saxum istic esse munitissimum, quod à paucis defendi queat, quoniam vnicus est & perdifficilis aditus. Hunc locum velle illum intelligere nobis videtur: nullus etenim alius tota ea regione reperitur, cui hæ notæ conuenire possint quàm monti Oreb. Itineris Iudices sigillatim nobis sacra loca demonstrabant, præsertim autem ea quorum in Bibliis fit mentio. Plurimorum Gallorum nomina sacelli montis Oreb muris inscripta legimus, qui se istuc peruenisse hac ratione testari voluerunt. Descendentes porrò, magnam cisternam inter binas rupes exstructam vidimus, non procul à sacello iam dicto, & Agiasma nuncupato, in qua pluuia aqua adseruatur, de qua bibimus: nam vnus ex indicibus de industria lebetē cum fune ad aquā hauriendā detulerat. Montē conscendimus quà ad Orientem vergit, descendimus verò quà ad Occidentem spectat: ad cuius radices exiguū monasterium Saranda Pateres nuncupatum situm est, in quo ea nocte pernoctauimus.

CAP. LXIIII.

De alio monasterio ad radices montis Oreb sito: deque saxo, ex quo aqua effluxit filiis Israël.

HOC angustum monasterium ex altero dependens, templo præditum est, & à quadraginta Patribus nomen habet, in quo panem, vinum, & oliuas cōditas inuenimus. Istic sunt horti, varij generis fructibus exculti. Postridie inde discessimus, mōtem Sinai cōscensuri, qua ad Orientem vergit, nos autem ad Meridiem spectantes. Sinai mons, Oreb longè celsior est: quemadmodum autē Athos mons, Sole ad occasum tendente, insulam Lemnon inumbrat;

brat; sic mons Sinai, Sole Oriente, monti Oreb vmbram facit. Cùm ad montis verticẽ peruenisse mus, durissimum saxum esse deprehendimus ferrei coloris, quod tamẽ plantis non caret: nam Absinthũ seriphium, cuius semẽ Barbotina Gallis, vel contra vermes nuncupatur, frequens istic nascitur, Panax item Asclepiũ, Conyza, Eupatorium Arabum. vndiq. montibus cingitur, & celsitudine superat montem Oetam in Græcia, vel Idam in Creta: at nostra opinione Olympo Phrygiæ humilior est. Adeò tamen celsus est, vt cùm faciem ad Meridiem obuerteremus, facilè vtrumque littus sinus Arabici, aliter Mare rubrum nuncupati, conspiceremus, quod in Britannici arcus formam incuruari videbamus: montes præterea, in quibus situm est monasteriũ Diui Antonij aut D. Macarij in solitudinibus Aethiopiæ finitimis supra mare rubrum, vbi etiam habitant Caloieri Christiani, & Armenij, aliter Maronitæ nuncupati. Deinde ad Orientem nos obuertentes, quousque acies oculorum penetrare potuit, nil nisi montes & celsissimæ asperrimæq; rupes oculis nostris obiectæ erãt Arabiæ Petræ ad montem Sinai pertingentes. Inde porrò ad Septentrionem conuersi, & supra montem Oreb, qui sesquimiliari duntaxat inde abest, regionem frequentibus rupibus & montibus obsitam videbamus, ad Orientalem vsque plagam extensam, in qua Hierusalem, in montanis Monti Sinai cõtiguis sita. Cùm ad Occidentem spectabamus, nihil aliud oculis nostris se obiiciebat præter Arabiam desertam, sterilem & arenosam, quam, ex Cairo venientes, emensi eramus. Deinde inter Occidentem & Septentrionem nos obuertentes, sereno aëre, regionem in qua mare Mediterraneũ, quod quinque dierum itinere inde abest, discernere potuimus, non ipsum mare conspicere. Istic etiam fons est ex eodem montis latere scaturiens, qui in monasterium Quadraginta Patrum, Quarenta Padri, defluit, vallémque &

Caloie-

Nota in Pyramidum descriptione suprà cap 43. 2 passuũ est amplitudo fastigij.

Caloierorum hortos irrigat. Planicies in summo montis vertice non multo amplior est quàm maximæ Pyramidis fastigiũ, hoc est, quatuor passuũ: sed paulo inferiùs multo est amplior: neque eò peruenire potest sine summa difficultate, quoniam nulli istic adsunt gradus, & rupes est admodum præceps. Descendimus deinde in monasterium Quarenta-Padri dictum, vbi cana sumta pernoctauimus: deinde ad D. Catharinæ monasterium, vnde pridie discesseramus, regressi sumus. Ostensa est nobis in itinere rupes vnde effluxit aqua quæ filiis Israël sitim sedauit, Mosè eam virga feriente: solidũ est saxũ, rectum, eiusdem qualitatis & coloris cum Thebaico lapide, ex quo cùm Obelisci sunt exstructi, tum Pompeij columna in Alexandria. Etenim variorum colorũ granulis distinctum est, vt Thebaicus lapis: hinc nata occasio, vt plurimi cogitarint lapidem esse arte humana conglutinatum & paratum: attamen falluntur; quandoquidem nullus lapis qui adeò ferro resistat vt iste. Cùm autem vicinus sit riuus qui ex summo montis Sinai vertice delabitur; nobis dubitationem mouit, eam rupem quam Moses feriisset, esse non posse, aut nullum istic tum temporis fuisse riuum: vel, quod omnium pace dictum volo, Caloieri rupem (vnde fontis scaturigo emanat) supra montem demonstrare potius debuerant.

CAP. LXV.

De locis sacris quæ in Monte Sinai sunt.

PRÆCEDENTIBVS *diebus per supremum montis Oreb verticem iter feceramus: at hoc die secundum radices eum circumiuimus, atque per eum locum transiuimus in quo filij Israël fusilem vitulum conflantes postea adorarunt. Huius monasterij atque aliarum solitudinum cùm D. Antonij, tum D. Macarij Caloieri nullum frumentum colligunt: at Patriarcha qui in Cai-*

ro

ro habitat, singulis annis illis id mittit, & Aegyptiaca legumina: oppidi Tor ad Rubri maris littus incolæ siccos etiam pisces, inter quos Salpas, Sargos, Sparos, & Cantharos exsiccatos obseruauimus. Reconditas item habent colymbades olivas & legumina. Pecus in vallibus alunt, non vt eius carnibus vescantur, sed vt venundent, & quæstum ex eius lana faciant, ad alenda sua mancipia: qui verò in vallibus habitant, vt lac excipiant & caseos conficiant: nam Caloieri Græci neque caseo, neque butyro, neque carnibus vescuntur. Vites colunt, & nonnulla legumina serunt: solum enim in vallibus situm cùm riguum sit & humidum, satis temperatum est. Nam præaltus licet sit hic mons, adeò tamen frigidus non est vt Europæ Alpes: neque adeo calidus vt Europæ plana & humilia. Adeò autem sterilia & arida sunt hæc montana, vt nihil istic coli possit, nisi paucula quædam in humidioribus locis. Ea nocte in D. Catharinæ monasterio quieuimus. Postridie demonstrata nobis est capsa in qua D. Catharinæ ossa adseruantur, quæ in templo pensilis est. Sacra Græco ritu celebrant, multisque elegantibus picturis & Diuorum reliquiis templum ornatum est. Turcæ qui montem Sinai accedunt, istic etiam Mesgedam habent, sed in Christianorum templo non comprehensam: etenim ipsi etiam religionis gratia eò proficiscuntur. Caloieri exteris cibum administrare solent tam Turcis quàm Christianis; sed vilem admodum & exigui precij: orizam quippe, frumentum, fabas, aut pisa decocta in lignea parapside in media area proponere solent, quam cochlearibus coronant, & modicum panis sine mantili addunt: singuli deinde eò aduenientes Arabum ritu se componunt, nempe vt pedibus extremis inflexis ipsorum calcaneis insideant. Hoc enim sedendi genus ab omnibus Arabibus

bibus vsurpatur. Turcæ verò aliter sedent, nempe more sartorum Gallorum. Ipse Schecarab qui D. de Fumet à Cairo huc vsque conduxerat, atque ipsius Nobiles eadē cum Arabibus ratione sederunt. Caloieri liquidam Mannam in suis montibus colligunt, quam Tereniabin, ad durioris & concretæ differentiam, nominant. Nam quæ Tereniabin ab Arabicis Auctoribus appellatur, fictilibus adseruatur vt mel, atque in Cairum venalis defertur: Hippocrates cedrium mel, reliqui Græci Libani rorem dixerunt. Quam in Gallia habemus ex Brianson delatam, atque in Laricibus collectam in summis montibus, dura est, atque à iam dicta differt. Cùm autem Manna duorum generum sit, vtrumque genus in Cairi officinis venale reperitur: vnū quod solidum est, Mannæ appellatione, aliud liquidum Tereniabin nomine: de quibus hoc loco nihil dicemus, cùm in libro de Arboribus perpetua fronde virentibus, satis superque de eis egerimus.

CAP. LXVI.

E' monte Sinai in Taurum iter.

IAM discessuros Caloieri nos baculis donarūt oblōgis, teretibus, lænigatis & satis grauibus, quos ex eadē arbore reuulsos aiebant, ex qua Mosis virga confecta erat, qua percusso saxo, aquam filius Israel elicuit. Videretur hæc arbor Acacia, nisi enodis esset. Nos, relicto quod emensi eramus itinere, id quod Taurū ducit, ingressi sumus, quod duorum duntaxat est dierum. Magnos Origum greges discurrētes per Sinai montes & rupes obseruauimus, quæ instar ouilium gregum multiplicātur, quod nemo eas venetur. Noctem in planicie duximus; postridie summo mane ad eum montem profecti sumus, qui vnico die superandus erat, inter Taurum & montem Sinai admodum difficilem. Omnes magna ex parte Absinthio Seriphio & Pontico, Ambrosia Arabum, Eupatorio, Papauere cornículato, Balani myrepsicæ arbore, atq. Genistæ Arabicæ

bicæ genere à noſtra diuerſa obſiti ſunt. Naſcuntur etiam in ſaxorum fiſſuris Cappares, plurimum ab his quæ in arbores adoleſcunt, & quæ in Græcia prouenunt, differentes. Monte tandem ſuperato, eius deſcenſum longè difficiliorem inuenimus: etenim cùm è celſo loco veniremus, aſcenſus non adeò arduus viſus eſt vti deſcenſus. Paululum in deſcenſu progreſſi, amœnum fontem reperimus, qui ſecundum noſtrum iter decurrebat, cuius riuum diu ſequuti ſumus. Acaciæ nonnullæ ſtirpes, & Heliotropij maioris, quod in fruticem trium cubitorum altitudinis excreſcit, ſeſe obtulerunt. Hyoſcyami præterea genus, in fruticem quodammodo aſſurgens, admodum odoratum & pingue. Conſpiciuntur etiã iſtic Colocynthides & Cucumeres ſilueſtres ab Aſiaticis & Europæis differentes. Paulo poſt meridiem, monte omninò ſupergreſſo, & amplam laxámque planiciem inter montem & ſinum Arabicum ſitã ingreſſi, quietis cauſã tentoria fiximus quatuor ferè à Tauro milliaribus. Paulo poſt mediam noctem inſtitutum iter proſequuti, ante diluculum in Taurum peruenimus. Colocynthides per hanc planiciem maxima abundantia ſponte naſcuntur.

CAP. LXVII.

De oppido & arce Tauro: tum de ſingularibus ad rubri maris littus obſeruatis.

TAVRVM perducti, tẽtoria extra oppidum quidem fiximus, at in oppidum ingreſſi ſumus: oppidum autem nuncupamus, licet tenuis duntaxat ſit pagus: ſed quia celebris eſt iſtac tranſitus, mariſq. Erythræi portus, oppidi appellationem obtinet: cumque regio ad inhabitandum ſit incommoda; magnum quidpiam eſt, talem pagum in adeò ſterili loco conſpicere. Dimidio à Tauro milliari, in planicie, quadraginta palmæ nobis oſtenſæ ſunt, quarum in Bibliis fit mentio: apud has ſunt aquæ calidæ, quarum ſcaturigo haud multo maior eſt exili fonte: harum riuus

aliquantulum decurrens, breui per arenas euaneſcit. Summa loci incommoditas in qua Taurus ſitus eſt, facit vt pauci ſint incolæ: nam lignis & aqua dulci carent, coguntúrque procul inde ea petere: ad hæc portus non admodum fidam ſtationem nauibus præbet, cùm omnibus ventis valde ſit expoſitus. Atque equidem haud propriè dicendus eſt portus, ſed marina potius plaga. Pagus editior e nonnihil loco ſitus eſt, quoniã intumeſcens interdum mare, totam planiciem inundat, & pagum ambit, cui contigua eſt arx, arenoſo loco ſita, exigua, quadrato lapide conſtructa, ſingularibus turriculis in quatuor angulis prædita, leuiter fabricatis, & foſſis aut aqua dulci carens: vicinum tamen habet puteum, cuius aqua ſalſa eſt, quæque alterius penuria bibi poſſit. Huius arcis latitudo intra muros ſexaginta duntaxat paſſuum, longitudo octoginta, quales celeriter gradiendo fieri ſolent: eam itaque eiuſdem longitudinis & latitudinis deprehendimus cum cœnaculo illo Palatij Lutetiani, Sala nuncupato. Magna Tauri pars à Iudæis incolitur & Chriſtianis Græcis, Arabibus, & Armenis. Templum etiam eſt Caloierorũ Maronitarum, quorum ſacra audiuimus, partim Arabica, partim Armeniaca, partim Græca lingua decantata: quæ dũ celebrãtur, ſedere nõ ſolent; at cũ longo tẽpore in tẽplo ſint, ſingulis ſcipiones prabere ſolẽt, quibus ſub alis impoſitis innitãtur. Magnus eſt iſtic ſiccatorũ piſciũ prouentus, quos, vbi capti ſunt, per aluum aperiunt, atque exenteratos ſaliunt & ſole reſiccant: eo etenim modo parati diu conſeruari poſſunt. Inter reliquos agnouimus Bars Gallorũ, quos Latini Lupos nominant, & vmbras, quas noſtri Maigres appellant, tum Cantharos, Gallis Brẽmes de mer dictos, & Synodontides. Capiunt etiã plurimos Sargos, Sparos & Auratas, Dorades Maſſiliẽſibus dictas, à Gallorũ Dorades differẽtes, quæ in Oceano capiuntur, quæque Faber Latinorum ſunt.

Salpæ

Salpæ istic longè maiores & frequentiores quàm in mediterraneo mari. Coralliy genus istic nascitur, Arabibus Chauem nomine cognitum, interiore parte concauum, numerosisq; tubulis præditum: quoniam verò elegans est, eóque abundant, eius fragmenta ad Mesgedarum & Carabaschara valuas appendere solent. Sunt verò ea fragmenta binorum cubitorum longitudine, coxæq; humanæ crassitie, colore partim albo, partim rubro. Lapidis etiam genus istic conspeximus, à veteribus Arabici cognomine insignitum: nec agnouissemus, nisi à Caloiero quopiam admoniti, qui eius globos nobis ostendit à D. Macariy phano, quod ab altera sinus Arabici parte, è Tauri regione est, à sese (vt asserebat) delatos: vbi non minor eius est copia quàm in aliis regionibus silicum. Orbicularis est, grauis, Pyriti similis, granis constans quadrangulis, Andro-adamantis instar. Taurus Carauannarũ est statio, quæ aromata ex Mecha & Arabia felici aduehunt. Scimus autem piper, gingiber, myristicas nuces, caryophyllos, laccam, sanguinem draconis, atque macin eò inuehi: etenim his omnibus Carauannã onerari conspeximus, quæ nobiscum inde discessit, in qua etiam viginti cameli solum onusti fuerũt his conchyliis rotundis, quibus claues in Europa appẽdi solent. At Cairi incolæ iis vtũtur ad leuigandam & expoliendam papyrũ, atq. telas coloribus permixto gũmi infectas, quibus amiciũtur, vt olim solebãt

CAP. LXVIII.

De nauibus & cymbis rubri maris.

CYMBÆ, *lintréque & alia nauigiorum genera miserorum & egenorum incolarum earum vrbium quæ ad mare rubrum & Taurum sitæ sunt, funibus è foliis palmæ contextis duntaxat consuta sunt. Quæ licet non adeò firmiter stipatæ sint, atq. si ferreis clauis cõiuncta forent, iis tamen se mari concredere non formidant: nam ligneis clauis ea adeo probè compingere, picéque stipare no-*

runt, vt tutò nauigare queant. Hallucinantur qui naues in quibuſdam regionibus ferreis clauis non compingi ob magnetis metum exiſtimant: nam licet magnes ferri ad ſe trahendi facultatem habeat; minimè tamen credendum eſt, eum tanta vi pollere, vt nauem ferreis clauis coniunctam, vel è longinquo pertrahere poſsit. Huiuſmodi verò naues fabricant incolæ, quòd magnis arboribus, quarum aſſeres ferreos clauos ferre queant, reliquáque materia neceſſaria deſtituantur, adcóque egeni ſint, vt aliunde comparare non poſsint: cúmque præterea naues ferro aut ære veterum more coniungere vſus apud eos iam deſierit, funibus cymbas conſuentes, leuibus expenſis eas conſtruunt. Huc accedit quòd magnis nauigiis opus non habent; exigua enim illis ſufficiunt cùm ad piſcationem, tum ad merces hinc inde per canalem, & æſtate per mare rubrũ tranſvehendas. Verum quidem eſt magnas onerarias naues, triremes, aliáque varij generis nauigia iſtic conſpici; ſed aliunde advecta. Vtut ſit, nauigatio in mari rubro periculoſa, ob ſcopulorum frequentiam. Ad Tauri littus oſtrei genus inuenimus Tridachna à Veteribus Græcis nuncupatum, nunc autem à vulgo Aganon vel Agano. Manus eſt Illyricis & Mediterraneis, differtq. ab his quæ à Lemni & Eubœa incolis Gaideropoda vel Acynopoda appellantur. Non minus iſtic in littore frequens eſt, quàm noſtrum in Oceano, eóque Caloieri veſcuntur. Generoſum iſtic vinum inuenimus (nam Chriſtiani Arabes, Armenij, Græciáque incolæ vineta colũt) eóque vtres & lagenas impleuimus. Aqua quam Tauri incolæ bibunt, dimidio inde miliari aduehenda eſt, eáque non admodum ſalubris: nam nitroſa & ſalſa eſt. Vicus eſt in eo pago, aliorum locorum per Aegyptum more contectus, ſub tectum enim incolæ concedunt, vt ab inſigni ſolis ardore ſeſe tueantur. Palmæ per planiciem naſcentes,

Vide Gattiam ab Orta.

tes, dactylos ferunt pingues, ruffos, molles, & admodum humidos, atque ab aliarum prouinciarum dactylis differentes. Eam ob causam incolæ in sportis è foliis Palmarum contextis eos reponunt & comprimunt caricarum more, massámque conficiunt, quæ longo tempore cõseruari potest, vt tamarindorum massa; isque est vulgaris & primarius incolarum cibus. Ingentes marinas testudines sapiunt, quarum integumentum siue corium non minus amplum est quàm ædificij alicuius ianua. Olim Christiani iis vesci non audebant, quoniam Patriarcha Alexandrinus omnes qui vescerentur, anathematis fulmine petiit: sed postea ab eo soluti, iis nunc vescuntur. E Tauro deinde discedẽtes, Cairum redituri, per planiciẽ iter fecimus, montem Sinai ad dextram relinquentes, & mare rubrum ad sinistram, ad Septentrionem verò tendentes. Polaris stella iuxta vrsam minorem adeò nobis humilis erat, vt vix quidpiam vrsæ appareret cùm sub horizontem mergeretur. Conspeximus in ea planicie elegantes hortos apud fontem parietibus ex luto palcato constantibus cinctos, ad quos nullus nisi per ianuas aditus patet: tum etiam lacerti quoddam exiguum genus, scincorum magnitudine per planiciem excurrẽs, Arabes Dhab *nominant. Conspecti sunt etiam nobis stelliones, quorum excrementa Arabes diligenter legunt, Græco nomine Crocodilea dicta, atque in Cairum venalia deferunt; vnde ad nos porrò aduehũtur. Inter steriles & calculosas arenas, exiguum animal inuenimus phalangio simile, octonis pedibus præditum, hoc est, vtrinque quaternis, quod equorum crura conscendens, eos mirum in modum diuexat: at camelorum ductores simulatque id animaduertunt, scopis ad eam rem paratis, ea illicò deturbant. Nonnihil à maris sinu deflectentes, ad fontem peruenimus, cuius aqua subdulcis quidem erat, sed nonnihil etiam salsa, qua adaquati sunt cameli. Istic substitimus, postridie an-*

te lucem secundùm maris littus iter fecimus: atque ob montis in mare prominentiam per aquam equitare necesse fuit. Deinde planiciem denuò ingredientes, ad pugnam nos comparauimus, ab Arabibus metuentes: eos enim prædæ causa adoriri nos velle intellexeramus. Viginti Ianizari, Secharab cum suis Arabibus, & qui Dn. de Fumet comitabantur, cum reliquis sese comparauerant ad latrones Arabes excipiendos, si aduenissent. Idcirco seruatis ordinibus iter diu fecimus, & ob eorum metum maturiùs castra fiximus. At licet eo die magnum iter cõfecissemus; vtribus aqua repletis, & camelis rursus oneratis per binas adhuc horas progressi sumus, donec tenebræ orirentur: tum in planicie substitimus & pernoctauimus. Postridie per molles & aridas arenas gradientes, sub noctem in humidum locum peruenimus, atq. istic inter montes quieuimus, vbi tamarix, genista, acacia, holoschœnos & cyperus rotundus nascebantur. Auiculas in tamarice hærentes conspiciens, diligenter obseruaui an aliquas agnoscere possem (mirũ enim videbatur, aues adeò sterili loco viuere) inter has, passeres, anthi & agithi à nobis fuerunt agniti. Vidimus etiã eodem die vultures & coruos præteruolantes.

CAP. LXIX.

Itineris à Tauro in Cairum dietim confecti supputatio.

EX eo loco digressi, in eandem viam rediimus, quam in montem Sinai proficiscentes reliqueramus, atque peruenimus vbi mare rubrum in planum littus se explicat. Secundo per aquam nobis gradiendum fuit camelorum ventre tenus. In littore lapidem inuenimus orbicularem, magnitudine & crassitie cum argenteo nummo quem Galli Testonem appellant, respondentem, quem numisma (ferrei etenim coloris erat) esse arbitrabamur, quòd

quòd Hebraicos quosdam characteres natura expressos haberet: is nobis in memoriam reuocauit alios quosdam lapides in Britannia etiam à nobis obseruatos, in quibus tribuli aquatici, Domini de Rohan insignia, erant expressi. Sub noctem dimidio milicri à fontibus amaris substitimus, eo enim propter iumentorum lassitudinem & noctem vicinam peruenire nequiuimus. Postridie ante lucem digressi, cùm ad fontes peruenissemus, vtres aqua impleuimus, & ad Sues defleximus, quò meridie venimus. Itinere igitur dietim, vt ex Tauro in Sues confecimus, supputato, quinque dierum cum semisse iter comperiemus, etiam properanter confectum. Huius sinus siue canalis aqua vel arena non rubent, vt plerique existimauêre: sed id nomen alia de causa ei est inditum. Nam Rex quidã, Græco nomine Erythra dictus, Ægypto imperans, huic mari appellationẽ dedit, eã ob causam Erythræum, hoc est, rubrum mare appellatum est. Aestus reciprocationem habet vt Oceanus: sinus enim solummodo est ex Oceano in continentem Arabiæ protensus, quem veteres Arabicum cognominarunt: at successores Erythræum dixerunt ab eo quem dixi Erythra, qui naues fabricandi artem inuenit: cùm antè ratibus duntaxat veherentur, vt solent nunc in Druentia, & aliis rapacibus fluminibus.

CAP. LXX.

De Portu Sues ad Maris rubri littus.

RECENTIORVM plerique Sues olim Arsinoe fuisse nuncupatũ volunt, quod verisimile videtur, quandoquidem primus rubri maris portus est, & Cairo vicimus. Alexandro è viuis sublato id nomen adeptum fuit: Ptolomæum enim Lagum, cùm Ægypto imperaret, filiam suam Arsinoën insignis formæ Lysimacho Macedoniæ Regi matrimonio collocasse legimus, in cuius honorem hanc vrbem Ptolomæus Philadelphus exstrui iussit, &

ipsius nomine illam appellauit. Magna istic est omnium rerum difficultas, eam ob causam à paucis incolitur: nulla etenim est aqua potabilis ad duo milliaria in circuitu. Istic duntaxat conspicitur exigua quædam arx, veteri more exstructa, infirma, in tumulo sita. Et licet Turcarum Imperator ingentes sumptus fecerit, vt magis excultum eum locum redderet, ne hilum tamen profecit: tanta enim omnium rerum, vti dixi, est difficultas, vt vix quisquam habitare queat. Circiter triginta vel quadraginta triremes istic conspeximus in sicco repositas, quas Turcarum Imperator Constantinopoli in Nilum vsque transuehi curauit, deinde aduerso Nilo Cairum pertrahi, atque ibi dissolutas, camelis & curribus in Sues deportari, atque denuò concinnari. Nauium statio illic male tuta est; quoniam plaga marina omnibus ferè ventis est exposita. Difficilis est in mari rubro, ob scopulorum, qui sub aqua latent, frequentiam, nauigatio: attamen omnis classis quæ à Turca aduersus Indos mittitur, in Sues instruitur. Atque cùm istic versaremur, incidimus in quadraginta vel quinquaginta camelos, Cairo illuc missos, qui aquam è puteo Sues hausta, coriaceis vtribus deferrent in triremium vsum, quas Bassa siue Pro-rex Ægyptiacus in Indiam ablegabat, vt oppidum nomine Zibit, quod paulo antè defecerat, denuò sub potestatem redigeret. Tametsi autem ea aqua salsa sit & amara, nautæ alterius dulcioris penuria eam bibunt. Cairum repetentes, medio inter Sues & puteum itinere, speculatores conspeximus, tabulatis quibusdam hinc inde sparsis insistentes, eorum more qui apud nos vineta, ne vuæ decerpantur, obseruant. Singulis tabulatis bini aut terni viri inerant, qui procul conspicerent an insidiatores aliquos obseruarent, & vrbis incolas admonerent, vt sibi cauerent: quod cum his conuenit quæ Plinius de Carthaginensium speculis (quibus vsi sunt dum Romani illis bellum infer-

inferrent) narrat, hinc inde per illius regionis plana, quæ veluti mare æqua sunt, & deserta vt apud Sues, collocatis. Ad puteum Sues cùm secundò peruenissemus, in multam noctem substitimus: deinde oneratis rursùs camelis, reliqua noctis parte, & sequenti die, sine intermissione iter continuauimus, donec serò admodum ad Nili ripam peruenirem us, eodémque loco pernoctauimus, in quo antè, dum montem Sinai peteremus, quieueramus. Hunc successum nostra habuit in eum montẽ profectio, quam vicesimo die absoluimus, reductis solùm tribus equis: nam reliqui sex vel septem in itinere perierant. Arabes fabis duntaxat & hordeo eos pascebãt, quemadmodum camelos, quorum etiam maxima pars periit. Hoc die camelorum dux, animaduersa procul in planicie vipera, proclamata & geminata viperæ suo idiomate appellatione, coniectis saxis, ipse & eius comites illam necarunt; quod indicium est, illos magnoperè eas exhorrescere. Ægyptiacæ viperæ & cerastæ pelle admodum obsequente sunt praditi, quod experientia nos edocuit: nam earum pelles tomento impletæ, duplo crassiores quàm antè fuerunt, quod in aliarum regionum viperis non contingit. Habet Aegyptus multos præterea serpentes, quorum non meminimus, quoniam de nocentioribus dixisse satis est. Quoniam porrò condita atque integra quorundam serpentum alis & pedibus præditorum corpora vidimus, quos ex Arabiæ parte in Aegyptum aduolare ferunt, eius iconem Lectorum oculis subiicere voluimus, plura de eo in libro de Serpentibus dicturi.

In itinere, Arabum & Aegyptiorum rusticorum turbam inuenimus, quam Bassa vi per Aegyptum comprehendi iusserat, vt remigum officio fungerentur in expeditione quam suprà memorauimus. Cairi siquidem Bassa, qui Turcarum Imperatoris nomine Aegypto præest, triremium classem paraturus, quoscumque obuios indifferen-



ter comprehendi iubet, nec quisquã mutire audet, quandoquidem id fit in Turcici Imperatoris obsequium; tanta est inter eius subditos obedientia: catenis tamen non coërcentur, sed expeditione confecta, domum redire permittuntur. Quo tempore similis fit lectio, Christiani Cairum incolentes, domi se continent, nec quóquam egrediuntur. Turcici milites, qui tota illa profectione comites Domino de Fumet additi fuêre, tantum biscocti panis secum detulerant, quantum ad illam è Cairo ad montem Sinai profectionem sufficeret: nec tamen omnem in reditu absumserant. inde facile cognosci potest eorum in victu frugalitas, quam aliarum nationum homines imitari haud possent. Noctis partem ad Nili ripam traduximus: postridiéque summo mane, oneratis camelis Cairum secundò peruenimus. E Cairo in montem Sinai profectio, Aegyptiacorum & Arabicorum Camelorum cimiterium est: quia plerique omnes in eo itinere pereunt, vt apparet ex eorum ossibus quæ hinc inde secundũ viam dispersa iacent: inde fit vt id iter multum à vulturibus frequentetur, quorũ pridie magnas turmas, in quarum singulis non minus quinquageni fuêre, obseruauimus: atque affirmare ausim inter reliquas rapaces atque incuruis vnguibus præditas aues, solos vultures turmatim volare.

CAP.

CAP. LXXI.

De Murrhinis vasis in Cairo venalibus & de Nitro.

INGENS *Murrhinorum vasorum copia in Cairo à mercatoribus publicè venalis proponitur. Cùm autem videremus ea nomine Porcellanæ appellari, eius appellationis Gallicum etymon perquirere libuit, atque animaduertimus, denominationem sumsisse à Conchylij quodam genere, Murex Latinis dicto, quod Galli concham porcellanicam nuncupant: tametsi affinitas vocabuli Murex satis respondeat voci Murrhina: Gallicæ tamen appellationis etymon duntaxat perquirimus, quoniam Porcellanica vasa ea nuncupamus: nec ignoramus Latinos Myrrhæ vocem à Græca σμύρνα deduxisse. Vasa quæ Porcellanæ appellatione apud nos hodie venduntur, nulla nota cum veterum vasis conueniunt. Sed nec summi totius Italiæ artifices similia parare norunt, vt: pote qui commoda materiæ destituuntur: attamen vasa ab ipsis conflata, Porcellanæ nomine donant atque etiam venundant. Latæ significationis est Porcellanæ vocabulum, & multis conchis marinis applicatur. Quoniam porrò elegans vas è concha marina paratum aptius denominari non posset secundũ veterẽ appellationem, quàm Porcellanicum: expolita illa & splendentia conchylia margaritiferis conchyliis respondentia arbitratus sum affinitatem aliquam habere cum materia vasorum antiquorum Porcellanicorũ: huc accedit, quod Galli sphærulas illas precatorias è magnis cochleis confectas, Porcellanicas sphærulas appellant. Transparentia sunt ea vasa Porcellanica, magnóq. æstimantur in ipso Cairo, quoniam ea ex India deportari affirmant: quod mihi verisimile non videtur: nam neque adeò frequentia, neq. adeò magna vasa conspicerentur, si ex tam remotis regionibus deferrentur: Gutturnium enim, poculum, aut aliud vas quantumuis paruum, singulis ducatis vaneunt: si ampla sint, tanto pluris æstimantur.*

Magna

Magna est in plerisque Europæis pertinacia, qui affirmant nostrum Sal petræ esse Nitrum veterum, cum tamen ne mica quidem legitimi Nitri in vniuerso orbe Christiano reperiatur, nisi aliunde delatum; contrà in Cairo adeò vulgare sit, vt eius decem libræ vix vno maidin æstimentur. Varius apud illos eius est vsus: nam & vasa eo inducunt, & siliquis Acaciæ admixtis coria parant. Extra vrbem Cairum eleganter constructa conspiciuntur templa, Mesquitæ dicta, multorum magnatum sumtu & cura paucis ante annis exædificata: nam si quis Bascha, Sangiacus, aliúsve auctoritate pollens Imperatoris Turcarum aulicus, aliquid memoriæ dignum posteris relinquere vult, eiusmodi fabricas exstruit pietatis causâ, quibus cisternas adiungunt, aquæ conseruandæ idoneas, vt quilibet sua iumenta inde aquare, ipséque secundum eorum consuetudinem eluere se possit: nam vniuerso eloto corpore, ab omni peccato se liberari, ex Mahometi instituto, arbitrantur. Solent Arabes publicis locis aquam plerumq. proponere, & eam per certos viros circumferri curãt, & quibusuis obuiis præberi sine vllo precio, nisi qui aquam sumpsit, ciuilitatis causâ aliquid ipsemet donet. In Cairo reliquísque Aegypti, Syriæ, Turcorúmque Imperatori subiectarum Prouinciarum vrbibus, vbi viæ coëunt & coniunguntur, ingentia ponuntur vasa, quæ singulis diebus aqua implentur, vt qui sitiunt inde haurire queant. Inde fit vt publicè cibum sumere eos non pudeat. Nam comparato quem cupiunt in foro cibo, ad vas aliquod aqua plenum concedunt, exemptíq. calceis istic considunt, & in propatulo vescuntur. Fenum in Cairo venale, in pratis nostro more non est demessum, neque gramen est, quale in Cycladum insularum scopulis legitur: sed ex trifolio sato constat, caule concauo prædito, quod demessum in manipulos colligatur, deinde per fasces distribuitur. Eo autem libenter vescuntur equi.

Non

Non dubium est, quin id trifolium legitima sit medica, quæ viridis per Hispanias equis datur: nullum etenim fœnum per vniuersam Hispaniam reperias; nec etiam auenam; hinc concisum stramen feni, hordeum auenæ vicem istic supplet.

CAP. LXXII.

Succinum non esse fossile, vt plerique existimarunt, sed arboris gummi.

SVCCINVM è quo precatoriæ sphærulæ parari solent, non minore est apud Arabes, Syros, Aegyptios, & Indos precio, quàm apud Christianos: nam Turcæ perinde his sphærulis vtũtur vt nostri homines, & suas preces pro eorum consuetud. ne ad eas demurmurant. Sed & ad alios varios vsus applicant, veluti ad ornatũ ephippiorum, frenorum, clitellarum, equorum, mulorum, camelorum. Eius adhuc rudis ingentes saccos plenos in Cairo conspeximus, fragmentis siue glebis gemini pugni crassitudine, quorum nonnullis arboris cortex adhuc inhærebat, tenuis, leuis & nitidus: & cùm eiusmodi cortex interdum inueniatur plusquam palmari amplitudine; ingentem arborem ex qua profluit, esse dicendum est. Plerique æstimarunt Succinum fluidum esse liquorem terrestrem, qui in mare deuoluatur, & istic induratũ à ventis in littus reiici. Erroneam autem esse huiusmodi opinionem experientia ipsa docet: nam si Succinum in aqua mergitur, qua ratione verum id esse poterit quod asserunt? Diligenter igitur perlectis iis quæ veteres de Succino scripserunt, totiesq; reperto inhærente cortice, in Dioderi sententiam facilè concedimus, qui expressè affirmat gummi arboreum esse, quod vi ferrum ad se trahẽdi pollet, quemadmodũ magnes, si primùm fricetur: quod Diocles, Theophrastus, & nonnulli alij iam obseruauerant: idque verum esse comperimus. Pleraque obtinet nomina cùm Græca tum Latina, vti Succinum, λυγγύριον, Lapis lyncis, πιτεργοφόρον.

Bellonium in censura de Succino falli, iam notius est quàm vt multis de ea re agendum sit: nam & odor & tota adeò Succini natura bituminosum quidpiam esse, facilè euincunt.

CAP.

CAP. LXXIII.

De nostræ Profectionis in Hierusalem apparatu.

IN *Cairo subsistentes, profectionem in Hierusalē adornabamus, & res ad eā necessarias curabamus, veluti vt conductitia iumenta & annonam nobis compararemus, quemadmodum antè ad profectionem in montem Sinai feceramus. Hierosolymitana autē profectio, magis equorum & mulorū quàm camelorū opera perficitur. Turcæ porrò & Arabes longinquam profectionem æstate suscepturi, tamarindos coëmunt: magni etenim vsus sunt per vniuersum Turcæ dominium, non ad medicamenta paranda, sed ad sedandā sitim, vt singulis annis plus quàm tria millia eorum pondo in Cairo venundari putem. In eorum Mesquedis elegantia magna vasa è marmore varij generis confecta antiqui operis conspiciuntur, quæ olim ad condienda variorum animaliū cadauera vsurpasse credimus: nam cùm pleraque animalia sacra æstimarent, ea condiebant, & in eiusmodi vasa tanquam in sepulcrum recondebant: homines autem aliter condiebantur, vt antè diximus. Cairi incolæ mentionem facientes Præfectorum qui Sultani tempore vixerunt, Circassos eos appellant, quod admirati sumus, appellationē adeò antiquam & Herodoto notam etiamnum retineri audientes. Cairinus Bassa suam aulam non Arabum aut Ægyptiorum, sed Turcorum more gubernat. Cumq; obseruauerimus qua ratione Dominum de Fumet, qui illum salutandi & valedicendi causa adiit, exceperit, dignum quod hîc insereretur iudicaui. Omnes suos Ianissaros auratis, sericéisque diuersorum colorum vestibus eleganter exornatos ordine collocauit, nullis acinacibus aliisve armis accinctos, sed demissis & decussatis manibus; quod indicium est magnæ Turcarum obedientiæ: ad*

geren-

gerendum etenim bellum solũmodo arma expetunt. Arabes gestare pugiones solent, quod Turcæ nondum in vsum recepeũrt: alia tamẽ tela habent cùmpacis tũ belli tempore magis vtilia, de quibus iam diximus. Comparatis rebus ad profectionem necessariis, terrestri itinere illã absoluere visum fuit, versus Hierosolymam prius tendentes.

CAP. LXXIIII.

De Aegyptiaco quodam frutice semper virente, quĩ rubro colore inficit.

DIE Saturni qui fuit 29. Octobris anni quadragesimi septimi supra millesimum & quingentesimum, nocte dubia, vrbe egressi sumus, & ad Mesquedã quarta miliaris parte ab vrbe distantem concessimus, sub cuius tecto pernoctauimus: vnde die Dominica ante lucẽ discessimus. Ægyptus Nilo inundata nobis ad sinistram erat, in qua pagos locis editioribus sitos inter palmarum siluas conspiciebamus. Obseruauimus fruticem Alcannam nuncupatum, quem diligenter colunt, atque ex eo egregias caduas siluulas parant. Latini Arabum interpretes, Ligustrum Lativorum esse arbitrati sunt, sed falluntur; nam dissimiles sunt frutices. Alcanna in Punica mali altitudinem excrescit: sed cùm cædatur, virgulas duntaxat profert, saliceorum viminum instar. Magnum adfert quæstum Aegypti incolis: nam eius folia siccata in pollinem terunt, flauo colore inficientem. Huius pollinis census tam ingens est per eas regiones quæ Turcarũ Imperatoris subiacent imperio, vt plus quam octodena ducatorum millia reddat: inualuit enim ea consuetudo, vt omnes mulieres, manus, pedes, capillorum partem rubro aut flauo, viri autem vngues rubro colore, hoc puluere inficiant: addito præterea alumine, puerorum vtriusque sexus capillos tingunt, equorum iubas, pedes & caudas. Eius regionis mulieres ad formæ decorem multum accedere

dere putant, si ab vmbilico infrà, etiam coxarum partem flauo colore inficiant, quem ex hoc puluere concinnare norunt, simulatque ex balneis egrediũtur; quoniam eo tempore color altiùs penetrat. Illius vsus adeò frequens est, vt non modò apud Turcas inualuerit, sed etiam in Wallachiam, Russiam, & Bosniam deferatur. Cũ itaque plebs hoc puluere carere nequeat, necessariò eius distributio magnum censum præbet: sepéque accidit vt Alexandrinæ naues eo onerat æ, Constantinopolin deuehantur, qui illicò venundatur & distribuitur. Cairum egressi, canalem sequuti sumus qui Damiatam ducit. Et quoniã intempesta nocte discesseramus, ante lucem peruenimus ad id iter quod Sues ducit.

CAP. LXXV.

De plurimis Aegypti pagis, in itinere quod Hierusalem ducit, sitis.

PER *ingentes mollis arenæ campos iter fecimus, in quibus rustici Citrulli genus colebant, tãti in Cairo vsus, vt toto Septembri & Octobri singulis diebus cameli huiusmodi fructu onusti aduenirent. Quæ tuosus est, nam nullo negotio prouenit præsertim per Nili inundationem. Auicenna & Serapio Batecam nominarũt: nunc Aegyptij Copus appellant. Pleriq. in huius nomenclatura hallucinati sunt, falso Anguriam nuncupãtes: nam Anguria cucumerem significat. In tantam interdum amplitudinem excrescit, vt quatuor aut sex camelum, vnicus hominem onerare queant. Eo die in aperta planicie pernoctauimus: postridie verò in amplum pagum peruenimus nomine Cauq, vbi subsistendum fuit, vt annonam necessariam compararemus (etenim per sterilia loca faciendum erat iter) orizam, pisa, fabas, oua, poma, pira, vuas, dactyles, ficus. Vix alia herba per eas arenosas solitudines nascitur quàm Hyoscyamus niger, agros suo virore vestiens.*

Tardè

Tardè ex Cauq digressi, tota nocte iter fecimus, donec in pagum Cataro, editiore loco, non procul à Nilo sitũ veniremus. Suam quadragesimam tum celebrabant: propterea fastigia turrium suorum templorum aut Mesquedarum, vndique obsita erant accẽsis lampadibus quæ tota nocte ardebant: qui mos per vniuersam Turcæ ditionem vbi Mahumetistæ viuunt, obseruatur. Arabicarum porrò Mesquedarum turriculæ à Turcicis differunt, quòd Arabicæ triplicem, Turcicæ vnicam contignationem habeant. Eorum quadragesimæ mense lunari durant; dumque ieiunant, cibo & potu abstinent in obscuram noctem, & donec stellarum splendorẽ conspiciant: deinde tota nocte cõpotationibus indulgent. Cataro magnitudine respondet Cauq, palmæq; arboribus cingitur: elegãtes istic coluntur horti, ob aquæ commoditatem; eam ob causam celebris est pagus. Vlterius deinde progressi ad alium vsque pagum nomine Bilbez, vbi sumto prandio, reliquo die substitimus; cùm æstus vitandi causa, tum vt iumentorum quieti consuleremus: ibique victui necessaria in foro perinde atque in Cauq inuenimus. Inde digressi, & inter Orientem ac Septentrionem tendentes, à dextris præter sterilem planiciem nihil conspiciebamus; ad sinistram verò offerebat sese regio quæ à Nilo inundatur, fertilis & culta, plurimis pagis abundans, Palmarumq; & Sicomorum siluis. Magnas Gazellarum per eam planitiem oberrantium turmas inuenimus; eoq; vespere tertiam stationem à nostro ex Cairo discessu confecimus.

CAP. LXXVI.

De admirabili difficiliq́ue itinere inter Cairum & Hierusalem.

DIE *Martis omnium Sanctorum nomini sacro, ad Salatiam vsque pagum progressi sumus, vbi toto deinde die quieuimus. Huius pagi, licet admodum celebris, ædificia ex Palmarum duntaxat ramis ipsi arboris trun-*

co innixis constant: sunt & præterea nonnullæ ædiculæ nullius momenti. Incolæ quadrata quædam loca harundinibus sepiunt, ad gallinas, anseres & anates coercendas. Nos istic camelos, capreolos, gallinas, oua, hordeum, panem, vinum, & alia victui necessaria venalia reperimus. Quoniam porrò emetienda erat ampla planities & latronibus infesta, decem Arabes probè armatos conduximus, qui comites essent, licet Ianissaros haberemus: Arabes autem longas sariſſas etiam equites in humeris gestare solent. A Salatia fecimus iter per incultam planiciem, per quinque horarum spacium, nihilque conspeximus præter Tamarices & Rhamni genus rubentibus baccis, cùm qui in Græcia nascitur, nigris baccis sit præditus. Eatenus nihil aquæ contuleramus: nam in singulis pagis inueneramus: eo verò die vtres aqua implere coacti sumus; quia qua nobis gradiendum erat, eius est penuria. Ter eo die Nili alueũ transiuimus, aqua ad equorum cingula pertingente, quæ amara & salsa est, quoniã marinæ permiscetur. Latos etiam pontes inuenimus, sed non admodum longos. Salsos igitur riuos prætergressi, ad Carabassara rudera substitimus, vt noctem istic traduceremus. Subsequens dies nobis difficilior obtigit quàm speraueramus, quod per mollem, cedentem, mobilémque arenam iter faciendum esset. Ea de causa agasones equorũ & mulorum suffragines pannis inuoluere & munire necesse est, alioqui mutuo allisu attererentur. Arenosa planicie emensa, ad vallem accessimus, in qua nonnullas Palmas conspeximus, iuxta puteum, subdulcem aquam continentem, cuius potu Carauanna vsa est: ea autem aqua versatili rota educitur vt in Aegypto. Sub vesperam in pagum Belba appulimus. Castellum quoddam est quadrangula forma, in Palmiræ regione (quæ haud procul à Mediterraneo mari abest) situm, inter Aegyptum & Syriam, biduj à Salatia itinere.

nere. Huius muri admodum debiles sunt, quæq; insunt ædificia, vitulorum stabulis vix sunt maiora: regio admodum sterilis & arenosa est, alioqui Palmarum siluis abundans, attamen pleraque victui necessaria istic inuenimus. Eius regionis incolæ macilenti sunt, fusci, & sole adusti, qui Turcorum more humi non sedent cruribus decussatis, vt Galliæ sartores facere solent, sed vt Arabes incuruati, summis pedibus terræ infixis, insident suis calcaneis; totósque interdum dies eum in modum sedendo traducunt, nec magis defatigantur quàm nos scabellis insidentes: nam cùm à teneris assueuerint, nullam molestiam illis præbet ea sessio: huc accedit quod cùm eorum regio arenosa sit, vestes conspurcarent si Turcarum more sederent. Arabes, Armenij, Turcæ, maxima ex parte suas interulas caruleo colore infectas habent, raróque albas gestant: pediculis tamen non scatent, quoniam sæpè balneas adeunt, vbi eluuntur & mundantur. Arabes humi cubant, substratis duntaxat storiis ex harundinibus vel palmarum foliis contextis, nec linteaminum vsum norunt. Exspectabat nos Carauanna quædam quæ Hierosolymam proficiscebatur, apud puteum in planicie situm, binis à Belba milliaribus distantem, cuius aqua nitrosa erat; nam circumiacens locus etiam nitrosus est; attamen alterius penuria eam bibimus. Media nocte Carauanna discessit, quam post tres horas sequuti sumus. Secundùm mare mediterraneum, quod ad sinistram relinquebamus, diu iter fecimus, rectáque ad Orientem tendebamus, nonnihil properantes vt Carauannam adsequeremur, quam ad vesperam comitati sumus, & ad maris littus paululum substitimus: deinde ad quartam milliaris partem progressi, inter binos arenæ mobilis tumulos fodimus ad dimidiæ orgiæ altitudinẽ, dulcémque aquam inuenimus, sed turbidã, & albescentem, qua nostras lagenas & vtres implcuimus. Iam nobis Sinai montes ad

dextram apparebant. Qui rectà profectionem ex Cairo versus Hierusalem instituunt, neque Belbam neque Salatiam adeuniunt; sed alia via ingrediuntur, atque cibos & aquam pro tota profectione circumferunt. Nos autē qua diximus via progressi sumus, ob Nili & pagorum commoditatem. Ambrosiam, Thapsiam, Libanotidis species, Tamarices atq. Apocynon in aperta planicie nascentes reperimus.

CAP. LXXVII.
De Nitro, & Cancro quodam exiguo admirandæ naturæ.

TOTO illo die sub nostris tentoriis tracto, Caravannam sequuti sumus, aliámq. planiciem ingressi, quæ per sex horarum spacium durauit; cùm illuxisset, in depressiorem planiciē descendimus Nitro omnino obsitam, in quo equi & cameli pedum vestigia imprimebant: atque initio propter splendorem, salem esse arbitrabamur: nec facilè agnouissemus, nisi antea in Cairo id vidissemus. Non est autem Sal petræ: nam Nitrum naturale est, iisque notis quas veteres tradiderunt dignoscendum, nempe vt vstum multos cineres relinquat; Sal verò petræ nullos. Per eam planiciem ad dimidium ferè miliare progressi sumus, paulóque vlteriùs mare attigimus, cuius secundum littus diu fecimus iter: frequentes Galei, caniculæque marinæ in littore pascentes nobis conspectæ fuere. Istic etiam peculiare quoddam Cancri genus, & admirandæ naturæ: nam media æstate, summisque solis ardoribus, cateruatim mare egressus, per eius littus vagatur, & ad tres balistæ iactus per arenam excurrit tanta celeritate, vt quis vix assequi queat, cùm tamen pusillæ castaneæ magnitudinem non excedat: cúmque integro die per summos solis æstus in sicco versatus est, noctu in mare sese recondit. Aristoteles Cancrum cursorem nomi-

nominat: plerique autem falluntur qui Dromonẽ, hoc eſt Curſorem appellant, atque inter cetaceos piſces reponunt: nam, vt dixi, puſillus hic eſt, eiúſque amplam deſcriptionem libro. 2. de Piſcibus dedimus. Noctes tota hac noſtra profectione nunquam adeò obſcuræ fuerunt, quin obuia quæque conſpiceremus. Ea nocte cùm paululum à Carauanna ſeceſſiſſemus, Sangiacus quidam Hieroſolymam proficiſcens, tumultu quodam excitato ſimulauit adeſſe Arabes. Quod cum intellexiſſemus, non magnopere commoti ſumus: Ianiſſari etenim qui Dominum de Fumet comitabantur, animoſi & bene inſtructi erant. Diu ante lucem diſcedentes Mediterranei maris littus reliquimus, atque claro mane Carauanna & Sangiacus ſubſtiterunt quorundam Iudæorum gratia qui in turba erant, quique munere illum affeceraut, vt eos exſpectaret. Atq. illi quidem aſtutè Veneris die ſub veſperam longiùs progreſſi erant, vt poſtridie quieſcere poſſent: conſuetudo enim apud illos eſt, ne die Sabbathi vllam operam faciant. Nos verò ipſo Sabbathi die illos præceſſimus, & in Carbaſſara muris cinctum, atque caſtelli in modum exſtructum, diuertimus, apud magnum pagum, in quo victui neceſſaria coëmimus, illóque veſpere vberiorem glebam inuenire cœpimus deſerente nos arena. Iſtic Smyrnium copioſe naſcitur, & Ambroſia, Alga tertia, Anchuſa & Liguſticum. Inter Cairum & eum locum nullas alias arbores conſpeximus, præter Palmas & lanigeras, quarũ mala ſiue fructus delicata, tenuíque lana pleni ſunt, vt antè meminimus.

CAP. LXXVIII.

De pleriſque arboribus, auibus, aliiſque ſingularibus in Palæſtina naſcentibus.

SED ante quã in Carbaſſara peruenirem us, adhúcque eſſemus in editiore colliculo, Balanum myrepſicam

*inuenimus, præ iis quæ in Arabia naſcuntur vaſtam admodum, Betulæ parem. ſub qua magna Smyrniȝ quantitas naſcebatur. ſemine, vti Coriandrũ, rotundo & valde odorato. Car-baſſara vicini è longinquo conſpeximus virentes quaſdam arbores, quas initio non agnouimus: ſed obſeruatis earum ramis confertim in ſummo naſcentibus, multiſque foliis ſtipatim præditis, & elegantem vmbram præbentibus, craſſóque ipſarum caudice, Sycomoros eſſe deprehendimus ſerie quadam in planicie diſpoſitos, veluti apud nos Juglandes. Circa Car-baſſaræ porrò putcum aderant arbores Græcis Oenopliæ nuncupatæ, ab aliis Napeca. Eſt autem illud Car-baſſara limes & initium fertilioris ſoli Paleſtinæ. Iſtorum verò diuerſoriorum ſiue Car-baſſara cùm per Aegyptum tum per Syriam portæ ferreæ ſunt, areámque continẽt, propugnaculum in medio habentem, quo ſe viatores conferunt: intræ muros parte interiore porticus ſunt, ſub quas noctu ſe recipere licet pluuio tẽpore, atq. etiam propter æſtũ de die. Tota nocte cõcluſi fuimus in eo Car-baſſara, & excubias egimus, prædonũ Arabũ cauſa, quos nõ procul abeſſe, relatũ nobis fuerat. Carauanna quã reliqueramus, tota nocte iter fecit, & ante lucẽ nos præuertit; cõmodè enim vel ex longinquo exaudire potuimus, eámq. ob cauſam illico ad eã ſubſequendã nos cõparauimus. Nã conſuetudinem hanc habẽt, vt ſi quis Sangiacus, vel Carauanna aliqua numeroſa iter facit, cãpanam ſatis craſſam cameli alicuius collo appendãt, quæ è longinquo etiã exaudiri poſſit, ad cõmonefaciendum vniuerſum comitatũ. Turcici proceres perinde lectica vehuntur atq. in Europa, at quã muli non geſtant, verùm cameli. Inter Gazara, quæ prima vrbs eſt prouinciæ * Aegypti, & Belba, agros deſertos inuenimus ob muriũ & ſoricum abundantiam: quos niſi deuorarent aues Percnopteri ab Ariſtotele nuncupatæ, à Gallis verò Boudrees, quas natura cateruatim eò mittit; nullam ſementem*

mentem possent facere incolæ, quin statim absumeretur. Prouenit istic Scilla, Thapsia, Ferula, Polium, Hastula regia. Deinde iter fecimus per agros, frumento, leguminibus, et fructiferis arboribus bene excultos. Sepes possessiones separãtes, Rhãno & Halymo constant, in quibus volitãtes obseruauimus Colluriones, Pies grieſches Gallis nuncupatas, quæ mures vorant quemadmodum tinnunculi. Vidimus etiam præteruolantes multos Vultures, aliásque aues carniuoras, quales suprà commemorauimus Accipitres Ægyptios. quidam è nostro comitatu Pelicanos appellabant, quòd forma similes essent iis quos sanguine suos pullos alẽtes depictos viderant. Quoniam verò Pelicani vocabulum molestiam nobis exhibuit in inquirendo quænam auis hoc nomine donanda esset, notum facere voluimus, pro Pelicano sumendam esse eam quæ gemino ventriculo prædita est, quæque alia appellatione Onocrotalus dicitur: in quo Albertus lapsus est, eum pro Ossifrago sumens: nam Ossifragus is est qui à Græcis Phinis vocatur: quod vocabulum multis ansam præbuit varia de Phœnice cõmemorandi, aue longè tamen diuersa à Latinorum Ossifraga quã nido incumbentem pingunt, pectúsque rostro aperiẽtem quo suos pullos pascat, vt ex historia quam Aristoteles de Phini prodidit, apparet; quẽ sequutus Plinius, Ossifragam describens, omnia illi attribuit quæ Aristoteles suo Phini, Aquila maiorem, & proximum ei genus, aduncis vnguibus & carniuoram, colore ex cinereo albicante: hebetẽ oculorum aciem habentem, benignam, pullos Aquilæ eiectos excipientem, & educantem donec prouolare queant.

Cognita est Gallis auis, quam appellatione Phini siue Latinorum Ossifragæ conuenienti nominant Offraye, quæ tamen Ossifraga non est, nec tali nomine dici debet, sed Haliætus, quintum Aquilarum genus, circa flumina & stagna versans, librans sese ex alto, & præceps in

piſces ruens diſcuſſis pectore aquis eos rapiens. Quatuor integris horis per apertam planiciem arboribúſque liberam equitauimus: tandemq; Gazaram, quæ prima vrbs fuit quam in Iudæa inuenimus, peruenientes, in horto quodam vrbi vicino ſub Palma tentoria fiximus.

* Ægypti, imò potius Palæſtinæ, quæ veteribus, vt ver ſimile eſt, Gaza dicta fuit: ſed & ipſe Bellonius ad hujus capitis calcem Gazaram in Iudæa locat.

CAP. LXXIX.

De vrbe Gazara.

GAZARA *muris non eſt cincta, veterem habet arcem quadrangulam in colle ſitam, ſed non firmã, cui præeſt Sangiacus quidam. Solum circa Gazaram fertile eſt, abundatque ficubus, oleis, Ziziphis, malis, punicis, & vitibus. Alit etiam nonnullas palmas, ſed cuius fructus ſerò maturatur, regio etenim frigidior eſt. Iam ante trimeſtre, dactyli in Aegypto & Arabia maturuerãt, Gazaræ verò tum adhuc virebãt. Iſtic inuenitur lacerti nigri genus Stellio dictum, muſtelæ ferè magnitudine, tumida aluo & craſſo capite, quo etiam Iudæa & Syria abundant. Iſtic etiam auem conſpeximus, quæ mea opinione reliquas cantus ſuauitate ſuperat, quam Veteres venaticam auem appellaſſe arbitramur. Sturno paulo maior eſt, albo ventre, & dorſo cinereo, quemadmodum Molliceps, quem Gros bec nominant, cauda nigra, alasq; ſuperante vt in pica, pici martij in modum volat. Omnis generis edulia in Gazara inuenimus, veluti panem, vinũ, gallinas, oua. Incolæ Gazaræ, Græci, Turcæ, & Arabes vineta ſua diligenter colunt. Iſtic hæſimus vſque ad noctis crepuſculum, deinde tota nocte per elegantes planicies iter fecimus Ramam verſus: Poſtridie verò mane pagos in colliculis ſitos ſecundum agros omni tritici genere inſtructos vidimus rectà à meridie ad Septentrionem tendentes; & quoniam Euro auſter vehementer flabat, mari-*

*marinorum fluctuum murmur exaudiebamus; non procul etenim à mari aberamus, & magnas Onocrotalorum turmas eò volantes conſpiciebamus. Oenoplia ſiue Napeca Pyri altitudinem attingit, fructumq; fert ſilueſtribus malis æqualem, & adeò ſimilem vt vix dignoſci queat, ſapore dulci cum grata quadam aciditate coniuncto, nucleum continentem, oliuæ nucleo parem. Aegyptus, Syria, & Armenia hac arbore abundant, qua Græcia imò verò tota etiam Europa caret: perpetua fronde viret: eam ob cauſam libro de arboribus ſempiterna fronde virentibus eius * icon reponetur. Repperimus in itinere planiciem ſaccharifera arũdinibus & colocaſia excultam, quam aqua ex puteo hauſta rigabant. Inde Ramam peruenimus, vbi reliquo die hæſimus.*

* Iſtam Oenopliæ iconem nondum conſpicere licuit, nec quæ hactenus vidi Bellonij de Coniferis & ſempiterna fronde virentibus arboribus exemplaria eam continent.

CAP. LXXX.

De vrbe Rama.

AMPLA *olim fuit vrbs Rama, vt ex ruderibus apparet: nam ciſternæ & fornices quæ etiamnũ ſuperſunt, maiores ſunt Alexandrinis, licet non adeò frequentes. Eius ſitus eſt in ſolo pingui & fœcundo: quoniã verò adeò rari ſunt incolæ vt vix decẽ ædes inhabitentur, agri magna ex parte ſunt inculti: coluntur tamen frumentum, hordeũ, legumina, & paucæ vites, iſtic q; venalia reperimus carnes, panem, vinum, & alia edulia. Potior incolarum pars Græci ſunt. Acacia alterum genus copioſè ibi prouenit, atque alius frutex ſpinoſus, quem à veteribus haudquaquam deſcriptum fuiſſe arbitramur, ſuſpicamur tamen Myrrhæ arborem fuiſſe: cõtorto eſt caudice, denſo, horrentibusq. ſpinis obſito. foliaq; habet Acaciæ ſimilia, ſed paullo maiora. Rama ante lucem digreſſi, per pinguia arua iter fecimus, in quibus frumentum fa-*

cilè enatum fuisset: sed incolæ suum commodum negligentes, segniter admodum terram colunt. Sub auroram valles montanorum Hierusalẽ ingressi sumus, in quibus longiùs progressi, montiumque præcipitiis vtrimque conclusi, quosdam Arabes hinc inde è tumulis descendẽtes, strepitumque facientes inuenimus, qui simulatque nos conspexerunt, pecunias exposcebant, simulantes sese nos adoriri velle: commonefacti autem quòd tales nebulones exteros expilare soleant, cùm illis præualent, eos contemsimus; Prætextentes autẽ sibi regionis tutelam ab Imperatore Turcarum cõmissam, exigua pecuniæ summa, donati fuerunt: tametsi nos aggredi non ausi fuissent: nam præter ordinarium comitatum, Dominus de Fumet in Gazara alios decem Ianissaros sibi adiunxerat, permissu Sangiaci illius vrbis. Sed illi etiam adeò versuti sunt, vt si peregrinos numero se superare, vt ipsis resistere queant, animaduertant, nunquam illos adoriantur.

CAP. LXXXI.
De Hierusalem in montanis sita.

ADEO abundant hæc montana omni arborum genere, siluestribúsque & aromaticis herbis, vt monti Idæ in Creta comparari possint, cui etiam temperamento & aliis dotibus respondent. Excolitur terra in ipsis scopulis scalarum in modum: vnde cognosci potest veterum Iudæorum diligentia & industria, qui solum alioqui petrosum & sterile, cultura fructibus abundans reddiderunt. Similis diligentia obseruatur veterũ Græcorum qui Aegei maris insulas habitarunt: quarum plurimas cõspeximus nunc desertas, & vix centum incolas alentes, in quibus olim plures quàm sexies milleni viuere potuerunt, vt apparet ex tumulis & collibus, qui antiquitus ex firma materia per scalas exædificati fuerunt, ad retinendã terram ne per præcipitia deuolueretur, & in ea stirpes nasci possent. Insulæ Ceos, Milos, Andros, Naxos, Paros, & pleræ-

pleraque alia, ea diligentia à veteribus Græcis fuerunt exculta, vt eas vberiores redderent quàm plana loca. Sic etiam Iudæi cùm solum haberent sterile, vti dixi, & ad alendas vites aliosq; fructus ineptum, magno labore & sumtu fœcundos reddiderant colles, vt apparet ex structuris quæ etiamnum permanent, veterémque materiam quodammodo resipiunt. Arbores sponte in illis montibus nascentes sunt Andrachne, Picea, Aria, Ilex, Terebinthus, Lentiscus: planta, Cistus, Ledon, Tymbra, Smilax aspera, Maron, Origanum Heracleoticum, Tragoriganum, Saluia, Stachys, Ruta siluestris, Trifolium Asphaltites, Cyclaminus, Vmbilicus siue Cotyledō, Thymus, Hyssopus siluestris, à nostra domestica differēs, quæ tamen Creta ignota est. Montium pars quæ ad Occidentem vergit, vitium aliarúmque fructiferarum arborum, vt olearum, ficuum, malorum punicorum opulentissima est, si cum aliis quæ siluestres duntaxat arbores gignunt, conferas.

CAP. LXXXII.

Breuis itineris inter Cairum & Hierusalem supputatio.

EX nostri itineris supputatione liquet, Cairum nouem duntaxat, aut ad summū decem dierum itinere ab Hierusalem distare. Verum quidem est nos vtcunque properasse: nam die Sabbathi, vigesima nona Octobris, Cairo discessimus, & die Martis, octaua Nouembris, Hierusalem peruenimus. Postquam quatuor milliaria per montana confecissemus, fontē ad cuiusdam templi rudera inuenimus, quod Monasterium aliquando fuisse, idque Christianorum Latinorū, credimus, vt ex picturis conijcere licet, & ex muri vestigiis. Istic sumto prandio, in Hierusalē pernoctauimus. Peregrini qui eò aduenium, hospitio excipiuntur pro cuiusque quam profitentur religione. Nam si Romanæ Ecclesiæ ceremonias sequuntur, quos illi Latinos appellant, apud Franciscanos extra vrbem in monte Sion sitos excipiuntur: si Græcos ritus am-

ple-

plectuntur, concedunt ad Caloieros Græcos in vrbe apud sepulchrum habitantes: si ex prouinciis Presbyteri Ioannis, apud monachos Indos locum habent: sic & reliquæ nationes Christianam religionem profitentes, vt sunt Georgiani & Armenij. Franciscani plerumq. sunt triginta aut quadraginta numero, variarum nationum: sed tamen magna ex parte Itali. Peregrinos per omnia Hierosolymitani territorij loca sacra deducere solent: eam ob causam interpretem quem ipsi Droguement appellant, suis sumtibus alunt, Turcicam, Arabicam, Græcam, Italicam, & alias linguas callentem, vt sermonem conferat cum incolis, & peregrinorũ nomine respondere queat, atque illos per omnia loca sacra deducere. Singulis noctibus excubias agũt Franciscani, mutatis in singulas horas personis, & supra muros stantibus; quoniam eorum monasteriũ extra vrbẽ cũ sit, sibi metuũt à latronibus Arabibus: nã licet monasterij muri sint admodum alti, ne tamen incolæ eius regionis ipsos adoriantur, formidant.

CAP. LXXXIII.

Succincta descriptio sacrorum locorum Hierusalem.

VICINA *Hierusalem regio bene culta est, præsertim vrbi vicinior. Vineta diligenter exculta sunt. Nascuntur istic mali, amygdalæ, ficus, & oleæ quæ multum olei reddunt: habent autem oleæ peculiarem notam qua à reliquis differunt, nam viscum quod eis innascitur, rubris baccis est præditum, magno incolarum damno, quoniam steriles oleas efficit. Sumtus quos Franciscani faciunt, ex Latinorum, quos vocant, prouinciis illis subministrantur: designatas enim habẽt suas eleemosinas variis Europæ locis, ab eius ordinis præfectis, Gardianos appellant, collectas, præsertim autem in Cypro, Gallia & Italia. Nobis referebant, se ex Germania & Anglia solere accipere, sed nihil ad illos nunc inde deferri. Nullus alius in Hierusalem Latinorum monachorum est ordo quàm Franciscanorum. Postridie quidam ex iis diluculò nos ded-*

deduxerunt ad loca circa Hierusalē sacra, monasteriumque egressis, demonstratus nobis primùm omnium locus in quo Christus cum discipulis cænā celebrauit: sed Turcæ eum Franciscanis ademerant, Mesquedámque Mahometi consecrarant. Verùm Dominus de Aramont illis restitui curauit, vicinus enim est eorum monasterio. Longiùs à monasterio digressis, locum demonstrarunt, vbi Iudæorum, ne discipuli Diuæ virginis corpus efferrent, prohibere volentium, brachia dirigerunt, vrbis portæ contiguum: deinde murum vrbis sequentes, apud vallem Iosaphat vidimus vbi D. Petrus abnegato Christo ploraut. Secundum eum murum est templum virginum, in vrbis angulo situm, nunc Turcarum Mesqueda. Paulo infrà in eodem angulo conspicitur triangularis lapis, quem aiunt esse cuius in sacra pagina Psalmus mentionem facit, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes. Inde descendentes in vallem Iosaphat, torrentem Cedron transiuimus, lapidis iactu ab vrbe distantē, aqua alioqui carentē, nisi cùm pluit: istic lapis in quo impressa sunt Christi pedū vestigia cùm è ponte decideret: huic cōtigua duo sunt sepulchra in rupe incisa pyramidis in morē; pleriq. Esaiæ & Hieremiæ esse arbitrātur. Collem conscendētes, arboris è qua Iudas se sūspendit, locum vidimus. Circumdato colle, vt vrbs nobis amplius non appareret, sacellum dirutum conspeximus, quod Magdalenæ ædes fuisse perhibent: iuxta quod est lapis cui insedisse Christus dicitur de suscitando Lazaro cum illa verba faciens; vix quarta miliaris parte abs Hierusalem distat. Paulo vlteriùs est exiguus pagus in quo sepulchrum Lazari quem Christus excitauit: sed vt id conspicere possemus, in fornicem quandam instar cubiculi amplā & firma materie exstructā descendēdum fuit, in qua tumulus altaris altitudine, in quo peregrini sæpe Missam cani curāt. Inde digressi, & Hierusalem repeten-

petentes, locum in quo Sycomorus, cui maledixit Christus, fuit, vidimus: ea pars Bethania nominatur. Versus Bethphage conscendentes per aspera & confragosa loca, ad dextram defleximus quà ad Olineti montem iter est: atque hac ratione summa semper petentes, longè vicinos limites prospicere poteramus, quoniam celsissimo circa Hierusalem loco consistebamus. Transiuimus deinde quà Christus ingressus est Hierosolymam, & vbi conscendit asinam, quã dissolui & cũ suo pullo adduci imperauerat. In edito isto loco consistentes, & ad Meridiem nos obuertentes, plana Hiericho, marèque mortuum, alio nomine Asphaltites dictum, vbi Sodoma & Gomorrha absorptæ sunt, conspiciebamus: obuersis deinde ad sinistram, ex eodem monte nobis ostendebant Franciscani locum in quo Discipuli multa perpetrarunt. In colle Olineti siti, commodè vrbem Hierusalem perspiciebamus, quòd editiore loco essemus quàm ipsa vrbs. Inde per eum locum iter fecimus, vbi Christus dixit, Væ tibi Hierusalem.

CAP. LXXXIIII.

De Diuæ virginis sepulchro in valle Iosaphat.

SACELLVM *est in summo Olineti monte à Christianis fabricatum, in quo conspicitur vestigium vnius pedis Christi saxo impressum, cùm à resurrectione in cælum conscendit: alterum autem translatum ferunt in regionem Latinorum. Alius est tumulus, æqualis altitudinis, in quo aliud sacellum omninò ruinosum. Redeuntes Hierosolymam, atque descendentes per montis Olineti radices, semitam transiuimus in qua D. Paulus sedebat, cùm D. Stephanus lapidaretur: deinde inferiùs tres lapides vidimus, in quibus obdormierunt discipuli dum Christus orabat: itẽ vbi Christus captus fuit, & D. Petrus Malcho aurẽ abscidit. Hæc verò omnia loca secundo aut tertio lapidis iactu ab inuicem distant. Regressi per pontem Torrentis Cedron, conspeximus in valle Iosaphat*

locum

locum, in quo Christū sanguinem & aquā sudasse aiunt, atque hīc sacellum exstructum. Ad huius latus, tumulus est D. Virginis & D. Annæ; est autem hic tumulus subterranea fornix è magnis complanatísq; saxis exstructa, atque crassis lapideis columnis sustentata: lati sunt gradus scalæ per quam descendendum est: est enim sacellum sub terra, Helenæ Constantini matris iussu, vt putatur, exstructum. Vallem Iosaphat egressis, & ad Portam auream tendentibus, demonstratum est quà Romani, vrbe à Vespasiano & Tito obsessa, murum perfregerunt, & vrbe potiti sunt. Quà verò Christus Hierosolymam ingressus est, Porta aurea est; quam quoniā clausam inuenimus, murum vsque ad montem Sion circuiuimus. Omnia igitur prædicta loca ante meridiem conspeximus, longum etenim non erat iter. Reliquum diem impendimus visitandis Monasterio vicinis locis, nempe eo qui multis foraminibus abundat, in quibus cadauera imposita viginti quatuor horarum spatio absumūtur. Paulo infrà probatica piscina est, vallem Iosaphat irrigans. Inde ad Sepulchrum Domini iuimus, quod in vrbe est, in magno templo quod Helena Constantini mater exstrui curauit. Nouem autem ducati persoluēdi cuicunque sepulchrū ingredi volēti; nemo etenim siue diues, siue pauper sit, immunis à solutione est. Nam qui tributum illud in censu habet, octo ducatorum millia Turcarum Imperatori pendet: hinc fit vt publicani isti à peregrinis nummos extorqueant, alioqui non ingressuris. Franciscani verò & Caloieri Græci, aliorumq; Christianæ professionis ordinū viri, sine precio ingredi & egredi possūt. Turca magna cum reuerentia illud tuentur, & cum deuotione ingrediuntur. Istam pecuniæ summam imposuisse dicuntur Pisani, cùm vrbs Hierosolyma sub illorum esset imperio, atque ab eo tempore conseruatam esse illam pecuniæ extorquendæ consuetudinem.

CAP.

CAP. LXXXV.

De Christi Domini nostri sepulchro, deque Hierosolymæ ruderibus.

HIEROSOLYMA *paucis ab hinc annis nouis & præaltis muris cincta est, sed infirmis, quæque bombardarum impetum minimè ferre possent. Plana sunt ædium tecta, atque officinæ in primariis plateis fornicatæ, vt in Alexandria: sed inæqualis est comparatio. Nã Hierosolymorum fornices ex quadrato lapide superbè exstructæ sunt, quæ nonnullis adhuc locis persistunt ab eo tempore quo Iudæi merum istic imperium obtinebant. Aromatarij Hierosolymitani, varias, quemadmodũ in Cairo, linguas callent. Christianæ religionis populi Hierosolymam ablegare solẽt homines plures vel pauciores, pro regionis ratione, qui in vrbe apud sepulchrum habitẽt: hinc fit vt duodecim varia & inter se differentia Christianæ religionis idiomata numerẽtur: verumtamẽ octona duntaxat comperimus, videlicet nationis Latinæ, quam ipsi Franke appellant, quæque, omnibus antecellens, omnes comprehendit Romanæ Ecclesiæ obediẽtes; deinde Græcæ, illis Romæos dictæ, quæ Papæ mandatis non paret, sed suos Patriarchas peculiares habet: tertiæ Armeniæ, cuius ritus nostris magis accedunt quàm Græcorum: deinde aliarum consequenter, vt Iacobitarum, qui eius regionis sunt quæ à D. Iacobo Maiore ad fidem conuersa est. Georgianorum, qui suis legibus reguntur, vicinique sunt Persis, eorumq. limites extenduntur in Indiã vsq. Orientalẽ, à nemine subiugati, & nemini parentes: Christianorum qui à cingulo denominationẽ sumserunt, Coftiáque cognominãtur, & à Diuo Thoma ad Christianam fidem sunt conuersi: Indorum, qui ex Presbyteri Ioannis regione missi sunt, Abyssiniq; appellantur, admodum nigri, sed non vt Æthiopes. Quoniam autem in igne baptisati sunt, tribus adustionibus sunt insigniti, vna suprà nasum*

nasum inter oculos, reliquis duabus ad tempora, & circuncisi: Nestorienſium & Maronitarum, qui non differunt ab Arabibus. Singulæ iſtæ nationes peculiare habent ſacellum, quoniam in quibuſdam articulis inter ſeſe differunt, atque aluntur pecunus quas Principes ſingularum prouinciarum illis mittunt. Græci Chorum templi obtinent, & Caluariæ cuſtodia illis demandata eſt. Latini, Sepulchri cuſtodiam obtinent. Huius Sepulchri templum comprehendit totum Caluariæ locũ qui in plano ſitus eſt, non in monte, vt plerique æſtimarunt; ſublime eſt & rotunda forma: in alto apertum eſt, & inde recipit lumen. In huius rotunditatis centro eſt Sepulchrum Domini, concluſum ſacello quodam fornice rotunda tecto ex ſolido marmore. Præfectus ſiue Gardianus Franciſcanorum in monte Sion, præbere ſolet diploma peregrinis qui ab alio miſſi ſunt, ſiue teſtimoniales litteras, quæ fidẽ faciant eos iſtic fuiſſe, continentes ſigillatim alia pleraque, quæ breuitatis cauſa prætermiſimus.

CAP. LXXXVI.

De deſerto in quo tentatus fuit Chriſtus, & de Iordane fluuio.

EXPEDITIS noſtris equis, vt poſtridie ad flumen Iordanẽ proficiſceremur, ſub oleis extra vrbem illam noctem traduximus, & ante lucẽ inter Orientem & Meridiem tendentes, polũ arcticum ad ſiniſtram relinquebamus. Summo diluculo antè quàm plana Hiericho ingrederemur, Camelorum turmam procul conſpeximus Myrobalani citrini folia depaſcentium ad ſiniſtram: vnde plerique ex noſtro comitatu magno metu affecti fuêre, Arabes, qui nobis inſidiarentur, eſſe exiſtimantes: imo ipſos Janiſſaros, quos Sangiacus Domino de Fumet addiderat, tantus metus occupauit, vt conſiſterent, ſuo idiomate dicentes, Arabes de noſtro aduentu fuêre admoni-

u: atque animi vilitate correpti, ignem quem in sclopetorum fumibus gestabant, exstinxerunt, vt cùm Arabes aduenirent, tali signo intelligerent se non voluisse illis resistere, & solos Christianos adorirẽtur. Sed Dominus de Fumet, magni vir animi, & ex eius comitatu sex generosi nobiles Galli, ex familiis videlicet de Rostin, de sainct Aubin in Picardia, de Perdigal in Vasconia, du Val, atque alij plurimi, ipsius praeterea familia, in qua erat Iustus Tenellus, vir litteratus, quem Rex Franciscus I. scientiarum restaurator, illi adiunxerat, vt Graecos codices perquireret, habentes singuli suas bombardas, primus ex equo desiluit, & omnibus qui in ipsius comitatu erãt, vt sequerentur edixit. Ianissari tamen in plana nondũ descendere audebant, sed in monte subsistebant, atq. rei exitum exspectabant. Nos verò cõfecto multo itinere, equos denuò conscendimus: tum demum Ianissari animaduertentes nullum subesse periculum, in plana descenderũt, & nos subsequuti sunt; intellexerunt camelos in planicie pascentes duntaxat fuisse, qui talem illis metum incussissent. Tandẽ peruenimus in pagum, vbi aliquãdo Hiericho fuit, nunc verò turris quaedam quadrangula superest, columbario vix firmior. Stirpes per hanc planiciem nascentes, in memoriam reuocarunt pusillam quandam plantam, quam nonnulli impostores monachi Rosam Hierichontis appellarunt, cuius radice aquae impositа cùm plantula haec aperiatur & sese explicet, satis tolerabilis impostura praetextum sumserunt, vt admirationem spectantibus inducerent, affirmantes eam in vigilia Natiuitatis Dominicae duntaxat aperiri, vel cũ mulieres partus difficultate laborant. Qui illius naturam ignorant, alio tempore non posse aperiri existimant, attamen falluntur. Argumentum sumserũt ex sacra scriptura, quae habet: Sicut plantatio rosae in Hiericho: *cùm tamen de vulgari rosa rubra siue carnei coloris sit intelligendum.*

Nam

Nam hæc apud Hiericho non nascitur; sed eam in Arabia, deserto maris rubri littore per arenas nascentem iam obseruaueramus. Non minus hallucinati sunt alij, qui illius iconem pro amomo exhibuerunt, cùm nequaquam sit amomum. Hiericho planicies vndique montibus cincta est: hanc, quà Meridiem spectat, alluit mare mortuum, nullum habens exitum, sed sub terra sese exonerans. Ad Septentrionem obuersi, regionem videbamus vbi Iordanis, qui mediã Hierichontis planiciẽ secat, exoritur: Ad Orientẽ verò spectantes, Arabiæ petræ montes, qui non procul inde absunt, sed eò ferè vsque radices extendunt, aspiciebamus: ab Occidente autem, Hierosolymæ montes nostris oculis obiiciebantur. Lycij frutices, myrobalaniq; citrini, è cuius nucleis incolæ oleum eliciunt, arbores in hac planicie nascuntur; acacia altera istic etiam frequentissima. Amnis Iordanis à Septentrione in Meridiem tendit, non adeò latus, quin puer lapidem in contrariam ripam iacere possit, septem aut octo fortè orgiarum latitudinis, alueiq; non adeò profundi vt nauis per eum vehi possit: in eo Peregrini sese abluere solent. Innascuntur salix nigra, myrica, vitex, & multa arundinum genera, quas Arabes ad varios vsus aptant. Etenim ex vno genere iacula, tela, & leues lanceas conficiunt: ex alio genere sagittas, quinque asprorum precij, quibus vix alij quàm Satrapæ vtuntur: aliud item genus diligenter legunt in alium vsum: nam Turcæ, Græci, Armeni, Arabes, Persæ, Iudæi, Aegyptij, auium pennis in scribendo non vtuntur, sed hac arundine elegia nuncupata scribunt: eam prius in Athou montis riuis obseruaueramus. Conspecto porrò fluuio & mari mortuo, apud arcem dirutam iter fecimus, tumulo cuidam impositam. Inde ad fontem profecti sumus quem Plinius Callirhoën appellat, quemq; Helisei esse dicunt. Aëtius nostra opinione Fontem Solis nuncupauit. Eius aqua limpida & gelida est, magnumq;

riuũ efficit, in quo Sisymbrium vtrumque, Iunci, & similes nostratibus herbæ proueniunt. Quod si verum est Balsamum vnquam in hac planicie excultum fuisse, non procul ab eo fonte creuisse credendum est. Fidem non adhibemus quibusdam magni nominis viris, qui adeò excellentes dactylos in hac planicie nasci existimarunt: nam cùm palmæ quæ illic nunc crescunt, suos dactylos ad perfectam maturitatem non perducant, nunquam istic præstantes fuisse arbitramur: nisi quis dicat eius regionis clima immutatũ esse, quod tamen fieri nequit. Nos istic sub Myrobalanis & Ficubus quæ eum riuum inumbrant, cibũ sumpsimus. Deinde per lapideos gradus cõscendimus in eum locum vbi Christus ieiunauit, non procul à fonte dissitum; tres sunt istic fornices in rupe incisæ atriorum in modum, aliæ supra alias: deinde in culmen montis vbi diabolus Christum tentare voluit. Sacelli cuiusdam istic ædificati vestigia adhuc apparẽt. Inde descendimus, Hierosolymam redituri. Sacellũ olim à Christianis exstrui iussum in deserto in quo D. Ioannes Baptista concionabatur & baptisabat, iam verò dirutum, apud amnẽ Iordanem conspicitur. Credibile est D. Ioannem in solitudine locustis vesci potuisse: nam Græci Auctores scriptum reliquerunt locustæ genus esse ἀσίφακος ἢ ὄνος dictum, quo Afri vescerentur: quod hîc adiicere voluimus, quoniam illæ ipsæ sunt quæ Diuo Ioanni in cibum cesserunt, quas & Afri in deliciis habebant, non medicamenti, sed alimenti loco.

CAP. LXXXVII.

De Bethlehem & Ebron.

POSTRIDIE, sumto prandio in monasterio Franciscanorum, ad Bethlehemiticum iter, quod bimorũ duntaxat est milliarium, nos comparauimus. Emenso dimidio miliari, vastam Terebinthi arborem inuenimus, sub qua

Diua

Diua Virgo quiescere solebat, cùm ex Bethlehem Hierosolymam proficiscereturiuxta quendam agrum,lapillis quibusdam rotundis obsitum ,magnitudine & forma Ciceris . Vulgus persuasionẽ hanc habet, Diuam Virginem , dum hac iter faceret , quendam conspexisse qui cicer sereret, eumq; interrogatum quidnam ageret,respondisse ,lapillos sero : & ab eo tempore solum petrosum remãsisse,tamquã cicer in lapillos fuisset transmutatũ. Lapidis iactu ab illa Terebintho magna cisterna secundũ regiã viam in rupe incisa conspicitur,qua pluuia aqua cáq. potabili impletur. Itaque pedetentim progredientes binas dũtaxat horas insumsimus donec Bethlehẽ peruenirem⁹, exiguũ pagũ & casulis malè instructũ,nihilq; elegãs continentem,præter magnum & superbum Franciscanorum monasteriũ, quod Helena fabricari iussit (eius templum crassis columnis marmoreis sustentatur , & marmoreis tabulis vndique cingitur;quas Turcæ sustulerũt, in suarum Mesquedarum ornatum) & templũ Salomonis dictum, quod nunc in Mesquedam Mahumetanis dedicatam consecratum est. Monstrantibus Franciscanis, in fornice sacelli, sub maiore templo , locum vidimus in quo Christus de Maria virgine natus est : deinde Diui Hieronymi, discipulorumq; eius, & Innocẽtium sepulchrum in eodem templo. Sumpto in Bethlehem prandio, vlteriùs descẽdimus ad duas elegantes Oleas & Ficus, apud quas Angeli Christi natiuitatem pastoribus annunciarunt: fuit istic olim sacellum , sed nunc dirutum,sola fornice restante,in qua Maron,Tragoriganũ Zigis,Thymbram, Onitin,& Heracleoticum Origanum obseruaui. Maturè in monasterium regressi , accinximus nos ad profectionem in Hebron,quod ab Hierosolyma septẽ aut octo miliaribus distat: semper verò in Hierusalem inueniuntur muli & asini conductitij. Discessimus ex Bethlehem ante lucem, & per loca montana & admodum difficilia sa-

*tis maturè in Hebron peruenimus. Sepulchra Adamì, Abrahami, Isaaci & Iacobi sunt in Mesqueda Turcarum, quæ per foramen in muro factum Christianis videre licet, minimè autem Mesquedam ingredi. Iudæi nobis persuadere volebãt, regione quadam supra Hebron alios Iudæos habitare, à quibus litteras acciperent sæpissimè, non tabellariis Iudæis, sed exteris: quoniam transeundus est amnis sine intermissione fluens, die Sabbati excepto, quo eius alueus omnino exsiccatur: & quandoquidẽ tali die ipsis iter facere non licet, nec is amnis nauigabilis sit vt alio die traiicere queant, mutuo conspectu frui nõ possent. Iam illud mendacium esse liquidò constat, tametsi non recens: nam Plinius simile quidpiam scribit lib. 31. cap. 2. In Iudæa, inquit, riuus sabbatis omnibus siccatur. Cùm autem in Iudæa essemus, verum id non esse comperimus, quemadmodum neque illud quod plerique arbitrantur, Iudæos singulis diebus Veneris sacri, profluuio sanguinis laborare: nam nos tali die cũ iis versantes, simile quidpiam non deprehendimus. Nobis porro demonstratus fuit locus in quo Abraham tres vidit & vnum adorauit, extra pagũ Hebron, ad agri cuius piam fossam in quo Adã creatus dicitur: hunc notat terebinthus triplici caudice ex vno trunco prodeunte. Hebron rudera indicio sunt, frequentiùs olim habitatum fuisse, quàm nunc sit. Redeuntes Hierosolymam, defleximus ad fontem quem signatum appellant: in itinere similes stirpes obseruauimus, quas prius in Rama, & Hierusalẽ: deinde per pagũ trãsiuimus vbi D. Ioannes natus est, & tẽpli cuius dã à Christianis olim istic ædificati ruinas vidimus. nunc ab Arabibus incolitur, in quo cisternæ lacuũ in formam exstructæ: nam fonticulus est perennis. Suprà locus, vbi * Anna Elizabeth visitauit: tumulus is est multis oleis constitus. Eo die sub vesperam in monasterium Franciscanorum rediimus, & istic pernoctauimus: postridie, visitatis*

* forte legendũ Maria

sigil-

sigillatim omnibus in vrbe rebus, in sepulchrum Domini cubitum nos contulimus: peregrinis etenim licet cibos eo inferre & per triduum hærere, si volent, aut quotiescunq. lubebit ingredi, modò (vti diximus) nouem ducatos persoluerint. Hierosolymitanæ plateæ, in quibus mercatorum tabernæ, in fornicem tectæ sunt (vt in reliquis Turcici imperij vrbibus) atque anteridibus postica parte firmatæ siue fultæ. Hierosolyma Sangiaci sedes est, qui certo numero Spahiz, hoc est, equitũ præest: Sangiacus autẽ Regionis præfectũ significat. Spahiz verò non liberè vagantur per pagos Hierosolymæ vicinos, rustici etenim eos ferre nolunt, sed in vrbe apud Sangiacum versantur. Cæterùm mirum est Sangiaci munus adeò esse mobile apud Turcas. Nam sæpissimè accidit, vt qui per semestre duntaxat ciusmodi munere in aliqua vrbe functus sit, ad minimum Turcici Imperatoris mandatũ, alteri cedere cogatur. Atque interdum contingit vt qui ex Africa in Europam vel Asiam ablegatur, consumpto ferè semestri in itinere, antè quàm cum sua familia perueniat ad locum sibi præscriptum, si paulo pòst in alium locum ablegetur, nõ renitatur: eaque ratione hinc inde discurrendo, perpetuò motoriã aget vitam, non minus quam omnes munere aliquo fungentes & milites Turcici. Sunt verò circiter duodenæ Sangiacorum præfecturæ, per Syriam, Iudæam, & Damascum, quæ donantur intimis aulicis Bassarum Constantinopoli hærentium. Ad eos enim ablegat Turcarum Imperator quos promouere vult: eamq; ob causam permutãtur præfecturæ ex Superioris voluntate. Possent itaque huiusmodi munia comparari cum Prouinciarum præfecturæ donationibus, nisi hæ donationes perpetuæ essent: Sangiacorum autem præfecturæ donantur, permutantur, & adimuntur pro Principis arbitrio: singuli enim ad sublimiora adspirãtes, obseruãt, muneribusq; demerentur Bassas, vt eorum opera, opinionis

obtinere queant præfecturas: sicq; gradatim subeunt, pro fauoris ratione, quem aucupari possunt: cuius rei documentum nobis dedit Sãgiacus qui tũ temporis Hierosolymis præerat. Nã postquã anno in Tana vrbe egisset extima Euxini ponti, facta permutatione in Peloponesum ablegatus fuit, & inde post semestre Hierosolymã. Hunc exempli causa in medium adduximus: quoniam reliquorum Sangiaci officiorum eadem est ratio.

CAP. LXXXVIII.

Terrestre iter ab Hierosolyma Damascum, quæque arbores spinosæ Hierosolymitano agro frequentes sint.

PERQVIRENTES circa Hierosolymitana mœnia stirpes, Hyoscyami genus obseruauimus Europæ ignotum. Diligenter autem examinatis spinarum generibus, quòd certiores fieri cuperemus è quanam spina contexta fuerit corona, Christi capiti imposita, nullóque frutice spinoso frequentiore inuento quam Rhamno; arbitramur coronam ex eo contextam fuisse: nam neque rubũ, aliúmve spinosum fruticem istic crescentem inuenimus, præter paucas Cappares spinosas. Cùm autem Itali Rhamnum vulgariter appellent Spina santa, præsertim circa Maceratam & Pisaurum (vbi sepes eo constant, quemadmodum Hierosolymis) hoc loco id subiicere voluimus: huc accedit, quod veteres Auctores Arabes, fruticem è quo contexta fuit Christi corona, Alhanſegi appellent, quod vocabulum Latini interpretes Coronam spineam verterunt. Fructiferæ istic arbores proueniunt, Ficus, Olea, Punica malus, Ziziphа, Prunus. Cùm verò lignarij mercatores in vrbibus varia lignorum genera adseruare soleant in suis ædibus & fabrorum tabernis: vix suspicari licet, ex altero quàm suprà memoratarũ arborum ligno, Crucem fabricatam fuisse. Rebus ad profectionem para-

paratis, discessimus die Martis sub vesperam Hierosolymis, peruenimúsque in Car-bassara ferè dirutũ, contiguum perenni fonti, in pago Elpira nuncupato, duobus ab Hierosolymis cum semisse milliaribus distante. Huius pagi rudera, celebrem & magnum aliquando fuisse declarant: fertur ex eo loco rediisse Hierosolymam Diua Virgo, vt Christum quæreret, dum istic hæsisset vt in templo cum Doctoribus disputaret. Fœcundum est hoc solum vitibus, ficubus, & oleis. Media nocte inde descendentes & ad Septentrionem tendentes, per agros Sesamo & Xylo consitos iter fecimus, montésque circumquaque habuimus Esculo, Aria, Ilice, & Coccigeris fruticibus virentes, quibus Cocci grana incolæ colligunt, Venetisque mercatoribus venundant, qui ea undique conquirunt. Obseruauimus etiam Elæprini siue Alaterni arbores, Terebinthos, Andrachnes, stirpes Tragorigani, Serpilli Zygis, Onitidis, Mari, & Libanotidis quasdam species: ne quis verò ægrè ferat si per Libanotidem haud intelligimus Rorem marinum; quoniam eius duntaxat quinta est species. Sensim semper descendentes (est etenim Hierosolyma edito loco sita, & vndequaq. ad eam itur, perpetuò, ascendendum est) admodum properabamus, quoniã nostra iumenta in vrbe quieuerant: peruenimus itaque meridie Napolosam, quæ nostro iudicio antiquitus Sichar vel Sichem dicta fuit, in Samaria sita, postea Neapolis appellata; apud quam octaua milliaris parte in valle conspiciuntur rudera exigui cuiusdam templi, vbi puteus fuisse perhibetur vnde Samaritana aquam hauriebat dum Christus ab ea peteret: nunc vacuus est solùm locus in agro ad regiæ viæ dextram Napolosa egressis, vbi reliqua diei parte perstitimus sub Mori albæ arboribus. Napolosæ vicini colles fructiferis arboribus egregiè exculti sunt. Oleæ in magnam crassitiem adolescunt, viscoque rubris baccis præ-

dito onustæ sunt, quemadmodum Hierosolymitanæ, non adeo tamen feraces, vt quæ graciliores ramos habent. Albæ mori arbores colunt ad bombyces alēdos, quemadmodum & pumiliones ficus. Ficus porro Aegyptiacæ & Arabicæ non minus fere ex succū gignunt fructum quàm Sycomori.

CAP. LXXXIX.

De Nazareth vbi Diuæ Virgini amuntiauit Angelus, ipsam Christum parituram, & viri Arabis descriptio.

EST Napolosa in accliui collis sita, castellúmque habet vetustum: quótque Hierosólymam proficiscentes aut inde redeuntes istac iter faciunt, binos in singula capita ducatos pendere necesse est. Nos igitur diu ante lucem inde digressi, per montes & valles iter fecimus, fontibus & riuulis è montibus labentibus irriguas: norunt etenim incolæ per canales hinc inde distribuere, vt fœcundius solum reddant: sub vesperam in Nazareth peruenimus, exiguum pagum inter colles irriguos situm, Galileæ regione. Quidquid diei supererat, in Nazareth visitando insumsimus, & locum in quo Angelus D. Virginem salutauit vidimus, sacellum videlicet exiguum in fornicem exstructum, quo per gradus descendendum, nam subterraneū est: templi etiam cuiusdam olim à Christianis dum eam regionem possidebant, exstructi rudera istic conspiciuntur. Nazareth ab Arabibus incolitur, viris brenibus & gracilibus, vt sunt reliqui Arabes. Eorum vestis, talaris tunica est, ad suras vsque demissa, pilis caprarum contexta, albóque & nigro coloribus distincta, atque sine arte ruditer consuta, quam cingulo coriaceo quatuor digitos lato præcingunt, cuius fibula quo latior est, eo magis se exornatos putant. Falcatum pugionem, non à cingulo pendentem, sed à cingulo lateri adstrictum gestant: interula talarem vestem longitudine superat & ad talos demittitur, manicis admodum latis & vestis

manu-

manicas excedẽtibus: pilei acuminati, & replicati instar pilei Ducis Veneti, colore nigro (ad Aegyptiorum differentiã, qui rubri sunt) & crasso panno Xylino inuoluti: nullus braccarum caligarúmve apud eos vsus sed sólæ mulieres eas gestant, quemadmodum Turcicæ: Cothurni prælti ad talos vsque. Cùm iter aliquò instituunt, singuli vel plures, pacis vel belli tẽpore, hieme vel æstate, dextrũ brachium manica exerunt, humeróque cum dimidio pectore nudo incedunt, vt, si necesse sit, facilius arcum intendere queant, & ad pugnam expeditiores sint: tum etiam vt animosos se esse demonstrent. Opulentiores laneo pãno amicti sunt: alioqui abs ceteris, quorum iconem hîc subieci, non differunt.



Eorũ arcus & pharetræ à Turcicis differunt, & Græcis similiores sunt: nam Turcici Asiatici breues, affabrè facti, incurui & validè tensi sunt: Cretenses, cùm qui in Spha-

Sphagia adiunctis hirci feri cornibus, tum qui in Candia vrbe additis bubali cornibus conficiuntur, Turcicis maiores sunt, crassioréque & longiores sagittas requirunt: sic etiam Arabum arcus Turcicis cùm sint maiores, longioribus sagittis opus habent, cùm illorum breues sint. Tartarorum & Wallachorum arcus, illos adhuc superant latitudine & longitudine: attamen molles sunt. Turcæ, Cretes, Arabes, Tartarique arcubus glutino paratis vtentes neque cornu brachiali, neque chirotheca opus habent, quemadmodum Angli, Brasiliani, aliíve qui ligneo arcu vtuntur: sed annulus eboreus, corneus, aut buxeus, eorum vicem supplet (auctoritate pollentes aureum gestant, vel argenteum, splendidis lapillis exornatum) non recenti inuentione, sed antiquissima: nã veteres medici Græci, atq. ipse Galenus, eius gutturis partis, quæ Latinis Larynx, Gallis La luette *dicitur, formã exprimere cupientes, parem illam faciunt annulo quem Thraces sagittas excutere volentes, pollici indunt, atque adeò annulus quem Turcæ in pollice gestare solent, dum iaculantur, laryngi omnino similis est.*

CAP. XC.

De lacu Genezareth, vel mari Tiberiadis.

HAVD *procul inde digressi, ad maris siue lacus Tiberiadis littus peruenimus, in quo Cyprini, Lucij, Tincæ, & Cheuesnes Gallorũ, siue Squalo Romanorum & Venetorum, capiuntur: prætergressíque sumus collis illius radices, vbi Christus quinque millia hominum pauit quinq. panibus hordeaceis, & duobus pisciculis. Toto illo die per steriles agros iter fecimus, exceptis humidioribus quibusdam locis, quibus incolæ colocasias, brassicas capitatas, betas crassa radice præditas, cepas, allia & paucas musæ stirpes colunt. Planicies circum Tiberiadis lacum Napecæ arboribus abundat, caduæ siluæ celsioris*

floris in modum, fructum proferentibus dulcem & edulem: adeò autem spinosæ sunt hæ arbores, vt agros sicciores corruperint, ne seri queant: huc accedit quòd incolæ fœcundiore solo abundantes, faciliora humidioráque loca solummodo excolunt. Per pagum Capharnaum, multis fontibus irriguũ, iter fecimus: & Tiberiadis lacus ambitum contemplantes Galileæ regionem, & Bethsaidæ vbi D D. Petrus & Andreas nati erant, pagum conspeximus, similiter & Chorozaim, cui Christus imprecatus est. Pagi illi nunc à Iudæis incoluntur, qui circum lacum passim ædificarunt, & ob piscationes istic constitutas, loca antea deserta, incolis frequentiora & cultiora reddiderunt. Hic lacus non adeò latè patet, quin terræ circumquaque conspici possit. In Car-bassara amni Iordani vicino, quem lapideo ponte superauimus, sub noctem venimus: Arabes nobis vim inferre voluerunt; sed strenuè illis restitimus. Non procul absunt ab eo Carbassara pagi: eã ob causam rustici venalia nobis attulerũt oua, gallinas, panẽ, ficus, vuas passas, ziziphaque alba & rutila. Postridie mane digressi, per saxosa asperáq. loca iter fecimus, vnde ea regio Thrachonitidis cognomen accepit. In ea prouenit Ilex coccigera, Esculus, veteribus Græcis πλατύφυλλος dicta, nũc Velaguida: *glandem fert magnã, columbini oui crassitie, qua etiam panis penuria homines vesci queant, nam aliquantulum ad castaneæ saporem accedit: sed ea perit, quoniam sues non alunt. Sub meridiem in planicie venientes, pluuia nos oppressit, quæ ad noctẽ vsque duranit, donec ad Car-bassara quoddam tribus à Damasco milliaribus peruenieremus. Tentoria fiximus ad pagum Car-bassara vicinum; quod à multis viatoribus maturè occupatum erat, imbre illos ne abirent, istic detinente. Postridie bene excultos & feriles agros inuenimus, atque frequẽtes pagos: ad sinistram autem Tripolitanos montes iam niue obsitos, & Phœniciam*

ciam cõspiciebamus. Antè quàm in planiciem descenderemus, & adhuc in editiore loco consistentes, Damascum vrbem commodè videre poteramus: depresso etenim planóque loco sita est: at ob salices populósq. cùm albas tum nigras per planiciem crescentes, in media silua posita videtur. Vniuersam verò planiciem irrigantes riui è montibus labẽtes, & per canales distributi, fœcundiorem eam reddunt, & eleganter cultos hortos efficiunt. Dominica die satis maturè Damascum peruenimus; sex enim duntaxat dierũ itinere distat ab Hierosolyma, eamque ob causam binos aut ternos ducatos pro singulis iumentis sõlummodo persõluendum est.

Cap. xci.

Rerum in Damasco obseruandarum descriptio.

Chrysoroas fluuius tantam aquæ commoditatem Damasci incolis præbet, vt singuli ferè fontem habeant, cùm in ædibus tum in hortis. Vrbis plateæ angustæ sunt & flexuosæ: forum quod ipsi Bazar vocant, elegans est, & supra contectum ædificia sic satis probè exstructa sunt: sed maximam elegantiam his addunt porticus pilis sustentatæ, ad fugiendum æstum aptæ. Duplici muro vrbs cingitur, quemadmodum Constantinopolis. Vtriusque muri turres vicinæ admodum sunt: nam inter binas orbiculares, eásque inæquales, tertia maior, eaque quadrangula media est: vrbis fossæ altæ non sunt, sed in iis albas moros colunt bombycum alendorũ gratia. Parua arx quadrangula extra mœnia sita est, quæ tamen mediam vrbem occupare videtur: nam suburbia vrbe duplo ampliora sunt, fóráque in suburbiis habentur: sed ipsa fori loca intra mœnia sunt. Vrbis portæ ferreis laminis tectæ sunt: Cairi verò corio. Ad Orientem turris est quadrangula, cuius fastigium inscriptionem habet Arabicis characteribus expressam, quam istic positam ferunt pòst quàm Damascus Christianis adempta fuit: nam

nam paulo infrà conſpiciuntur bina lilia marmori inſculpta & ad eorum latus leo, quod multis occaſionem præbuit exiſtimandi inſignia eſſe Galliæ vel Florentiæ. Opificum tabernæ Cairinis ſunt ſimiles. Cùm Medici ad ægrum euocantur, ipſimet medicamenta conquirunt: cum ægro etenim paciſcũtur, & pro morbi ratione ſe eũ curaturos recipiunt; neque integram ſummam perſoluet æger, quin primùm morbo liberatus ſit. Videntur itaque proximam medendi rationem ſequi, quæ in vſu erat apud veteres Græcos & Arabes, qui chirurgicam & pharmacopœam ipſimet exercebant. Non negamus tamen quin magnus honos ſit illis habitus, quemadmodum & nunc; ſed fieri poteſt vt non adeò frequentes fuerint: quemadmodum pauciores tum erant aduocati & cauſidici, quàm nunc conſpicimus. Ceterùm quemadmodum hominibus tria potiſſimùm in hac vita curæ ſunt, anima, corpus, & facultates; animaq; ſit in homine pars potior & magis diuina: ita ſinguli ſalutis curam habentes, etiam Ethnici, Theologos ſumma in veneratione ſemper habuerunt. Ab anima cùm corpore nihil homini ſit carius, & eius integræ valetudine, Medici ſemper in honore fuerunt: nam cùm ſanitas facultatibus præferatur, homines facultatibus quàm vita priuari malunt. Volentes autem conſeruare facultates quas ſuo labore & induſtria adquiſiuerunt, iisq; pacifice frui, Cauſidicos & alios Iuſtitiæ adminiſtros venerati ſunt, in quorum ſalarium facultatum partem libenter expendunt, vt reliqua pacificè frui queant. Antiquitus, vti nec nũc, Reſpublica bene inſtituta tribus iſtis ordinibus nunquam caruerunt: at in aliis regionibus eorum numerus non eſt adeò adauctus veluti apud nos. Apud Turcas nullo opus eſt lictore ad aliquem in ius euocandum. At ſi quiſpiam alium Iudici iſti volet, illum ipſemet adeat, atque dicat, vt ad Dei iuſtitiam veniat: ſi qui alij Turcæ præſentes ſint, refragari non audebit,

debit, sed statim cum aduersario judicem, qui toto die sub tecto prominente apud suas ades sedet, adeuntes, causam coram ipso disceptabunt; Iudex verò illico pronunciabit pront illi æquum videbitur: itaque neque solicitatoribus, neque procuratoribus, neque aduocatis egent. Qui simplicia medicamenta venalia proponunt, composita etiam habent: nam in eorum tabernis inter reliqua obseruaui Confectionem Anacardinã, Mithridatium, Theriacam, Philonium, confectionem Hamech, mel rosatum & violatum, conseruam rosarum & stœchadis, lohoc de pulmone vulpis, oleum absinthij, spicæ, & mẽthæ. Merces venduntur ad ponderis genus quod ipsi Rotulo appellãt, septem libras pendens; cùm Damasci, tum in Syria, atque etiam in Aegypto. Nostra Damascena prũna (parua illa nostratia dulcia, vulgariora & meliora, quibusque frequentius vtimur; intelligo) iis quæ istic leguntur, similia non sunt. Nam Damasci nata, istic caro venduntur, & inglande maiora sunt, firma carne, dulci sapore, cui admixtũ sit nonnihil acidi, nucleo longo & plano potius quàm crasso & rotundo: ea verò duntaxat sicca vidimus, quia maturitatis tempore ibi non fuimus. Tabernæ sunt Damasci in quibus solùm expurgatur Xylon, & à suo semine seiungitur. laminam ferream pedem longam, duósq; digitos crassam habent, qua Xylon in assere premunt: semẽ quod rotundum est, fugit ferrum, eáque ratione ab ipso Xylo secernitur. Equos & camelos eruiala & eruo alunt, paruis leguminibus, satis in Gallia vulgaribus, licet Gallicum nomen nondum inuenerint: cumq; ea decorticata & rubescentia videremus; haud quaquam agnouissemus, nisi integra proposita fuissent. Saccharum Alhasur nuncupatum, in Ægypto nascens, in planta quadam, ope vermiculi cuiusdam scarabeum amulantis, qui se eo inuoluit & habitaculũ conficit, magno est in vsu Damasci, quemadmodum & in reliquo

liquo Turcæ dominio, sic vt nemo sit qui illud Turcica appellatione Tegalia nuncupare non norit. Cogitur in globulos auellanæ magnitudine, à saccharo albo discrepans, quod comestum vel bibitũ, sitim sedat: Arabes verò auctores etiam testantur album saccharum sitim magis augere quàm sedare. Saccharũ Alhasur recens adeò temperatum est, vt sitim illicò sedet, & tussim breui curet. Magnus est Damasci Iudæorũ numerus, qui seorsim habitant, quemadmodum Auenioni; Armeni verò & Græci hinc inde per vrbem liberam habent habitationem; Veneti istic Præfectum quendam tamquam Consulem vel Prætorem alunt mercimoniorum causa. Is solet Venetiis secum abducere omnis generis opifices, quorũ opera vti possit, nempe sartorem, sutorem, & alios multos similes opifices: præterea Medicum, Chirurgũ, & Pharmacopæũ, more patrio vestitos. Damascus est sedes Bassæ, veluti Cairum; in vrbe tamen non habitat, nec in arce propter rebellionis metum. Quidam etenim ex eius antecessoribus tam callidè in plebis gratiam se insinuauerat, vt dominium occupare cogitaret: atque in aciem cum suis militibus progredi nõ dubitaret aduersus eos quos Turcarum Imperator ad eum debellandum miserat. Pollicitus ille fuerat suis militibus, se Iudæos prædæ expositurũ: sed cũ hoste congressus, superatus & profligatus fuit: quod Iudæis ingentem lætitiam peperit; in cuius rei memoriam is dies quo Bassa fugatus, solennis apud eos singulis annis celebratur, eaq; victoria in ipsorum annales relata: imò etiam nunc gloriantur, Turcorum Imperatorem ideò victoriam obtinuisse, quòd is Bassa eos expilare constituisset. Nullus Iudæorum est, qui non speret Hierosolymam in eorum potestatem rediturum: ea de causa in annales referunt omnium rerum euentus. Syriaci arietes adeò longa cauda non sunt præditi vt Aegyptiaci; sed minus latam & crassam non habent. Frequens istic est gummi

Chondrillæ vſus, & aromatis inſtar vulgò venale eſt: nã mulieres illud maſticare ſolent maſticis loco. Coït iſtud gũmi vermiculi cuiuſdã artificio, qui Chõdrillæ radicem erodit & terebrat; ex qua deinde lacteus ſuccus emanans, cõcreſcit magnitudine exiguæ nucis Põticæ: legitur deinceps ab his qui per arua perquirũt, & vrbiũ mercatoribus vẽditur. Quemadmodũ porrò Cretẽſes mulieres, quæ Chondrillæ gũmi vſum ignorãt, Chamæleonis albi gummi vtuntur, & Chij inſulæ incolæ maſtice; ſic Perſis terebinthinæ vſus familiaris eſt: mãdi etenim poteſt, nec dentibus inhæret, neq. in ore diſſoluitur, vt ſuprà memorata.

CAP. XCII.

De luſtratione eorum qui turmatim ex Damaſco diſcedunt, vt Mecham proficiſcantur.

DVM Damaſci hæreremus, Carauannæ apparatum vidimus, quæ Mecham profectura, hoc eſt, in Mahumetis honorem profectionem ſuſceptura luſtrabatur. Magna eſt hominum caterua quæ ſingulis annis hanc profectionem ex Damaſco ſuſcipit, in qua ſingula, interdum bina, nonnunquam & terna hominum millia ſunt. Sed ante diſceſſum luſtrationem facere ſolent elegantem ſanè & ſpectatu dignam: magno etenim cum apparatu & pompa fit. Turcæ Europæi hoc iter ſuſcepturi, duplici ratione id conficere poſſunt. Nam vel Conſtantinopoli ſoluentes, Cairum nauigant, ſingulis enim annis Carauanna inde Mecham proficiſcitur; vel Damaſcum petunt. Aſiatici verò multo commodiore ratione id iter per Damaſcum conficere poſſunt quàm per Cairũ. Primùm camelos conquirunt, præcipuum profectionis fundamentum, quoniam diu ſitim ferre poſſunt, & per ſolitudines iter faciendum: ea de cauſa equis, qui ſitim ferre nequeunt, in hac profectione minimè vtuntur. Præcipuum autem totius pompæ ſpectaculum eſt, thecam conſpicere, ſua pergula elegantèr fimbriata tectam, dorſóque cameli impoſitam, in qua Alcorani liber, Mahumetis

legem continens, reponitur puluinari incũbens, quã multæ Mahumetis prophetæ comitantur. Nobiliores Damascæ vrbis incolæ, quales sunt Sangiaci & Bassæ, Spahis, aliiq. nobiles Turcæ, ad lustrationem per vrbem faciendam suos equos illis præbent. Inter reliqua equorũ ornamenta caudas habent bouis Indici, pilis admodũ tenuibus & candidis, tanti apud eos precij, vt singulæ quatuor vel quinque ducatis æstimentur: eam ob causam satrapæ duntaxat iis vtũtur, qui equorum gutturi eas appendũt. Elegans spectaculum est, conspicere satrapam aliquẽ Turcã equo insidẽtem: nã stapedes admodũ latos habẽt è breuibus loris pendentes, calcaria rotulis carentia, acinacem sub femore ephippio applicatũ gestant, & exiguum aliquod flagellũ in manu: vt autem faciliùs intelligi id queat, similem equitem satrapam cũ ornatu patrio hìc exprimi curauimus.

Circassi siue Arabis satrapæ equitis icon, qui, cùm Sultanus in Aegypto rerum potiretur, omnium opulentissimi erant.



Tibicines & tympaniſtas comites in Caranana adſumũt, & circiter vicenas bombardas cãpeſtres, quas Galli Fauconeaux appellant, vehunt ad totius Caranannæ ſecuritatem, ne per ſolitudines ab Arabibus latronibus ſpolientur. Pompa hæc triduum durat: ſed per integrum menſem comparãt ſibi edulia ad eam profectionem neceſſaria: eapropter pleræque tabernæ ſunt Damaſci, vti in Cairo, in quibus nihil aliud fit quàm cicer, vulgari Græco nomine Eruithia *ab illis nuncupatum: frigitur in patulis æneis palis: quod iis maximè conuenit qui longinquam ſuſcipiunt profectionem: ſumunt etiam biſcoctum panem, & ſale conditas carnes, deinde reſiccatas, uuas coctas, orizam, bouhourt & tracana tritici genera lacti incocta, deinde reſiccata.*

CAP. XCIII.

De Damaſci ædificiis, aliiſque ſingularibus rebus.

NVLLÆ ſunt Damaſci ſilueſtres aues magis inſignes quàm eius regionis perdices: minores eæ ſunt rubris & cinereis. Dorſi & colli colore gallinaginẽ ſiue ruſticulam æmulantur, alis verò alius ineſt color: nam qua corpori iunguntur, albis, fuſcis, & fuluis pennis integuntur; decem verò remiges pennæ cinerei coloris ſunt: alarum pars interior & venter albent, torquẽ habent in pectore vt merula torquata, vel tetrax, rubro & fuluo flauo coloribus conſtantẽ: alioqui capitis & colli inferiore parte, roſtro & oculis perdici ſimiles, breuiſq. cauda. Eam inter alterius ortigometræ ſeu perdicis ruſticulæ, aut Pluuier Gallorum genera repoſuiſſemus, niſi crura haberet pẽnis veſtita, vt Allobrogica perdix alba, quæ lagopus eſt, vel columba plumatis pedibus. Inſignis, magna admodum

dum & elegans Damasci est Mesgueda, tum etiam Basestan, locus in quo venduntur exquisitissimæ & magni precij merces, vt sericea stamina omnis generis colorum, ex auro & argento confecta monilia, gemmæ Orientales, acinaces, ephippia, frena, aliaq; eiusmodi magni precij opera, tum etiam mancipia masculini & fœminini sexus. Omnia apud Turcas proclamando venundantur: nullumq; istic est oppidulum quod suum Basestan non habeat, nec pagus in quo non sit forum Bazare illis dictum. Damasci ædificia eadem symmetria sunt exstructa cum Cairinis, ad frigidiorem auram excipiendam optimè accommodata. Quemadmodum autem in Septentrionalibus prouinciis vaporaria fiunt, quo se à frigore commodiùs tueantur: sic Damasci ædificia porticus in modum sunt exstructa, fenestris vtrimque satis depressis, vt humi desidentes facilius aërem frigidiorẽ excipere queant. Vuæ passæ quæ ad nos in platini pyxidibus adferuntur, veræ sunt Damascenæ vuæ, quas Arabes Zibeben appellãt. Nullas in Damasci regione ferri fodinas esse arbitror, ex quo chalybs liquetur, vt plerique arbitrati sunt; diligenter enim inquisiuimus: sed is qui Damascenus cognominatur, istic solummodo repurgatus est. Ferrum, chalybs, æs aliunde delata, istic temperie & præparatione perfectiora redduntur: insignes enim sunt artifices in ære & chalybe sculpendo. Propterea ærea, chalybea, & cuprea opera istic facta, statim Cairum aut Constantinopolim deferuntur: hinc fit vt plura huiusmodi opera Constantinopoli reperiantur, viliorique precio comparari queant quàm Damasci: simulatque enim opifices aliquod opus singulare absoluerunt, à mercatoribus redimitur, qui Constantinopolim id deferri curant. Secundo riuo Chrysoroas veteribus appellato, qui vrbem perfluit, cuiusq; pars planiciem irrigat, ad hortos extra vrbem sitos peruenitur. Falluntur qui illum Iordanis esse caput

existimarũt. Sæpiùs diximus, per vniuersum Turcarum imperium, nullum esse diuersorium: eamq; ob causam elegantia ædificia Car-bassara dicta Damasci, in Cairo & reliquis Turcici imperij vrbibus conspici quæ Arabes Kan vocant. Instar magnorum horreorum exstructa sunt, quibus omnes viatores, cùm exteri, tum inquilini, excipiuntur, nullo vel admodum exiguo persoluto precio.

CAP. XCIIII.

Iter è Damasco in Libanum montem.

REBVS ad itineris continuationẽ Constantinopolim versus præparatis, serò admodũ vrbe egressi sumus, adq; Septentrionem tendentes, ad radices proximi montis, ex quo defluit riuus qui vrbem perfluit, duntaxat progressi sumus, isticq; sub dio tentoria fiximus. Postridie montem præcipitem conscendimus, & in eius culmine constituti, vrbem conspiciebamus latè patentem & nostro iudicio magnam: nam horti varij generis arboribus consiti, simul cum vrbe commixti apparent in eleganti illa planicie, egregieq; rigantur à riuo, qui tanto impetu ex monte deuoluitur, vt vicinis locis strepitus exaudiatur: at postquam in planiciem descendit, adeò tẽperatè fluit, vt duci & in plurimos eanales distribui possit pro incolarum arbitrio. Hanc etiam laudem semper obtinuerunt, hortos optimè excolere: quod non ignorauit Plinius, qui ait Syria in hortis operosissima. Planiciem elegantiorem & fecundiorem videre non memini: summa etiam diligentia & cura adnituntur incolæ vt fecunda reddatur. Superato monte, colliculos reperimus multis pagis frequentes, vbi terra magna diligentia exculta est: solum etiam cùm sit pingue, vberius illud reddunt, deducta circa istos colliculos aqua. Vitium stipites admodum crassi sunt, atq;

que palmites latè extendunt: nec ignorant incolæ qua ratione eas colere debeant: nam tanto interuallo conserunt, vt facilè carrus inter illas duci queat. Non mirum est igitur, si vuæ adeò magnæ sint, vinumq; tam generosum præbeant; quemadmodum mirari non decet, si in nonnullis regionibus vinũ adeò tenue sit vt aqua videatur, cùm incolæ vites tam contiguas serant vt, inter eas pedis vestigium vix figi possit ad illas excolendum. Aratra in planis Syriæ à nostratibus differunt: nam duo asini vel imbecilles boues aratrum sine rotis è populea materie confectum, duplicique vomere admodũ leui constans, sine buride trahere queunt: itaque non difficilis est aratio, cùm soli superficiem duntaxat scalpant: domũ redeuntes aratrum humeris impositum referunt. Plinius id etiam innuit, Syria, inquit, tenui sulco arat. Differunt autem Syriacæ vites à Hierosolymitanis, quod Syriacarum stipites quatuor ferè cubitis in altum attollantur, quinaq; vel sena sarmenta habeant crassa in longitudinem, vtrinque expansa, & palis serie quadam dispositis sustentata, inter quæ aratrum duci queat: Hierosolymitanæ verò sine pedamentis per se magna ex parte subsistũt, nec per series dispositæ sunt. Longius progressis iam Libanus mons niue obsitus apparere incipiebat: atq. in itinere eupatorium Mesuæ, absinthium Ponticum, centaurium minus, ziziphа alba & rutila, populi genera, & cedri pumilæ duo genera, videlicet oxycedrum, & eam quæ foliis non pungentibus sed obtusis constat, reperimus. Incolæ pyros, malos, armeniacas & amygdalas alunt. Nocte in pagũ Calceos nomine peruenimus, & in Car-bassara fornicato atque in solida rupe inciso (veluti sunt reliqua eius pagi ædificia) noctem traduximus. Postridie, itinere quod in Libanum ducit, insistentes vt Tripolim proficisceremur, Antilibanum Syriæ contiguum ad sinistrã reliquimus inter nos & Phœniciã. Monasterium Caloierorum Ma-

ronitarum & Græcorum in ſummo Libani vertice eſt, qui præaltas Cedros oſtendunt, iis quibus Salomon templum exſtrui curauit, vt perenne eſſet, ſimiles. Sola eſt hæc arbor inter reliquas (abiete excepta) quæ conos fert ſurſum erectos, magnos, duros, & pineis ſtrobilis ferè ſimiles, niſi læuiores eſſent.

CAP. XCV.

De vrbis Cæſareæ, nunc Balbec appellatæ, antiquitatibus.

AB itinere defleximus, vt in Balbec veniremus, vetuſtam & celebrem Phœniciæ vrbem, ad montis Libani radices ſitam. Balbec vicini, in planicie ſepulchrum inuenimus, breuibus & craſſis ex Thebaico lapide columnis ſuſtentatū in faſtigiū aſſurgens. Amœno loco eſt Balbec, ſed nunc ferè omninò diruta: ex ruderibus eam percelebrem olim fuiſſe colligere licet. Superest arx quaſi integra, in qua nouē præaltæ columnæ iis craſſiores quæ Conſtantinopoli in Hippodromo ſunt; alia præterea ſupra vrbē erecta, Pompeianæ apud Alexandriam ferè ſimilis, cuius ſcapo epiſtylium impoſitū eſt quadratum. Multæ ſunt extra vrbem areæ, quadrato lapide ſepulchrorum in modum exſtructæ, quæ Arabicas habent inſcriptiones. Incolæ magna ex parte Iudæi ſunt, aiuntq; Salomonem eam vrbē exſtruxiſſe. Sed Cæſarea eſt Philippi, cuius D. Paulus meminit, apud quā Iordanis fontes defluunt. Mœnia admodum alta non ſunt, ſed ſaxorum materiæ pulchritudine omniū aliarum vrbiū mœnia ſuperant, & ſumptuoſo opere ſubſtructa ſunt, foſſa tamen carent. Antiquitatum ſtudioſus integro octiduo omnia in Balbec ſpectatu digna obſeruare vix poſſet, neque obſeruare potuimus ob temporis angustiam. Vino atque victui neceſſariis comparatis, iſtic prandimus; & ſub noctem egreſſi quandam ſubſtructionem inuenimus ex valida materia coagmentatam ad collis cuiuſdam accliue,

viginti

viginti quinque passus longam, & quindecim latam, sic satis capacem, cuius muri non sunt alti, sed crassitudinis immensæ. Noctu in pagũ Lubon appellatũ vementes antiquam fabricam Romani operis adhuc integram & solido saxo duas orgias lato exstructam vidimus. Egregiam vmbram huic pago præbent vlmi & iuglandes, & riuus ex monte delabens aquam administrat. Inde in planiciem peruenimus; paulóque longiùs progressi, collem subiimus, vbi Arabes inuenimus magno gradu aduersum nos aduenientes, & exertis è manica brachiis, quo faciliùs saxa in nos torquerent; & expeditiùs arcu sagittas emitterent: Turcæ nobis comites additi resistere non volentes secesserunt. Eam ob causam Dominus de Fumet cum nobilibus Gallis eum comitantibus, Arabibus animosè sese opponentes, strenuè eos propulsarunt, aliquot tamen prius vtrinque vulneratis: paulo pòst in planiciem peruenimus illi similem quæ ad Damascum est, in quam deducta per riuulos aqua, agros, vt æquor planos, fœcundos reddunt. Multi pagi hinc inde sparsi conspiciuntur, in quibus arbores diligenter coluntur, præsertim verò morus nigra & alba, quarum foliis bombyces alunt: nigram autem morum & ficum siluulæ in morem cædunt; quoniam folia in virgultis eodem anno natis nascentia teneriora sunt. In itinere denuò inuenimus Eupatorium Mesuæ & Absinthium Seriphium. Rarò per Syriam & Asiam conspicere est ruri elegãtem aliquam substructionem: quoniam magna pars Orientalium hominum, & totius Asiæ, Syriæ, Aegypti & Arabiæ, mancipia sunt, nec ruri magnificè substruunt, vt fit in Europa: (eapropter maxima ex parte regio cultura caret) sed & in ipsis vrbibus substructiones ex vili materia constant. Id verò contingit quoniam nobilitatis ratio non eadem est apud Turcas, quæ in Christianorum prouinciis, vbi ad posteros transmittitur. Sed inter illos qui primam dignitatem secũdum

Turcarum Imperatorem obtinebit, ignorabit cuias sit, & quinam sint eius parentes: imò quisquis ab Imperatore stipendium accipit, tam nobilem se æstimat atque ipsemet sit Imperator: non transit enim nobilitas ad liberos, quemadmodum apud Christianos & Græcos. Verum quidem est nobilitatem nõ æqualiter æstimari in omnibus prouinciis: nam magna nobilium pars in Italia, vt Florentini, Veneti, & multarum aliarum Rerumpublicarum, mercaturam atq. alias res exercent, quas nemo apud nos potest, quin nobilitatis titulum amittat: quod cum his conuenit quæ Herodotus de vetusta Ægyptiorum nobilitate prodidit, qui præ reliquis sese efferebant, quòd mechanicas artes non tractarent, quodq; omnium primi ad bellum gerendum accerserentur, quam nobilitatem à parentibus hæreditario iure accepissent. Quoniã verò Respublicæ diuersas opiniones habuerunt de hominum nobilitate, asserimus illam pro arbitrio æstimari. Aristoteles enim inquit, Nobile id est quod ex bono prodiit genere: generosum autem, quod nõ à sua natura degenerauit. Quasi innuere vellet, qui legitimè vtroque parente natus sit, nec à natura degenerauit, eum esse nobilem: & generosum qui à nobilitate non desciuit. Summo honori sibi cedere Turcæ existimant, Turcici Imperatoris mancipium sese venditare posse: quemadmodum apud nos si quis se Principis famulum iactitet. Quoniam porrò facultatum pars à morte Turcarum Imperatori cedit; qui opulenti sunt, suas facultates in fabricas non expendunt: propterea illorum ædificia duntaxat mapalia sunt, si cum nostris conferantur. Montes itineri vicini frondebant arboribus Terebinthi, Andrachnes, Arbuti, & Elæprini. Mons Libanus quem superioribus diebus prætergressi eramus, iam non cõspiciebatur, atque montibus late hinc inde sese porrigentibus superatis in magnam planiciem ab ipsis inclusam descendimus, in

Cili-

Cilicia sitam. Paululum per planiciem progressi, quieuimus in Car-bassara. Multum itineris eo die non confecimus, quia ante meridiem vulneratorum gratia diuertimus. Ceterùm Asiæ Car-bassara alia ratione gubernantur atque Arabica: nam tanitores illorum, viatoribus hordeum quod Camelis detur, vendũt (auena etenim in iis regionibus non inuenitur,) proque ea re tributum Turcico Imperatori pendunt.

CAP. XCVI.

Antiquum manducandi semina Terebinthi morem etiamnum in Cilicia & Syria perdurare.

CETERVM *rem quæ nobis admirationi fuit, silentio haud quaquam premere voluimus: rusticum videlicet Arabem in proximo pago conspexisse Camelum ducentem, Terebinthi semine onustum, qua arbore vicini montes sunt obsiti, & gummi inde colligitur, quod Damascum venale defertur: nam quod in Cairo venditur, Asamia mittit. Asamiam Turcæ appellant, quam Latini Chaldæam (cuius caput Babylon) totam Mesopotamiam & Assyriam complectentem. Auctorum verò probatorum testimonio euincere possumus, iam plus quàm bis mille annis Terebinthi fructu homines vesci solitos, atque Persas, ante panis vsum eo vitam sustentasse. Adeò exquisito colore cæruleo præditus est hic fructus, vt quemuis alium cæruleũ superet: ea de causa veteres Arabes* Granum viride *appellarunt, medius enim inter viridem & cæruleum color est.*

Terebinthus, cuius meminit hîc Bellonius, alterum peregrini Terebinthi genus erit quod doctissimus vir Leonardus Rauvvolfius Reip. Augustanæ Medicus cap. 8 Lib. 2. Itinerarij sui describit, & in Mesopotamia Armeniaque abundanter crescere asserit, quõdque Bel Serapionis, Auicennæ & Rhasis esse suspicatur.

CAP. XCVII.

De vrbe Hamous, veteribus Emissa dicta.

DILVCVLO *per suprà memoratam latè patentem planiciem iter fecimus, in qua Smyrnium & Leontopetalon inuenimus, & per vrbem ab Arabibus Hamza, Turcis Haman, veteribus Emissa nominatam transiimus.*

fuimus. Huius vrbis mœnia olim ex solido saxo constructa fuêre, quæ etiamnum persistunt: mœniorum ambitu includitur prealtus tumulus ex planicie facilè cõspicuus, in quo arx sita à Romanis olim exstructa. Supereſt adhuc extra vrbem sepulchrum δύσεγον, in Pyramidis quadrangulæ modum fastigiatum, valido cæmento exstructum, in quo C. Cæsaris epitaphium Græcis characteribus inscriptum. Magna est in Haman sericei stamines abundantia: nam bombyces magna cura & diligentia alunt ob riguorum hortorũ commoditatem, in quibus ficum, morum, & alias arbores fructiferas colunt; riui etenim è montibus delabentes, totam planiciem vberiorem reddunt. Istic fiunt strophiola & pepla versicoloribus sericeis & aureis contexta filis: vel ex sericeis staminibus albis, rubris, & flauis, quibus admixta sunt aurea, nomine illius vrbis per vniuersum Turcici Imperatoris dominium celebria. Sita autem est Haman in latè patente planicie, quam elegantes riui alluunt. Mœniorum ambitus adhuc integer ferè est, sed interior vrbis pars omninò corruit, nihilque spectatu dignum restat præter Bazare, hoc est, forũ, & Baseſtan Turcico more exstructum. Ipsa mœnia celebrem aliquando fuisse vrbem testantur: istic victui necessaria omnis generis inuenimus. Quoniam verò per singulas vrbes Græci, Armenij, & Iudæi Turcis permisti sunt, quocumque peruenerimus, vinum perpetuò reperimus.

CAP. XCVIII.

De cauponis Turcicis, in quibus conueniunt vt potionis genus bibant Posca vel Zythum nominatum, à cereuisia differens.

PRIMVM *in Hama obseruauimus, potionis illius veteris, Posca dictæ, conficiẽdæ rationem penitus non intercidisse: imò asserimus, nullam in Asia vrbem inueniri, in qua cauponæ non sint, vbi hæc potio venalis non habeatur. Vulgus* Chouſſet *appellat, veteres Græci Zithum*

thum, Latini Posca dixêre, vel Pusca aut Phusca vt Columella & Suetonius, Serapio & Auicenna etiam meminerunt. Candida est vt lac, densáque, & boni alimenti; valde autem caput tentat & inebriat, si quis liberaliùs sumat. Nonnulli existimarunt Poscam idem esse cũ Oxycrato, attamen differunt: nã Oxycratũ id est quo Graci & Itali nautæ vti solent, quódq. nautarum sex in Venetorũ nauibus & triremibus vulgò bibit. Qui enim mare sulcant, aquã tã diu adseruare coguntur donec plerumq. corrũpatur & fœteat: vt tollatur teter ille sapor eximia in vasis adseruatione cõtractus, nonnihil aceti admiscetur, quod fœtorem adimit, & iucundum saporem conciliat: id Oxycratum est. Zythum verò vel Posca, nunc Posset vel Chousset dicta (à Cereuisia differens quæ veteribus Curmi appellatur, & ex integris vel contritis granis fit) paratur ex farina in massam coacta, quæ in capaci aheno coquitur, ex qua deinde orbiculi confecti in aquam demittuntur, quæ illicò sponte ebullit, & calefit sine ignis adminiculo, atque in densam sorbitionem coit. Eius spuma alba est & leuis, qua Turcicæ mulieres sese illinere solent; erugat enim, teneriorémque reddit cutem, præsertim si in balneis ea sese fricent: quam facultatem veteres in Zitho non ignorauêre. Vt autem euincamus Poscam non esse Oxycratum, vnus Suetonij locus sufficiat, qui refert, fugitiuum Cæsaris mancipium Capuæ deprehẽsum fuisse Poscam venalem habens: certè nisi ea potio aliud quàm Oxycratum continuisset, frigida admodum fuisset eius taberna, exiguúmque feciſset quæstum.

CAP. XCIX.

De vrbe Tarso, D. Pauli patria.

DIV ante lucem ex Haman digressi, in tenebris per locum in colle situm transiuimus, quem Sebastopolis vrbis rudera esse nonnulli existimant, vbi adhuc pleraque re-

Eæ columnæ conſpiciuntur, quas aliqui è Palatij Herodis, alij Herodiani eſſe aſſerunt. Vulgaris tamen inquilinorum opinio eſt, columnas eſſe templi D. Ioanni conſecrati, illique iſtic caput ademptum fuiſſe. Inde in vallem deſcẽdimus, vt lapideo ponte amnem ſuperaremus quem plerique Oroum exiſtimant, alij Irin, alij Martiam: magno impetu labitur, moláſque verſat. Rurſus deinde conſcendendum fuit vt in planiciem peruenirem⁹, quæ, meo iudicio, antiquitus Sabæus campus nominabatur, amplam & vnius diei itinere patentẽ, ab arboribus planè liberam. In ea ſeritur ſeſamum & goſſipium. Poſtea peruenimus in vrbem Hama, ſiue Hamſa, olim Tarſus dictã: à midij diei itinere ab Haman (quã nonnulli neoterici Apamiam veterum exiſtimant) diſtantem. Sita eſt hæc vrbs in valle olim admodum populoſa, vt ex mœnibus latè ſeſe explicantibus, & ruderibus apparet. Arcem habet in collẽ ſublatam, vt ea quæ in Haman eſt. Conſpiciuntur adhuc multæ veteres magnæ prælteq; turres. Nulli regioni commodiùs comparare Ciliciæ regionem in qua Tarſus, quàm Beauſe Galliæ. Verum quidem eſt, ſecundum Cydnum flumen, quod mediam vrbem ſecat, ficum, morum, iuglandem, aliáſque fructiferas arbores prouenire: ſed campeſtria ab arboribus libera. Magna aquæ commoditas qua horti irrigantur, facit, vt hæc regio mediocriter culta ſit: nam cùm fluminis alueus admodum depreſſus ſit, magnis rotis aqua ex eo ſublenatur, & per canales non modò in hortos diſtribuitur, ſed etiam vrbis balneis ſeruit. Habet etiam magnas Meſquedas ſic ſatis bene inſtructas: at priuatorum ædificia hinc inde ſparſa ſunt in colliculis. Fluuius vado ferè ſuperari poteſt: nam cataractis quibuſdam exiguis ſiſtitur, vt per canales molas verſare queat. Propterea paruũ ligneum pontem duntaxat habet. Hama ſiue Tarſus Diui Pauli patria eſt, qui tamen iſtic non natus, ſed pago Giſchali in Gali-

Galilæa apud mare Tiberiadis. Tarsi diu non hæsimus: nam simulatque nostra iumenta pasta fuerunt, iter prosequuti sumus.

CAP. C.

De Ciliciæ planis, deque cisternis in terra reconditis, quæ aqua pluuia implentur.

PER *argillaceum solum & campestria loca latè patentia aquæq; expertia iter facientes, in Beause, vel Lodunensi Galliæ regionibus versari videbamur: nam vix ad orgiæ altitudinem fodere quis possit in Cilicia, quin saxum inueniatur, quemadmodum in Lodunensi tofus. Ciliciæ incolæ, vt commodiùs vitam traducere queant, rationem conseruandæ aquæ in suum & iumentorum vsum inuenerunt: nam cisternas in ipso saxo sub terra excauarũt, angusto superius ore, qua aqua pluuia ingredi possit. Quod si interdũea aqua desit; plus quã quatuor miliaribus inde petenda est. Nullas istic stirpes obseruauimus præter Asphodelum & Ferulam. Licet Cilicia Beause Galliæ similis sit, agricultura tamen differunt, quoniam frequens ea est in Beause, in Cilicia verò propemodum nulla: imò ligna illis petenda sunt è montibus plus quàm bidui itinere inde distantibus. Eius rei penuria, granum quoddam serunt Italis & Gallis ignotum, Sorgo Insubrum fere simile, à quo colore solummodò differt: Sorgo etenim rutilum est, illud verò album. Eius apud Græcos & Latinos Auctores nullam mentionem inuenimus: Arabes* Hareoman appellarunt. Incolæ eius calamos pollicari magnitudine crassos diligenter colligũt, & ex illis ignem, alterius ligni penuria, struunt. Molas domi habent quibus grana conterunt, atque ex farina massam pinsunt duram, quam tenuiter admodum complanatam, radiis solaribus coquunt, aut veteri Romanorum militum more, qui calefactã ab igne tegulæ atque lapidibus vtrinque sustẽtatæ pistam massam complana-*

tam

tam imponentes coquebant. Eadem ratione rustici panem coquunt: at vrbani in clibano. Nos antea illud idem triticum in Epiro nascens obseruaueramus, cuius rustici magnos saccos Corcyram in forū deferunt, quo insulæ illius incolæ columbas alunt. Ea nocte in Car-bassara peruenire non potuimus: nam imber in pago quodam manere coëgit, vbi panem iam memoratum inuenimus, aliósque cibos, vilique precio redemtas gallinas & oua. Postridie summo mane discessimus, vt quod pridie decesserat, compensaremus, & per campestria loca iter fecimus, donec sub vesperam in colliculos incideremus coccigero frutice abundantes, deinde iam nocte ad Marat rudera peruenimus.

* Hæc eo modo illud Bellonij, id ipsum est quod doctissimus vir Doctor Leonardus Rauwolfius Dora ab incolis veteri Arabico nomine & Rhasi Serapionique noto vocari tradit, eleganterque describit cap. 6. Lib. 11. Itinerarij sui.

CAP. CI.

Ruinarum Marat descriptio.

MARAT *fuit olim ampla & elegans vrbs, vt ex eius ruderibus apparet; quam olim Maronias nomine fuisse insignitam, facilè induceremur vt crederemus: nihil tamen asserere volumus. Mirum est non aliter habitari, quandoquidē & fontibus & riuis non destituitur: nonnullæ solummodò Mesquedæ conspiciuntur, & pauca quædam ædificia sub fornicibus. Hîc conspeximus hominem palo affixum Turcarum more: sic enim flagitiosos plectere solent. Nam simulatque qui deliquit, de facinore admisso conuictus est, illius manus & pedes quatuor palis solo defixis alligantur, deinde præacutum palum ligneum ano impositum malleo incutiunt, donec aliqua corporis secundum caput parte cuspis emergat, eáque ratione affixum attollūt & reponunt, expansis brachiis, & pedibus pendentibus. Hoc supplicij genus nouum non est: nam Herodotus de* Scytharum (à quibus Turcæ originem trahunt) sepultura agens, scribit; mortuo quopiam Scytharum*

tharũ Rege inter reliquas ceremonias obseruari solere, vt quinquaginta adolescentes eius mancipia palo per spinæ longitudinem ad caput vsque transfigerent, deinde circum Regis sepulchrum palorũ crassiorem partem & infimam terræ infigerent. Dicimus ergo hanc palis affigendi rationem, suorum prædecessorum consuetudinem respere; quæ tamen quantum ad sepulturam attinet, apud eos amplius non obseruatur. Marat æqualiter distat à Tarso & Halep. Campestria eius regionis loca frumento, hordeo, gossipio & sesamo sunt consita: nullæ autem arbores vel frutices conspiciuntur. Noctem traduximus in Carbassara. Postridie iter fecimus per loca adeò plana, vt æquor planius esse nequeat, ad noctem vsque. Terra eadem ratione excolitur quam de Syria agentes commemorauimus. Præcipuus regionis prouentus est Gossipium & sesamum quod Iunio mense seritur. Non dubito quin tã facilè in Gallia proueniret quàm in Asia, si quis periculum faceret. Cuius rei testimoniũ Italia præbere posset, quæ Romani Imperij tempore sesamo & gossipio consita fuit, nunc verò ne vnicam quidem eorum plantam alit. Gossipium integro semestri in terra non permanet: nam Septembri demetitur, Maio autem vel Iunio seritur: sed singulis annis serendum. Inuenimus tamen in Cairi hortis perenne, & humanam altitudinem superans. Aliud porrò est Gossipij genus quod ex India vel Brasiliana regione defertur, ab eo quod crescit in Asia longè diuersum. Nam Brasilianum, semen habet crassum & nigrum, atque simul in dena vel duodena grana congestum: Asiaticum verò singula grana habet separata. Sub vesperam inuenimus riuum versus Halepum labentem, quo prætergresso, mollius solum desiit, sequutaque est aspera per montes & saxa via: deinde oleas, malos, pyros, prunos, amygdalas, conspeximus. Distat is riuus tribus ab Halepo milliaribus, quò serò admodum peruenimus, &

excepti sumus apud nobilem quendam Venetum, quem Respublica Veneta istic alebat negotiationis gratia.

* Quoniam Bellonius sepulturæ Regum Scythiæ meminit ex Herodoto, ipsius Herodoti in Melpomene siue lib. 4. verba adponere hîc libuit, quæ nonnihil ab his quæ in medium adduxit Bellonius, differunt. Is postquam multa de Regij cadaueris sepeliendi ratione retulit, addit: Circumacto anno, rursus hoc agũt. E famulis Regis intimos sumunt (sunt autem Scythæ indigenæ: nam famuli sunt quos Rex iusserit, nec vllus venalitius ei ministrat.) Horum ministrorum quinquaginta quum strangulauerunt, ac totidem præstantissimos equos, vacuata & purgata aluo, paleis implent ac consuunt: & vbi dimidium fornicis super duo ligna resupinarum statuerint, alterumque dimidium super altera duo ligna, & item alia multa huiusce modi delixerint, tum super ea equos imponunt crasis tignis in longum ad ceruicem vsque traiectos, ita vt priores fornices sustineant armos equorum, posteriores verò iuxta femora suscipiant vteros, vtrisque cruribus superne pendentibus. Equos autem infrenant, eorumque habenas ad palos extentas alligant: dehinc super eorum singulos statuunt singulos quinquaginta iuuenum strangulatorũ, hunc in modum: Vnicuique eorum rectum stipitem per spinam ad ceruicem vsque transfigunt: quod inferius stipitis exstat vtrumque, infigunt tigno illi quo equus traiectus est. His equitibus sepulchro circumpositis abeunt. Hunc in modum Reges sepeliunt, &c.

CAP. CII.

De vrbe Halep, antiquitus Berrhœa dicta: & de Rhabarbaro atque Rhapontico.

HALEP *ab omni antiquitate celebris fuit: nam totius Orientis maximum emporium est, caput etiam est Comagenes. Nomen Arabicum adquisiuisse creditur, quòd quemadmodum Aleph prima Alphabeti littera est, sic Halep primaria eius regionis in qua sita est, vrbs sit. Ex Neotericis nonnulli, veterũ Hierapolim esse existimant: at Gillius Berrhœam esse censet. Carauannæ ex India, Persia, Mesopotamia, aliisque Orientis regionibus aduenientes, in Halep onere liberantur. Qui verò in Indiam, Persiam, aliásque Orientis regiones proficisci cupiunt, semper istic negociatores reperiunt, qui vltrò citroque commeant. Quoniam porrò in eam vrbem omnes totius Orientis merces deferuntur, Veneti Consulem ibi commorantem habent, tamquam Legatũ, qui merces istic comparet, easque ad vicinos maris Mediterranei portus Tripolim & Berytum deuehi curet. Vt autem rerum Orien-*

Orientalium negotiationem commodiùs intelligere queãt, pleroſque ex ſuis liberis iſtic educandos curant, quemadmodũ & in alijs regionibus, vt indigenarũ mores obſeruẽt & linguã ediſcãt. Cùm Carauanna mercibus quibuſvis onuſta Halepum adpellit, vnius diei ſpatio omnes coëmũtur: nam prædiuites & opulenti ſunt mercatores, qui illicò eas redimũt. Maxima pars Rhabarbari quæ in Europam infertur, in Halepo empta eſt; eò enim interdum duodeni cameli Rhabarbaro onuſti, ex Aſamia, vbi diligenter colitur, ſimul adueniunt. Neminem vnquam videre contigit, qui aſſerere poſſet ſe Rhabarbari ſtirpem cõſpexiſſe, de cuius facultatibus Meſuæus auctor Arabs luculentè ſcripſit: Rhapõtici verò, quod Græci adeò commendarunt, nuſquã meminit: ipſe verò qui vel Damaſci vel in Halepo cõmorabatur, ait ſua ætate Rhabarbarum ex India & regione Seni (hoc eſt, ex Aſamia vel Aſſyria) *deinde ex Barbaria & Turcomannia ſolere inferri. Addit præterea, indigenas Rhabarbari fragmenta macerare aqua ſolitos eſſe, ſuccumque exprimere, è quo denſato & exſiccato trochiſcos efformarent, deinde Rhabarbari fragmenta reſiccantes, mercatoribus venundarent. Ipſius ætate id fieri ſolitum à mercatoribus credibile eſt: at nũc cùm non ignorent magnum quæſtum ex Rhabarbaro accedere, quod apud omnes nationes in vſu ſit, adeò diligenter illud colunt, eaque quantitate, vt cùm in Halepo eſſem, dena eius pondo duntaxat duodenis ducatis vanirẽt. Semper tamẽ iſtic æqualis precij nõ eſt: nã cùm Carauanna eius exiguã copiã ex Aſamia aduehit, ſequente anno carius æſtimatur. Colitur, vt diximus, in Aſamia, hoc eſt, Meſopotamia, & ſemine ſeritur: radices craſſas agit inſtar Bryoniæ, quas in taleas orbiculares ſecãt, deſiccãtque, quæ paulatim abſumente ſe humore corrugantur. Plerique eam ob cauſam abs expreſſione id contingere exiſtimant: experientia tamen contrarium docet. Vt autem certiores*

essemus, diligenter inquisiuimus à mercatoribus Halepũ confluentibus, si aliqua fieret eius maceratio: sed paucis vbi nascitur, in vsu esse, raroque medicamentis quæ Rhabarbarum recipiunt, vti comperimus. Quando huius seculi Scriptorum commentarios lego de Rhabarbaro disputantium, an veteribus cognitum fuerit (Arabes auctores pro recentioribus, collatione ad Græcos facta, habeo) & Mesven in quatuor genera illud distinguere, nullamq; de Rhapontico mentionem facere animaduerto, & Carauannas ex Asamia tantum adferre Rhabarbarum pro comperto habeo: Mesven per quartum Rhabarbari genus ex Turcia delatum, intelligere Rhaponticum assero: atque, vt verum fatear, Rhaponticum Rhabarbaro admodum simile est: & licet idem esse non dico; proximas tamen vtriusque esse facultates, liquidò constat. Primariæ lacrymæ, gũmiq; & aromata, vt Galbanum, Opopanax, Styrax, Laser, Sagapenum, aliaque huiusce modi, ex Halepo ad nos deferuntur, quemadmodũ & Scammonea. Firmiores dactyli ex Mesopotamia Halepum inferuntur: Ægyptiaci enim & Africani adeò pingues sunt, vt seorsim conseruari nequeant, sed in massam simul comprimantur. Tridui duntaxat itinere ab Halepo Tripolis distat, quo Veneti appellũt vt suas naues onerent mercibus in Halepo coëmptis. Sequens dies dicatus fuit visitationi vrbis, quæ amplitudine Aurelianæ vrbi Galliæ comparari potest. In eius vmbilico tumulus assurgit rotundus, cui imposita est arx, fossis aqua plenis cincta, quam Sangiacus cum suis militibus inhabitat: eius mœnia veteri more exstructa sunt, & cùm edito sit loco, procul conspicua est. In ipsis fossis incluſus erat asinus ferus Onager dictus, ab asino Indico qui vnicornis est, differens. Istic etiam auem vidimus Grui ferè similem, sed minorem, oculorum ambitu rubro colore tincto, ardeæ cauda, & voce exiliore quàm

grus,

grus, balearicam gruem à veteribus fuisse nuncupatam credimus.

*Bellonius (quod eius viri bene de republica litteraria meriti venia dictum volo) peperam Mesvei verba interpretari mihi videtur, cùm per Indiam & Seni regionem, Asamiam siue Mesopotamiam intelligi vult. Nemo enim vnquam, præter ipsum, in Mesopotamia & Assyria Rhabarbarum nasci scripsit: sed omnes ex Sinarum regione aduehi asserunt in ipsam Indiam, Persiam, Ormuz, Halepum, & Alexandriam, deinde in Europam.

CAP. CIII.

Peculiaris platearum per ditionis Turcicæ pagos & oppida descriptio.

PER vniuersum Turcæ dominiũ, *vehicula aut currus ducere non licet per pagorum & oppidorum plateas, neque per fora: sed in medio platearum semita est de industria facta; cùm vt aqua istac effluere possit, tum vt equis viam præbeat: editiores sunt vtrinque viæ, & quasi in scamnorum speciem subleuatæ, atque pluteo tectæ, ad imbres arcendos & solis ardores æstate: cùm enim Turcæ longis talaribus vestibus & ad terram vsque demissis vtantur, eas omninò conspurcarent, nisi ea ratio in singulis vrbibus obseruaretur. Inde fit vt plateæ non sint lapidibus constratæ; sed ne puluis in foro & Bazestan abs oblongis istis vestibus æstate excitetur, quisquis tabernam habet, aspro singulis mensibus numerato redimit operam baiuli, qui singulis diebus mane ex vtre aquã promit, & effundit ante ipsius tabernã. Omnes omnium vrbium tabernæ Turcarum Imperatoris sunt, qui eas mercatoribus elocat, neque permittit vt istic familiam alant, præsertim in foro. Mahumetes etenim vetat ne mulieres vendant, vel emant, vel in publicum prodeant. Cuiuscunque generis opifices, boni consulunt quem dietim faciunt quæstum, neque noctu laborant. Aliquot diebus in Halepo hæsimus, atque mœnia ambiuimus, quæ latiùs sese expandunt quàm Damasci, multis locis obliqua, vti Hierosolymitana, turrésque in ambitu sitæ admodum*

sunt seiuncta. Octo portas habet Halepum, & frequentia vineta viretáque, & elegantes hortos in mœniorum ambitu, in quibus brassica capitata, lactucæ, beta, porrum, cepáque coluntur, in forum deinde venum exponenda. Veteribus numismatibus vtuntur Turcæ ponderis vice, vnciarum videlicet, semunciarum & drachmarum: qua de causa nos multis locis Græca & Latina nacti sumus: quando verò illa exquirere volebamus, tabernas mercatorum adibamus, atque Giaur mangour, hoc est, Christianorum monetam expetebamus: tum nobis proponebant quæ habebant. Turcæ, Arabes, Ægyptij, aliæq; omnes Orientales nationes Turcico Imperio subiectæ, nullam habent monetam nisi auream vel argenteam: aurea obrizi auri ducatorum est; argentea, depurati argenti, non mixti: aliud tamen est monetæ genus apud Turcas, quod ipsi Mangoures appellant, ex puro ære, quorum sedecim asprum conficiunt: quoniam verò graue est, nemo eo se onerat, sed cusum duntaxat fuit, vt asprus permutari possit, cuius precium æquiparari potest caroleo Gallico decem ærea minuta pendenti. Vtraque autem cùm aurea, tum argentea, inscriptionem habet Arabicis characteribus expressam. Arabes autẽ & Aegyptij aliud monetæ genus habent Meidin nuncupatum, quod asprum cum dimidio conficit. Halepi incolæ Arabica lingua vtuntur, non Turcica; sed & per Ægyptum, Arabiam, Syriam, Ciliciam, aliásque vicinas Prouincias, solius Arabicæ linguæ vsus est.

CAP. CIIII.
Iter ex Halepo Antiochiam.

ANTIOCHIAM *profecturi, ex Halepo à meridie discessimus, & per excultos riguósque agros iter fecimus: sub noctem maturè in pagũ nomine Farrou peruenimus, iuxta quem in agro prærealtæ columnæ scapus erectus stat sine epistylio. Postridie diluculò paulum progressi, agros relin-*

*relinquentes, per confragosa loca pérque colles iter fecimus. Arcis rudera conspeximus, ad cuius portam nascebatur Hedera alba, nouum nobis spectaculum, quippe qui à Corcyra discessu similem non videramus: Andrachnem in tumulis nascentem etiam reperimus, cuius ramos suo fructu onustos quilibet abstulit vt in itinere ederet; nam maturus erat, elegantique suo colore singulos ad edendum inuitabat: Racematim cohæret, magnitudine & colore fructus Rubus idæa, quẽ Galli Framboises appellant, mollisque vt Arbuti fructus & * Suberis quem sapore refert. Ariam item, Esculum, Terebinthum, Elæprinõ, Latinis Alaternus dictum, Italis Termi & Narni incolis Alinterno. Per valles interdum iter facientes, vetustum ædificium dirutum, monasterij cuiusdam forma, cuius vmbilicum occupabat elegans turris, ad sinistram reliquimus: aliud præterea elegans ædificium è quadrato saxo exstructum, in quo Latini characteres insculpti erant, sed dirutum, Romanorum haud dubiè opus. Prætergressi deinde sumus riuum qui ab ipsa fontis scaturigine tantum aquæ effundebat, vt ea ad lora quibus nostri cameli cincti erant, pertingeret. Pernoctauimus ad basim arcis Heirim nũcupatæ, omninò dirutæ, & solitario loco sitæ; qui si coleretur, non minus fœcundus esset quàm quiuis ex Italiæ vberrimis. In tumulo sita est, vt ea quæ in Halepo & Haman sunt: vixque credibile est, decem hominum millia illam intra biennium excauare, & scopulum ad fossas quibus prædita est faciendas perfringere potuisse. Videtur natura elaborasse vt hunc tumulum in scopulo collocaret, quo hæc arx exstrueretur. Postremus is est Turcicæ dominationis locus, in quo nascentes Colocasiam & Musam conspexerimus. Ibidem in scopulis crescunt Andrachne & Alaternus: nec aliis lignis vsi sumus ad parandam nobis cœnam. Ceterùm in Car-bassara noctem non tra-*

duximus, at in quodam illius pagi ædificio: rarissimè autem accidit vt in iis regionibus aliqui inueniantur qui peregrinis hospitiũ præbeant: idq; si præbent, locum duntaxat aliquem sub porticu vacuum, nulla supellectile instructum dant, perinde ac si quis in vacuo horreo excipe-retur. Istic obseruaui dignum quidpiam quod hìc adscribatur. Noster ille caupo pugionem falcatum Arabum more habebat, eúmque nec auro nec argento exornatum, quem noster interpres quatuor ducatis ab eo redimere voluit: at ipse renuit, sex ducatis Damascí emptum esse affirmans: at arbitror similes duodecim vix vno coronato in celeberrima totius Galliæ vrbe emptum iri. Pleraque vnguenta habebat, vti metopium, rosatum, aliáque similia quorum in Syria & Arabia vsus est; nos verò spernimus.

*Suberis istius siue Liege Bellonij fructus quis sit, ignorare me, ingenuè fateor: quod etiam in nostra Hispanicarum Stirpium historia lib. 1. cap. 4. admonui.

CAP. CV.

De vrbe Antiochia.

SVBSEQVENTE *die campestria loca latè admodum patentia inuenimus vbi flumen Oroum, quod Antiochiam defluit, quódque præcedente die diu sequuti fueramus, longè suprà Antiochiam superauimus magno vonte in quodã stagno quod olim Meandropolis stagnum nuncupatũ credimus. Diu fluminis illius cursum sequuti sumus, donec in stagnum sese effunderet. Antiochia bidui duntaxat itinere ab Halepo distat: at quoniã imbres deciderant, & cameli onera portantes difficulter gradiebãtur, duos cũ dimidio dies insumsimus. Vt porrò ad eam vrbem quæ sub stagno sita est veniremus, à recta via Constantinopolim ducente defleximus, atque illam ad dextram reliquimus: recta enim ad Amanum montem proficiscendum nobis fuerat, & inde in Adena: quem tamen,*

tamen, licet Antiochiam deflexissemus, superare nihilominus oportuit. Is quoniam niger apparet, Turcico & Arabico idiomate Niger appellatur. Perelegãs est Antiochiæ situs, quiq; paucis verbis vix describi queat: nam mœnium structura illam admirabiliorẽ reddit alia quapiam vrbe in plano constituta. Illa testimonium insigne præbet, Antiochum ingentis animi & incomparabilis magnificentiæ virum fuisse. Murorũ ambitus nõ minor est Nicomedia aut Constantinopoli: frequens habitatur à Græcis, Armenis, Iudæis & Turcis. Fontanis aquis abundat, è rupe muris inclusa scaturientibus: pars mœnium montem ambit: altera pars per duorum montium iuga porrigitur, qui valli vicem illi præbent: nam tres montes murorum ambitus complectitur, qui non sunt tumuli, vti Romæ vel Constantinopoli, sed præalti montes. Nullam vrbem in Gallia noui, cui Antiochiam comparare possim præter Lugdunum: nam quemadmodum Lugdunum altos D. Iusti montes claudit, sic Antiochia altos montes cingit, in quibus exstructum est Antiochi palatium, nondum planè dirutum: pleraque enim adhuc integra restant, vt magna cœnacula & cubicula, & cisternæ immensæ capacitatis, ad earum quæ Philippis in Macedonia sunt, formam exstructæ: integra etiam arcis & mœnium materia restat, in quibus turres præaltæ sibi inuicem admodum vicinæ conspiciuntur, quibus exstruendis operæ cœmento non pepercerunt, habentque singulæ suam cisternam. Mœnia ad Occidentem spectantia tali artificio sunt facta, vt onusta vehicula, equiq; cũ suis sessoribus, per interiorem muri partem, inter vtramque fornicem, in summam vsque arcem perduci queant. Montes vrbi vicini, ilice, alaterno, coccigero frutice, andrachne, stœchade, & stachide abundant. Ciconiæ quæ æstate in Europa degunt, istic per hiemis partem, quemadmodum & in Aegypto, aluntur: sed etiam ono-

crotali aliaque diuersi generis aquatica aues in lacu supra vrbē sito viuūt: inter quas agnouimus quæ ab Somonæ accolis des Cotees, à Parisiensibus autem Morillon dicitur, veteribus verò Glaucion appellata: aliam item quam Galli Piette vocant siue veterum Phalarim. In montibus pascuntur verueces, breui quidem sed pingui pedemq; lata cauda. Eius regionis incolæ, atque etiā per vniuersam Turcicam dominationem, in diē viuuntur pane malè cocto & malè fermentato. Bombyces, quas Itali Caualieri nominant, magni sunt in ea regione quæstus, aluntūrq; ficus & mori foliis secundū fluminis ripas cultarum. Celsissimæ Platani nascuntur ante Antiochiam, quæ neque in Gallia, neque in Italia conspiciuntur, præter paucas quæ cùm Romæ, tum aliis quibusdam vrbibus curiositate quadam aluntur. Paucæ quædam Sacchari cannæ, Colocasiæ, Musæq; magna cura & diligentia nonnullis Antiochiæ hortis aluntur. Incolæ Arabica lingua loquuntur quemadmodum in Syria.

CAP. CVI.

Singularium rerum in Antiochia obseruatio.

TOTVS subsequens dies sacrorum in Antiochia locorum visitationi dicatus fuit, vt Portæ D. Pauli, sepulchrorúmque variorum Diuorum. Vetusta præterea alia plurima monimenta istic conspici possent, qui curiosius ea requireret. Omnis generis victui necessaria in foro vænalia reperiuntur. Aromatariorum & opificum tabernæ Damascenis similes sunt. Loti, quā Gallia Narbonensis Micacouliers appellat, arbores, etiam in ipsa vrbe magna copia crescunt, quemadmodum in eius territorij montanis: atque vt ob Populi albæ & nigræ, fructiferarumq; arborum frequentiam Damasci planicies silua quædam videtur: sic propter Platanos & Lotos Antiochiam in media silua sitam esse diceres. Equorum sarcinariorum,

riorum, qui Antiochiæ habentur, clitellæ adeò oblongæ sunt, vt ab auribus per ceruicem ad caudam vsque pertingant. Antiocheni rustici haudquaquam tam dextri sunt in iumentis ab onere liberandis, quàm Turcici; quoniam eorum clitellæ ad onera minus idoneæ. A meridie discessimus Antiochia, & amnem Oroum transiuimus, quem aduersum diu sequuti sumus. Agri Antiocheni solum adeò pingue est, vt equi ad cingula vsque in cœno mergerentur, quia præcedentibus diebus imbres deciderant. Longiùs progressi, riuos è montibus labentes inuenimus, ad quorum ripas proueniebant Nerion, Agnus seu Vitex, & altissimæ Platani. Noctu in Sarameli pagum peruenimus, ad radices prælti montis Amano contigui, sed in planicie situm. Postridie duobus confectis milliaribus, substitimus ad radices præcelsi montis, istícq; reliquo die hæsimus, exspectantes equum quem Dominus de Fumet ex Antiochia accersi iusserat. Interea montem conscendi, in quo siluas Pinastrorum repperi iis qui in Tarare monte nascuntur similium: præterea Esculum, Ilicem, Andrachnen, Oxycedrum, Poliũ, Tragacanthum, Chamædrin, Carlinam, quam pleriq. falso nomine Chamæleonem nominant. In planicie obseruauimus rusticos lignorum fasces boum tergo imponentes, & tritici saccos aliaq; huiusce modi; interdum etiam, cũ defessi essent, ipsorum tergo insidentes: nam cùm iter non vrgeant, boum ministerio vtuntur, quemadmodum nos equorum. Abillis redemimus gallinas, oua, carnes: nam licet tota æstate in agris sub tentoriis habitent, omnibus tamen rebus necessariis non minus sunt præditi, quàm si in vrbe aut pago viuerent.

CAP.

CAP. CVII.

De itinere per summa Amani montis iuga.

POSTRIDIE *inter Orientem & Septentrionem tendebamus secundùm præaltos montes. Mons Amanus vulgò appellatur Monte negro, id est, niger: attamen non ille est qui Plinio Mons ater dicitur. Via admodum recta & præcipiti conscendenda nobis fuit mons, atque difficiliore quàm vllam hactenus inuenissemus. In eo crescunt celsæ cedri quemadmodum in Libano, iuniperus maior, sabina ei similis quæ in Tauro monte, andrachne longè celsior quàm in Ida Cretæ. Plus quàm sex horas impendimus antè quàm in summum montis iugum peruenieremus, atque in supremo eius vertice constitutis, & qua nos veneramus prospicientibus, apparebant summa montium Syriæ & Cairi iuga, præsertim verò eius quem nos Pierium montem censemus, & præcedentibus diebus secundum eius radices ambiueramus: apparebat etiam Taurus mons procul ante nos prospicientibus in longitudinem excurrens, & summũm verticem iam niue obsitum habere incipiens. In descensu viam neque adeò difficilem neque molestam inuenimus atque in ascensu, quia non erat præceps: sed cùm in tenebris iter faceremus, vnus è nostris in vallem decidit plus quàm quadraginta orgias profundam, nullo ipsius aut equi damno, quod omnibus admirabile visum est. Abundat hic mõs variis plantis: arbuti nõ minus altæ erant, quàm quæ in Atho monte nascuntur, vicino monasterio Agiaſ-laura loco: magnæ erant etiam alaterni arbores, quæ aliis locis in fruticem duntaxat assurgunt; picea insuper, andrachne, latifolia laurus. In descensu myrtos albis baccis, thymelæam, chamelæam, eumq; fruticem quẽ Germani Keller-kraut appellant, binis præcedentibus dissimilem reperimus. Ad imum montem cùm descendissemus, apud riuulum hasimus, & cibũ sumpsimus in maris littore, quod in arcum se in-*

se incurvans, magnum admodum sinum efficit, qui Issicus appellatur: Pamphylium id est mare, Cilicio ex parte coniunctum. Cùm in Amano monte essemus, mare radices montis alluēs conspiciebamus, adeoq; vicinum, vt coniectus lapis facilè in mare Mediterraneum deuolutus fuisset: conspiciebamus etiam Taurum montem assurgentem ex littore Cypro insulæ opposito. Diu nobis iter faciendū fuit secundum littus marinum, & sinus circumeundus, multiq; elegantes riui superandi; deinde alius mons admodum angustus & difficilis, pinastris obsitus, post quem castellum ad ipsius radices situm inuenimus, in quo perpetuæ fiunt excubiæ, quoniam trita admodum est hæc via. Varia istic victui necessaria emimus, panē, vinum, caseum, carnes, & hordeū pro iumentis: paululum sub eo castello descendimus ad riuum quendam, atq. sub alba moro, quam Galli perperam Sycomorum indigitant, constitimus. Luculēto igne ob ligni abundantiā tota nocte instructo, ante lucem discessimus, atque in tenebris per loca plana & campestria iter fecimus: orta autem luce, denuò ad maris littus regressi, amnē quempiā vado transiuimus, qui forsitan Issos est. Amœnissima sunt ea loca: nā secundum viam publicam crescunt laurus, ilex, platanus, smilax aspera, & aliæ pleraque stirpes perpetuò virentes. Montes dextram claudebant, mare sinistram. Superato amne, in vastam illam planiciem in qua Alexander cum Dario conflixisse creditur, peruenimus, in qua fruticem antea nobis non conspectum, sed Myrto admodum similem legimus: abundat etiā ea planicies Myrti fruticibus, qui omnes albo fructu sunt præditi. Per fornicem admodum vetustam, latere & intrita exstructam, materia longè quàm saxum duriore, transiuimus: hanc veteres Auctores Portas Cilicias *vocarunt. Quaqua oculorum aciem obuertas, planicies velut amphiteatrum apparet: nā prealti montes lunæ crescentis in modum illam*

lam ambiunt vt sinus Issici mare recipiant: sub portis Ciliciis, singuli, Andrachnes arbores suo fructu coniunctim nascente & maturo fragisq; simili onustas conspicientes, ramos reuellebant, atq. in itinere eius fructu vescebātur. Raros habet ea prouincia incolas: illiq; qui istic viuunt, neque piscationi, neque nauigationi indulgent (hinc factum, vt toto illo maris littore ne vnicam quidem nauem conspexerimus) & terram incultam relinquunt, licet admodum rigua sit: arbitror enim plus quàm triginta riuos è montibus altis labentes, atq. in mare sese exonerantes, duarum horarum spatio nos transiuisse. Post quàm à portis longiùs abscessissemus, per sterilia & confragosa loca iter fecimus, deinde veluti per Caduas siluas, in quibus is frutex, cuius modò meminimus, nascitur, cui nullum aptius nomē indere possumus quàm Pseudomyrti: postea in Car-bassara quodam, cui vicini erāt pagi, quieuimus.

CAP. CVIII.

De Asiatico quodam animali Adil nuncupato, & de vrbe antiquitus Adena appellata.

PVMILIONIS *lupi genus est in Cilicia, atque etiā in vniuersa Asia, qui rapit & aufert quidquid impedimentorum inuenire potest eorum qui æstate extra Car-bassara noctem traducunt. Medius est inter lupum & canem, cuius pleriq. veteres auctores cùm Graeci, tum Arabes meminêre. Graeci vulgari nomine* Squilachi *appellant: eum esse arbitror, quem veteres Graeci* χρύσεον *nominarunt, hoc est, aureum lupum: adeò furax est vt noctu adire non vereatur eos qui dormiūt, & quidquid inuenit rapiat, vel pileos, vel ocreas, vel calceos, vel frena, vel alia huiusce modi: semper cateruatim accedit, vt interdū ducenti simul conueniant, nihilq; illo frequentius per Ciliciā: itaq. singuli alternatim latrāt canū more, & hau hau exprimūt. Singulis noctibus illos latrātes audiebamus: & nisi canes eos arcerent, in pagos vsque*

que penetrare non formidarent: elegantis flaui est coloris, atque ex eius pellibus quæ vili venduntur, incolæ sibi pelliceas vestes parant. Postridie versus Adena proficiscentes, lapideum pontem transiuimus cornui fluminis, quod fortè Pyramus est, impositum, cui contigua est arx ad dextram, in scopulo aditu difficili sitam. Inde id flumen diu sequuti sumus, donec ad vrbis cuiusdam, quæ nostra opinione Cæsarea Ciliciæ appellata fuit, ruinas peruenimus, vbi alio ponte flumen superauimus. Illius regionis flumina, tametsi nauigabilia, naues tamẽ nõ habent. nam cùm regio deserta sit, nemo istic negotiatur. Sultani Aegypti dominium eò vsque extenditur, istícq; erant limites qui Arabicam linguam à Turcica distinguebant, quíq; olim Arabum imperium à Turcico separabant. Primum bellum quod vnquam motum est inter Arabes & Turcas, istic gestum: sed Turcæ victores, paulatim illos in seruitutem redegêre. In ruinis illis Cæsareæ nihil conspicias præter Car-bassara, & quædam tuguria. Superato ponte, fluminis cursum ad sinistram sequuti, in cãpestria steriliaq; loca latéque patentia peruenimus, quæ à nemine peculiariter possidentur, sed omnibus qui suos greges pascere istic volunt, libera sunt. Myrti istic etiam albo fructu sunt præditæ, adeóque frequentes vt Caduæ siluæ formam repræsentẽt. Per Terebinthi arborum hinc inde mixtim cum Pinastris crescẽtium siluã iter fecimus. Aluntur hac planicie plurimi veruecum, & caprarum magni greges, ingentem adferentes quæstum suis dominis, cùm ex butyro, tum ex caseo. Et licet butyri genera inter se differant delectu & præstantia, aut animalium, vel pascuorum, vel confectionis ratione: natura tamen non ita variant, vt caseus. Nam degustato butyro diuersorum animalium, vti bubalino, vaccino, equino, camelino, ouino, & caprino, magna varietas haud deprehenditur: at in caseo longè aliter euenit, quandoquidem solo odoratu, vel

vel aſpectu diſcerni queunt, atque omnium optimè guſtu. Turcarum porrò ruſtici procul ab vrbibus per campeſtria loca errabundi vagantur tota æſtate, ſui gregis curam habentes: cúmque fictilibus vel ligneis vaſis careant, iugulata oue vel capra, pellem eius inuertunt, vtrémq. conficiunt, quẽ butyro vel caſeo implent, alium etiam diligenter adſeruant; nam ea butyrum excipiunt prius coctum, deinde refrigeratum: ſingulæ alui tricenas vel quadragenas libras continẽt, vtres verò plures quinquagenis. Nõ negamus quin nõnulli aliam butyrum parandi rationem habeant, etiam illud noſtratium more ſaliant: at id ſolummodo fit circa celebriores vrbes. Mengrelliæ incolæ pelles bubulas & vaccinas pelles recenter detractas butyro implent, atque Conſtantinopolim vænale aduehunt, quemadmodum ex Narbonenſi Gallia in caprinis pellibus oleum nobis adfertur. Ceterùm non dubitamus, quin ſi ruſtici illi commoda haberent vaſa, ſuos caſeos in vtribus nõ conſeruaturi ſint; quandoquidem illos in panis formam conſeruandi conſuetudinem non habent. Quoniam porrò ſimilis caſeus per Græciam diſtribuitur, quò mercatores tranſuehunt, Græci vulgari nomine Dermatiſi hilatiſmeno appellãt, hoc eſt, in pelle ſalſum, & non tyri, id eſt, cãſeum; quemadmodũ cùm Du ſalé noſtra lingua dicimus, hoc eſt, ſalſum, ſuillam intelligimus. Ipſi verò tale nomen indiderunt, ad alterius caſei differentiã, quẽ vulgari lingua cloro tyri nominãt, hoc eſt, recentẽ caſeum, quem Columella viridem appellat, nõ quòd vireat, ſed quòd mucteus molliſq. ſit. Paſtores nunquã lac colãt, quemadmodum nec Cretenſes, qui tamen aſpalathi ramum, aut aparinen, vaſorum ori admouent, vt ſi fortè pili adhæſerint, caſeus purior reddatur: at Turcarum caſeus in pellibus ea ratione ſalitus, plerumque pilis ſcatet, quoniam lac nõ percolatur. Noſtrum porrò iter ad Septentrionem dirigentes, variis locis miſerorum ruſticorum

mapalia

mapalia & tentoria inuenimus, qui æstate ex vrbibus & pagis discedunt, vt per campestria vagentur in hibernum vsque tempus, isticque rem domesticam eadem ratione curant, qua in vrbibus vel pagis facerent. Ij cùm octiduo hæserunt vno in loco, abscedunt in alium, tentoria sua ex tegetibus confecta, & penula tecta, secum asportant; cùm verò in vrbem redeunt, complicant denuò, & diligenter adseruant donec hiems præterierit, quam asserere ausim apud Asiaticos non minus sauire, quàm in media Gallia. Segnes sunt; eam ob causam, terram nulla diligentia colunt: præsertim opulentiores rustici perpetuò ociosi sedere volunt: & nisi ab ipsorum mancipiis solum excoleretur, rari essent agri culti. Eo die in Adena peruenimus, vbi de Anazarba, Oppiani & Dioscoridis patria, quæ postea Cæsaraugusta vocata est, intelleximus. Judæi nobis indicarunt pagum nunc esse ad ostia fluminis, Tyberis forsitan, quod Adena perluit, antiquum nomẽ retinentem. Adena magnum est oppidũ, hoc est, ingẽs pagus, quà admodum frequens aditus patet: elegantemq; & latum pontem lapideum habet. Appellatur id flumen à Turcis Schelikmark; *ex Armenia minore profluens, Lydiámque & Ciliciam perluens, in mare Mediterraneum sub Rhodo sese exonerat: nauigabile non est, quoniam plurimum sabuli prouoluit. Adenæ oppidum mœnibus non est cinctum: sed arcem habet quatuor quadrangulis turribus infirmis præditam. Istic omnis generis victui necessaria inuenimus, & vinum: nam incolæ Græci sunt, & Judæi, & Armeni, atque ipsi Turcæ vites colunt, vt passas vuas habeant. Monetæ mutationem istic habuimus: nam cùm hactenus per Ægyptum, Syriam, & Ciliciam, meidins vsi fuissemus, qui supererant, in aspros permutandi fuêre. Istic etiã defit Arabicæ linguæ vsus, & Turcico sermone deinceps agendum fuit. Mutatis in Adena iumentis, annonam in triduum comparauimus.*

mus. Turcæ suas merces pondere vel mensura licitantur, iusto tamen precio, nec plus soluũt peregrini quiuis quàm eorum vicini. Panis etiam ad pondus vænit, inde fit vt malè coquatur. Carnes etiam salsæ magno apud illos in vsu sunt: eas antè recèns sale exemptas, cumini puluere inspergunt, & appensas exsiccãt. Hallucinantur qui scribunt Turcas desiccare carnes, vt eas deinde in pollinem redigant, quem secum deferant in aliquam expeditionem bellicam iturι: nam diligenter id inquirentes, comperimus neque in Græcia, neque in Turcica ditione, neque in Arabia, carnes exsiccandi, vt in pollinem redigantur, vllam esse consuetudinem. Carnes verò deligunt cùm bubulas tum veruecinas pingui cum macro æqualiter permixto constantes, quas in tenues laminas scindunt; deinde paululum saliunt atq; exsiccant. Magno æstimantur eiusmodi carnes cùm pacis tum belli tempore: eis etenim crudis cum cepa vescuntur iter facientes. In Creta & Chio moris est apud rusticos, vt integrum leporem etiam hircum ferum, sed & veruccem in frusta concisum exsiccent: primùm autem paululum saliunt, deinde tegetibus complanant, atque in clibano resiccant. Sæpenumerò apud varios rusticos diuertimus, cùm Cretæ montes peragraremus, apud quos erant hirci ferè integri, & hœdi, & agni in eum modum exsiccati: sed apud Turcas ea consuetudo nõ viget. Græci verò per Quadrageſimam id faciunt cùm leporem aut capram siluestrem interemerunt, vt eos ad Paschales vsque ferias conseruare queant: nam neque apud ipsos neque apud Turcas moris est carnes in dolio aliquo salire, & ita conseruare.

CAP. CIX.

Apparatus peregrè profecturis idonei.

MVLTA *edulia parare norunt Turcæ, cùm peregrè tum in bellum profecturis idonea: è quorum numero farciminis genus est, vulgari Græcorum lingua Stopides dictum:*

dictum: fiunt autem in hunc modum: Nuces inglandes in quatuor partes diuidunt, & filo traiiciunt, farciminis longitudine, deinde in coctum vinum feruens reiteratis sæpiùs vicibus immergunt, eorum more qui candelas parãt: nonnulli farinã inspergunt, vt citiùs inspissentur. Eadem ratione è ficubus, amygdalis, auellanis & aliis durioribus fructibus cocto vino inductis parari possunt. Vulgaria sunt in ea regione huiusce modi farcimina, quæ peregrinãtibus sunt admodũ accõmoda. Qui montẽ Taurum superare volunt, in triduum annonam sibi parant in Adena: nam inde Heracleam tridui iter est per sterilia loca: elocationis singulorum iumentorum precium quinquaginta meidins, hoc est, ducati & decẽ meidins est. Tapetes fiunt in Adena, quorum maxima pars ignis calore parari solet, pilcorum & gausapũ more: veráque, vt ita dicam, sunt gausape, tapetum in modum concinnata, quibus Turcæ peregrè proficiscentes indormiunt; leuia enim sunt & mollia. Eius regionis viri acuminatos galeros gestãt, Hippocraticæ caligæ vulgò appellatæ persimiles, quorum apex in humerum propendet: cúmque sint ex inspissatis pilis concinnati, ad gelatinam excolandam vsui esse queant. Verum quidem est Turcas alicuius auctoritatis, & opulẽtos vel vrbes, vel oppida incolentes, albas tiaras gestare: at rustici, quales dixi galeros ferunt, similésque nobis perpetuò conspecti sunt ab Halepo Adenam vsque, vbi nonnulli alia ratione complicati videntur. Prouinciarum incolæ huiusmodi notis, non minus quàm vestium varietate dignoscuntur.

CAP. CX.

Ex Adena in Taurum mons item profectio.

ADEN digressi, atq. inter Occidentẽ Septentrionémque tendentes, per planiciem iter fecimus vsque ad meridiem: deinde montem Taurum conscendere cœpimus. Tentoria autem fiximus & quieuimus vbi nox nos oppressit;

preſſit: ſed quoniam aër ſerenus erat & frigidus, Platanos iuniores, Andrachnes, Neria, arbutos præcidimus, & luculentũ ignem ſtruximus, præſertim verò è Siliqua arbore ſicca. Poſtridie ante lucem, in aſcenſu perreximus via admodum difficili, donec ad ſummũ verticem veniremus, quem niue tectum reperimus, atq. dimidium diem in aſcenſu inſumſimus: vbi Iuniperos maiores, in Cupreſſi altitudinem aſſurgentes inuenimus, cuius fructus dulcis eſt, nucis ferè magnitudine, & Gallæ quodammodo ſimilis, quo indigenæ veſcuntur, vt ex nucleis hinc inde à nobis in itinere collectis obſeruauimus, quos qui pulpam exederant, abiecerant: ij ſunt longitudine & craſſitie nuclei oliuæ, adeóque duri, vt niſi malleo ictu frangi nequeant. Inter reliquas arbores in Tauro monte naſcentes poſt Cedrum primas obtinet, perpetuóq. viret. Eius vera delineatio & deſcriptio inuenietur in libro cui titulum fecimus*, De Arboribus perpetua fronde virentibus. Styracis arbores iſtic etiam obſeruauimus & Pinaſtros, deinde Sabinæ genus à Dioſcoride deſcriptum, vel Thuya Theophraſti & Homeri. Quoniam autem ſuperioribus annis in Regio horto ad fontẽ Bellaqueũ arborem conſpexeramus, è Canada Franciſco I. huius nominis Galliæ Regi delatam, Arboris vitæ appellatione: Sabinam illam diligentiùs obſeruauimus in Tauro monte; atque vtriuſque deſcriptione facta, admodum ſimiles eſſe comperimus, attamen notis quibuſdam inter ſe differentes, quas exponemus, cùm ſingularum plantarum hiſtoriam pertexemus. Platani creſcunt in hoc monte Antiochenis adhuc maiores, eáque natura ſunt præditæ, vt hieme corticem abiiciant, contrario planè modo quàm Andrachnè, quæ ſummis æſtatis caloribus ſuo cortice rubro ſeſe ſpoliat, vt cinereum inducat, qui initio pallet: Platanus verò hieme plumbeum corticem exuit, vt cinereo ſe induat. Creſcũt in ſummo vertice altiſſimæ Cedri,*

iis

iis quæ in Libano nascuntur similes, tanta frequentia, vt vix alias conspiceremus frequentiores arbores; quarum fructū nobis hortantibus pleriq. collegerunt, conis Abietis ferè similem, sed crassiorem, lætiorem, & cælum spectantem. Cuius arboris descriptionem hic adferre operæpretium non duximus, at iconē duntaxat oculis subiicere.

Cedri Icon.



Nullæ verò proueniunt Abietes; quæ tamē Cedros admodum æmulantur, sic vt dicere possemus Cedrum Abietis genus esse, vel Abietem Cedri. Eam ob causam illius iconem Cedrinam sequi voluimus.

Nullæ præterea istic larices, neque Piceæ, neque Pinastri Aleuo dicti, cuius etiam arbor est ad fontem Bellaqueum, è Canada similiter delata, atque Francisco I. Regi cum Arbore vitæ donata. Diu

Abietis Icon.



per montis fastigium iter fecimus, nondũ tamẽ ſummum iugũ attigeramus, ſed alios montes vtrinque habebamus. Cumque ſub arcem quandã peruenissemus, in ſaxo ſitam, pedetentim deſcendere cœpimus, & ſub noctem in itinere Car-baſſara inuenimus ad prælti illius montis radices.

*Hactenus quæ vidi Belloni exemplaria de Coniferis, neque delineationem, neque deſcriptionem Iuniperi maioris habent.

CAP. CXI.

De Thermis quæ ſunt in monte Tauro: & de vrbe Heraclea.

CETERVM *Car-baſſara quò noctu peruenimus, contiguum eſt thermis muro lateritio incluſis, iis ſimili quibus exſtructæ ſunt ſalſæ thermæ ad Troiæ rudera. Aqua nonnihil ſulfur redolet: ſed eius excrementa in lapidem non coaleſcunt, quemadmodum thermarum Patauinarum & Pruſæ. Ceterùm non modò thermarum aqua recrementa facit in lapidem concreſcentia, verùm etiam frigida:*

frigida: quemadmodum fontana illa in Medane prope Noisi Domini Ioānis Brinon Domini de Villaines possessionem, sex à Lutetia milliaribus distantem: & apud Clarum montem Aruerniæ vrbem, vbi pons lapideus conspicitur, quem aquæ decursus confecit. Postridie descendentes, labentem ex monte riuum sequuti sumus. Sed conscenso denuò vicini montis iugo, nullas arbores inuenimus. Haud multum porrò itineris relicto Car-bassara confeceramus, quin agros sepibus inclusos conspiceremus, arbore Ziziphæ alba Columellæ appellata constantes, cuius fructus rutilis Ziziphis similis est, excepto colore, & venalis per vrbes proponitur: Græci vulgari lingua Ziziphia appellant, voce à Zizipha deducta. Ad meridiem vsque continuato itinere, in monte autem adhuc versantes, vrbem Heracleam procul in planicie sitam perspicuè conspiciebamus. Ulteriùs in descensu progredientes, pleroſq. pagos infrà secundùm montem sitos videbamus, qui à Borea & Thracia ventis erant liberi, atq. Absinthij Ambrosiæque magnã copiam inuenimus. Heracleæ planicies admodum fœcunda est, & per omnia exculta, multisque pagis habitatur: nam riui è montibus labentes, hortos & vineta irrigant, in quibus omnis generis fructiferæ arbores coluntur, vt persicæ, corni, prumi, mali, pyri, amygdalæ, punicæ, aureæ, aliæque similes hortenses. Amplus est pagus apud Heracleam, qui à solis Christianis Græcis habitatur, quorum lingua vulgaris pura Græca est: alius etiã est Christianorum Armeniorum: vtrique admodum diligentes sunt hortorum & vinetorum cultores, cúmque aqua abundent, varia herbarum culinariarum genera in ipsorum hortis, qualia in nostris conspiciuntur. Serò Heracleam peruenimus, primam à Tauro monte vrbem, ad ipsius radices sitam, vbi panem, vinum, carnes, & reliqua esui apta inuenimus. Plures autem sunt Heracleæ: siquidem de vna

iam verba fecimus, ad Propontidis littus sita, Rhodostóque vicina, quod Perinthum vocauimus, tametsi neoterici quidam Heracleam illam Propontidis Perinthum esse contendant. Verùm iam protestati sumus, minimam esse nobis curam vt vetera nomina iis quæ nunc in alia mutarunt vrbibus adaptemus. Itaque Perinthus sitne Heraclea Propontidis, an Rhodosto, aliis disceptandum relinquo. Pro certo nobis relatum est, in planicie illa Heracleana magna equorum armẽta ali, plus quatuor millibus equorum constantia, è quibus singulis annis plures sexcentis deliguntur ad bellum apti. Eius regionis equi à Turcis admodum æstimantur, Caramaniq. appellantur. Incolæ Rhois frutice abundantes in vicinis montibus, eius fructũ colligunt & recondũt, quo saporem suis edulius conciliẽt; eo etenim admixtis alliis contusis, & modico sale, carnes cùm elixas tũ assas inspergunt, illisq. aciditatem quandam & suauem saporẽ conciliant. Heracleæ hæsimus toto subsequente die, vt iumenta conquireremus. Patet Heracleana planicies ad bidui iter; iis tamen locis duntaxat habitata, quæ aqua abundant.

CAP. CXII.

De nostra ex Heraclea in Iconium profectione: deque capris, delicatam illam lanam, ex qua vndulatus pannus conficitur, ferentibus.

CONDVCTIS ergo in singula capita ducato cum dimidio iumentis, iter fecimus Iconium, quod vulgò Cogne dicitur. Planicies rigatur canalibus ductis vt Damasci. Multi apparent pagi, procul inter se disiuncti, secundum montiũ radices. Frequens istic est Absinthium quod Græci marinum cognominarunt; non quòd eo loco circa mare nascatur (plus enim quàm quatridui itinere inde abest) sed quod illis ita nuncupare visum sit, tametsi in Mediterraneis locis proueniat. Cãpestria Saluia tenuiore & Polio canescunt. Tres ligneos pontes superauimus: nam frequentes istic sunt canales & riui: & subitò exortus

exortus auſter, magno impetu arenã in faciem nobis prouoluit. Secundum rotundum tumulum iter fecimus, qui humana arte exſtructus videbatur: nam æqualiter aſſurgebat, atq. foſſis aqua plenis cinctus erat. Longiùs deinde progreſſi, loca admodum lapidoſa, iis in quibus ſitus eſt Fons Bell-aqueus, ſimilia, ingreſſi ſumus, præterquam quòd hæc arboribus carent. In Car-baſſara quodam pernoctauimus iuxta fontem regia via, vnde ante lucem digreſſi, in ampla campeſtria loca, nuda, & arboribus carentia peruenimus, ex quibus hinc inde montes procul à nobis diſſitos conſpiciebamus, in quibus non niſi in ſummo vertice arbores naſcuntur, ad eorum autem radices Abſinthium quod diximus Seriphiũ, & aliud Ponticum à noſtro domeſtico non diſcrepans, niſi quod cãdidius ſit. Eius regionis capræ tenui adeò lana ſunt veſtitæ, vt ſericum ipſum tenuitate prouocet, candore niuem. Maiores non ſunt noſtris arietibus, nec vt oues tondentur, ſed velluntur. Carnes non minus ſuaues quàm veruecinæ, nec ferinũ quidpiã redolẽt. Tenuiſſimi elegantiſſimiq; panni ſiue vndulati, ſiue nõ vndulati, ex huiuſmodi caprarũ lana texũtur. De his vel ſanè his ſimilibus Aelianus auctor Græcus, noſtro iudicio, meminit Caſpiæ, inquit, capræ, albiſſimæ ſunt, & magnis cornibus mutilæ, quarũ villi adeò molles, vt Mileſiis lanis mollitudine cõparari queant, omnium quæ reperiuntur molliſſimis & delicatiſſimis. Sed Plinius alias ab his differentes deſcribit. Tondentur capræ, inquit, quòd magnis villis ſint in magna parte Phrygiæ, vnde cilicia fieri ſolent. Sed quod primùm ea tonſura in Cilicia ſit inſtituta, nomen id Cilicas adieciſſe dicunt. E quibus apparet, diuerſi generis eſſe capras. Laniferæ illæ domeſticæ ſunt, & à noſtratibus differunt: nã minore ſunt corpore, puſillisq; cornibus. Earum villi albicant vt nix, longiuſculi ſunt, & capillis humanis tenuiores. Nullam herbam inuenimus Ambroſia

frequentiorem, adeò odoratam, vt capitis grauedinẽ non minus induceret, quàm si in cella vino musto plena versatus fuissem. Incolæ eam legunt ad ignem struendũ, quia lignis carent. Eadem causa bubulum stercus deficcant, quemadmodum in Armour Britanniæ. Sunt autem ea campestria de quibus agimus, admodum deserta, cùm & riuis & fontibus careant. Satis tẽpestiuè in amplum pagum venimus nomine Sarameli, vbi vidimus scopas ex Ambrosia confectas, cuius manipulum in Galliam retulimus, pro re singulari: nam in Europa sponte non prouenit, quod sciam.

Bellonius satis attentè Ælianum legisse non videtur: nam licet is auctor lib. 17. Historiæ Animaliũ cap. 34. de Capris Caspiis agat, quas albissimas esse scribit, & cornibus mutilas; quæ tamen de villorum mollitie eodem capite addit, capris non sunt tribuenda, vt Bellonius autumat, sed Caspiis camelis. Camelis, inquit, quoque Caspii abundant, quorum maximi ad equorum maximorum accedũt magnitudinem. Eorum villi adeò sunt molles, cum Milesiis lanis vt mollitudine comparari possint, ex iisque sacerdotes & Caspiorum ditissimi præcipuique vestes conficiant. Mirari autem subit, cur quæ de Lyciis capris idem auctor tradidit, non adscripserit. Ait enim in hunc modum lib. 16. cap. 30. eiusdem Historiæ: Callisthenes Olynthius capras scribit in Lycia densissimo & prolixissimo hirsutas esse pilo, vt muliebres crines implexi ab eis dependere videantur; passim tamquam oues, tonderi, ex eademque nauium fabros rudentes contexere.

CAP. CXIII.

De vrbe Iconio.

POSTRIDIE *per campestria loca prosequuti sumus nostrum iter vsque ad vrbem Cogne, veteribus Iconium dictam, non procul ab altis montibus sitam, quam irrigant plerique riui ex iis montibus delabentes, & in magnum Car-bassara diuertimus. Illius vrbis mœnia ex vario lapidum genere sunt fabricata, vt Constantinopolitana, illorumq; ambitus orbicularis est; turres verò illis impositæ, raræ sunt & quadrangulæ. Vetusta autem non esse ipsius vrbis mœnia, facilè coniicere licet ex marmore è tẽplis sublato, cui epitaphia Græcis characteribus inscripta sunt. Eam verò à Christianis aliquando possessam esse, cruces, & earum vestigia satis demonstrant.*

strant. Pars vrbis qua egressus est in planiciem, Orientem spectat: ad eam vero vrbis portam quæ inter Orientem & Meridiem vergit, marmoreus est Hercules turri vicinus extra mœnia, sed cui Turcæ haud pridem caput ademerunt. Octo habet Iconiũ portas vt Halepum. Habitatur à Græcis, Turcis, Arabibus, & Armeniis. Vites istic diligenter coluntur, & generosum vinum à Iudæis redemimus. Elegantiores Iconij fabricæ. Mesquedæ sunt, Thermæ, & Car-bassara. Istic non vruntur alia ligna quàm Iuniperi maioris, Sabinæ alterius, pumilæq. Cedri vtriusque, & Ledi: quæ (præter Ledum) cùm discernere inter se cuperemus, nulla vel diligentissima obseruatione potuimus; eiusdem enim odoris & saporis sunt, corticéque integuntur simili, non duro vt alia ligna, sed oblongis philuris inuicem incumbentibus vt vitis, materiáque corde rubro; reliqua alba vt in Siliqua & Taxo; similémque fumum reddentia dum vruntur, & similes carbones æquabiles vt tiliæ, lauésque vt salicis: omnia resinam fundunt terebinthina duriorem, eandémque duritiem in cæsura habent; perpetuò omnia virent, fructúmq. eodem tempore, hoc est, hieme maturant.

CAP. CXIIII.

De Turcarum aurifabris.

TURCÆ non minus sunt insani quàm nos circa aurifabrorum opera: sed illorum ex proba materia validaque fiunt. Annulis delectantur, & cultellis eleganter concinnatis, quorum vaginas auro vel argento exornant, & è catenula argentea suspendunt. Vulgaris est consuetudo cùm apud Turcas, tum apud Græcos, vt cultros è cingulo propendentes gestent: ij magna ex parte in Vngaria confecti sunt, oblongúmque habent manubrium: sed simulatque Turcici institores eos emerunt, opificibus tradunt, vt manubrio ex dente belluæ marinæ Mors quibusdam dictæ, Gallis Rohart, *adornent: eius autem den-*

tis

tis duo sunt genera; vnum candidissimum, compactum, vnicornu simile, adeò durum, vt vix lima, nisi ex selectissimo optimèque temperato chalybe constet, rodere possit: alterũ genus incuruũ est vt Aprini dẽtes, & Hippopotami dentẽ esse arbitrati fuissemus, nisi Hippopotamos viuos vidissemus, qui similibus dẽtibus non erant præditi. Manubria etiam addere solent ex Testudinis Indicæ operimento transparente aurei coloris, quæ ducato fere æstimantur. Aurifabri laboraturi, humi desident, fornacémque propterea habent in media officina humi positam nullo camino, vnicúmque follem orbicularem, quem attollentes & deprimentes inflant. Biduo Iconij hæsimus; cùm vt iumenta mutanda conquireremus, necessariáque ad iter compararemus; tum quoniam dies erat Natali Domini sacer. Deinde à meridie iter fecimus versus quẽdam montem qui superandus nobis erat. Nix verò densa decidit, quæ omnia operiens, fecit vt itineris duces aberrarẽt. Conscenso monte, diu per Pinastri siluas iter fecimus, & in pagum perducti, in Car-bassara noctem traduximus. Subsequens dies nobis molestus fuit, cùm auræ ratione, tum quòd alternis perpetuò adscendendum vel descendendum esset. Frequentes habet hæc regio incolas & pagos. Licet autem in hieme versaremur, Oxygalam tamen inueniebamus, edulium Turcis admodũ vulgare, præsertim æstate. Illam taberna perpetuò paratam habent in magnis lancibus; precium in singulas constitutum vnicus asper, qua quatuor Turcæ saturari queant. Non diu eo die iter fecimus quin montes egressi, in campestria Pamphyliæ peruenieremus, quæ regio cum Cilicia, Caramania nunc appellatur, Sangiacorumq; septem sedes habet. Iter faciebamus inter elegantissimas fructiferas arbores humiles, vrbem Angouri, veteribus Ancyra dictam, ad dextram relinquentes. Ea vrbs nunc est totius illius regionis celeberrima, propter panni vndulati frequen-

quentissimum mercimonium, qui in ea sola vrbe texitur ex mollissimis villis caprarum, quæ in Cilicia & Pamphylia duntaxat reperiuntur. Deinde peruenimus in Achara, vbi in Car-bassara pernoctauimus.

CAP. CXV.

De vrbe Achara.

TVRCICÆ *ditionis oppida, magna ex parte mœnibus cincta non sunt, vti nec Achara Armeniæ minoris oppidum. Sepulchra istic saxea vidimus, Latinis litteris inscripta, quæ sub fontibus collocata, propter concauitatem, conseruandæ aquæ nunc seruiunt, ad aquanda peregrinorum iumenta. Situm est hoc oppidum apud latum & amplum stagnum, secundum quod diu iter fecimus: varij generis pisces in eo capiuntur, vti tincæ, lucij, cyprini, bramæ. In nostra peregrinatione dietim iter computauimus, non per milliaria vt in Italia, neque per leucas vt in Gallia. Achara digressi, per eadem campestria iter prosequuti sumus, secundum colles multos pagos sitos conspicientes, cùm ad dextram, tum ad sinistram. Prandimus in exiguo quodam pago, in quo victui necessaria affatim reperimus. Noctu peruenimus in aliud oppidum Carachara nuncupatum, hoc est, Arx nigra, vbi huic nostræ peregrinationi finem ad tempus imposuimus. Quoniam porrò istic hæsimus, reliquámque hiemem, & magnam subsequentis veris partem traduximus, per vicina loca obambulantes; multa ad Turcarum mores & viuendi consuetudinem pertinentia obseruare potuimus. Qui opificium aliquod callet, melius semper apud Turcas excipitur quàm qui nullū nouit. Hinc fit vt è captiuis alij aliis sese facilius è seruitute liberēt. Nā qui opifices sunt, breui redemptionis precium adquirere possunt: qui verò nihil callent, duram seruitutem seruire coguntur, quoniam eorū domini vel ad arandū ipsos compellūt, vel ad greges curandos ablegant. Ipsimet Ianissari maxima ex parte aliquod opificiū excercere norūt: nam*

dum

dum in Androne adhuc pueri adseruantur, aliquam artem edocentur. In summa, cùm artes sint seruilis conditionis hominum alumnæ; nihil istic prodest, nobili stemmate progenitum se profiteri. Plerique vitam sustentant, panem recentem & calidum vendendo, qui musto maceratus edatur: quoniam verò fabrica clibani quo vtuntur, non est vulgaris, illam hìc exponam. Magna habent fictilia vasa, iis similia quæ nostrates mulieres vsurpant dum lineos pannos eluunt, quæ Gallicè cuuiers de terre, hoc est, cupas fictiles, appellant: ea ad dimidiam altitudinem in terra recondunt. Cúmque sint in imo perforata, canalem orbicularem ad latus in terra faciunt, qui respondet imo fictili. Transuersim autem iacente fictili, & canalem ad imi latus habente, lignum siue carbones in imo repositi, facilè flammam concipiunt, atque facilè vas calefaciunt vndequaque. Pistor qui farinæ massam fermentatam habet, tenues placentulas facit, eásque in tegete curua & fornicem æmulante, vt pileus larga, reponit; manum deinde in tegetem imponens, placentulas fornici fictilis iam feruidi applicat, eáque ratione placentulæ pendentes facilè coquuntur: pistor autem cùm vnam placentulam iam coctam adimit, alteram coquendam eodem loco reponit: multáq; simul ex vasis fornice ita propendent. Quo verò facilius eas eximere queat, furculam habet vnci modo incuruam, quam sinistra tenens, placentulas propendentes apprehendit, dextra autem longam spatulam habens, eas decutit. Pistor porrò prolixam barbam alere non debet: nam facilè à flamma adureretur. Incolæ igitur has placentulas adhuc calentes emunt, & cum musto edunt, próque deliciis habent. Hibernus verò potissimùm est cibus: nam æstate fructus aliáque similia eduntur. Sed quoniam fusiùs de his omnibus libro

tertio

tertio agemus, nunc superse debimus. Attamen antè quàm earum rerum narrationem auspicemur; non absonum videtur, vt nonnulla de legibus quas Mahumetes suis assectis dedit, in medium adferam; vt facilius intelligi queat, barbariem & stoliditatem falsi huius prophetæ, miseram istam & rudem plebẽ seduxisse, & ad suas leges traduxisse, quæ tamen nihil sunt nisi vera somnia. Itaque finem huic secundo libro imponentes, tertium auspicabimur ab euidentissimis Mahumetis deliramentis.

PETRI

PETRI BELLONII CENOMANI

Singularium & memorabiliū Rerum, per varias exteraſq́ue Regiones obſeruatarum,

LIBER TERTIVS.

LECTORI.

QVANDOQVIDEM de variarū nationū, quas adiimus, moribus, ſuperioribus libris egimus: operęprecium facturos arbitrati ſumus, ſi tertio hoc libro ſingularia quædam circa Turcarū viuendi conſuetudinē, ſicuti nos in Aſiæ meditullio conſtituti obſeruauimus, explicaremus, pauca tamen de deliriis quæ pſeudopropheta Mahumetes in ſuo Alcorano illis ſcripta reliquit, prius dicturi. Tametſi autem neque dies, neque menſes, neque etiam annos in hoc libro indicauerimus, vt plerique alij qui ſua itineraria deſcripsêre: quiſquis tamen ea requiret, illum ad primi libri præfationem ablegamus, iſtic, quo deſiderium expleat, inueniet. Iam enim virorū fide dignorum & doctrina præditorum auctoritate demonſtrauimus, nobis teſtes non defuturos, qui noſtram peregrinationem, de qua hîc agitur, ſint aſſerturi.

CAP.

Cap. 1.

De origine Turcicarum legum peculiaris ratiocinatio.

AD *Secundi libri calcem scripsimus, deliramenta esse quæ Mahumetes in suo Alcorano tradidit. Cùm itaque plurima de Turcarum moribus & institutis obseruandi ocium habuerimus, in Paphlagonia aliquamdiu versantes; necessarium esse duximus, nonnulla seorsim de Mahumete disserere, quæ forsitan (quod omnium pace dictum volo) nostra lingua nemo hactenus prodidit; vt facilius deinceps demonstrare possimus, cur Mahumetani in eo vitæ genere persistant, præsertim cùm res sit nostro instituto accommoda.*

Anno, vt fertur, Christi sexcentesimo vigesimo natus est Mahumetes Arabiæ Felicis vrbe Mecha nuncupata, quam Petram esse arbitramur, istícque Turcicæ hæresis primordia iecisse: anno verò sexcentesimo octogesimo tertio è viuis sublatus. Turcæ librum nomine Asear magna veneratione obseruant, totius vitæ Mahumetis ordinem continentem. Is complectitur quidquid ab ipsa natiuitate ad vitæ vsque exitum ille fecerit: nomen ipsius patri fuisse Abdola Motalip, matri Imina, vtrumq. idololatram: Abdolã periisse ante Mahumetis natiuitatẽ, Iminam binis ab ipsius natiuitate annis naturæ cõcessisse, eaq; ratione orphanũ relictum. Mahumetẽ oriundum ex prosapia Ismaëlis Abrahami ex Agar filij; Ismaëlẽ tẽplum in Mecha exstruxisse, quod omniũ primũ à condito mundo fuit: Mahumetẽ quadriennẽ, cũ aliis pueris ad piscationẽ progredi solitum: cúmq. solus in agro versaretur, angelũ Gabrielẽ vestibus ornatũ candidissimis, humana figura ad illũ venisse, manúq. ipsius apprehẽsa, post collẽ seduxisse, pectus illi acutissima nouacula aperuisse, cor exe-

misse, è quo nigram guttulam sustulerit (quam Turcæ asserunt omnibus ineſſe homin. bus, in eáque dæmones tentationis ſedem collocare) corq; ita expurgatum denuò in pectus recondidiſſe, ne vnquam poſtea à dæmone tentari poſſet. Hæc Aſcar liber de Mahumetis pueritia tradit. Deinde cùm decimumquintum annum attigiſſet, ſæpiùs peregrinationes ſuſcipere ſolitum, in Perſiam, Memphim, Syriam, cum prædiuite & opulento negotiatore nomine Gadiſa, ipſius cognatæ marito, quo mortuo, illā matrimonio ſibi coniunxiſſe, ex qua quatuor proles ſuſceperit, tres filias, vnicum filium, atque eam primam ipſius vxorem fuiſſe: negotiationem deinde affinis defuncti exercuiſſe ad annum vſque ætatis trigeſimum octauum: in ſolitudinem deinde conceſſiſſe, iſticque vitam traduxiſſe, & ſingulis diebus in cryptam ſe abdidiſſe non procul à Mecha, vbi ad noctem vſque permanebat, tantáq. abſtinentia vtebatur, vt corpus vires deficerent: indeq. mente priuatum, multa inſomnia & viſiones habuiſſe, cúmque neminem conſpiceret, quaſdam voces exaudiſſe, quas noctu ſuæ vxori referebat: illam verò aſſeruiſſe, diaboli tentationes eſſe: qua de cauſa in huiuſmodi delirium incidiſſe, vt quodammodo fureret, atque ex montis faſtigio ſeſe præcipitare conſtitueret. Deinde Alcorano ſuo initium daturus, Gabrielem angelum ipſum abs ſua opinione diuertiſſe ſimulauit, formáque humana candidas alas habente ipſi apparuiſſe & dixiſſe: Alacri. ſis ô Mahumetes, animo; Deus enim tibi ſalutem denunciat, vúltque te ipſius eſſe prophetam: ſiquidem tu es omnium creaturarum perfectiſſima. Præterea illi ſuum diploma angelum oſtendiſſe, iuſsiſſéque vt legeret: reſpondenti verò Mahumeti ſe legere neſcire, angelum replicuiſſe: Tui Creatoris nomen lege, ô Mahumetes, atque ſubitò diſparuiſſe. Addit præterea Aſcar, Mahumetem ſumma lætitia affectum, domum rediſſe, arboréſque, ſaxa, & animalia

malia obuia, honore illum affeciſſe, eumq; ſalutãdo dixiſſe: Dei nuncius futurus es, ô Mahumetes. Quæ omnia cùm vxori narraret, fidem adhibere noluiſſe, immo dixiſſe dæmonis eſſe tẽtationem, quod adeò ægrè tulit Mahumetes, vt in aduerſam valetudinem incideret. Sed angelum ad ipſum lecto decumbentem veniſſe, & Alcorani ſecundum caput attuliſſe, in quo adſcriptum erat: Surge, tuum Creatorem extolle, tuas veſtes purga, & idola abhorre: tum vxorem euocaſſe, omniáque iſta illi retuliſſe: verùm illam cenſuiſſe, tentationes eſſe prioribus ſimiles; qua re adeò commotus ipſe fuerit, vt in grauiorem quàm antea morbum incideret: at angelum media nocte ad ipſum rediiſſe, tertiúmque Alcorani caput ſcriptum tradidiſſe: ex quo priſtinæ valetudini reſtitutus fuerit. Cúmq. ipſius vxor diceret, angelum ſe libenter conſpecturam: id haudquaquam fieri poſſe reſpondit.

CAP. II.

Qua aſtutia initiò vſus fuerit Mahumetes, vt rudem plebem ad ſuam legem pelliceret: deque iis qui ipſi in hac re auxilio fuêre.

CVM Mahumetes nouam hæreſin inſtituere haberet in animo, ſatis felicem initiò ſucceſſum habuit: nam binos Chriſtianos in Mecha inuenit, veteris & noui teſtamenti codices habentes, & in illorum lectione vtcunque exercitatos, à quibus in condendo ſuo Alcorano magnopere adiutus fuit. Ipſe porrò cùm varias prouincias adiiſſet, Syriam, Palæſtinam, Ægyptum, acri præditus erat ingenio. Nam conſcriptis aliquot capitibus (quæ per angelum Gabrielem ſibi miſſa dicebat vt Alcorano inderet) deſcribenda exemplaria curabat, quæ multis in Mecha clam dabat, vt ea memoriæ commendarent: nã illa nõ niſi clam ab initio cõmunicare auſus fuit. Poſtquam verò potens quiſpiam vir Homar appellatus,

Elizabethæ visitationem recensèt. Hoc loco dicunt Alcorani interpretes, Christum cum matre duntaxat à dæmonis tentatione immunes fuisse, ipsámque sine originali peccato vixisse concedunt. De Christi natiuitate, déque salutatione & vniuersò annunciationis mysterio expressè meminit cap. 1. libri tertij. Atque tres excellentiæ Domino nostro tribuuntur in Alcorano; prima cap. 2. lib. 1. Iesum Christum corpore & anima in cælum ascendisse: altera, quòd illum Dei Verbum appellet: tertia cap. 3. lib. 1. quòd Dei Spiritum ipsum nuncupet. Hæc Alcoranus nemini vnquam attribuit, nec Mosi, nec Dauidi, nec Abrahamo, nec ipsi Mahumeti. Addit cap. 2. lib 4. Iesum Christum humani cordis secreta cognouisse, mortuos suscitasse, deploratos morbos curasse, cæcis visum, mutis linguæ vsum restituisse: ipsius etiam discipulos miracula edidisse naturam superantia. At Turcæ, suæ hæresis patrocinio fauentes, hæc omnia non ad Christi, sed ad sui Mahumetis laudem exponunt.

CAP. IIII.

De diuersis sectis quæ inter Mahumetanos de ipsorum religione suborta sunt.

PRÆTER *Alcoranum obseruant Turcæ alterius libri præcepta, qui* Zuna, *hoc est, Iter, siue Lex, siue Consilium Mahumetis dicitur. Is liber ab ipsius morte primùm à discipulis eius conscriptus fuit. Cùm autem per multorum manus vagaretur, nonnulli quidpiam adiiciebant, alij demebant, pro ipsorum arbitrio: vt tandem pleraque adeò confunderentur, & tot contradictiones in illo libro reperirentur, vt quæ Mahumetes affirmatiuè dixisset, in eo negatiuè descripta essent: eam ob causam tanta dissensio in ea hæresi suborta est, vt Alcaliph, hoc est, Rex qui tum illi genti dominabatur, omnibus Mahumetanis præciperet, vt*

omnes

omnes in Alcorano bene versati, proprio nomine Alphachi appellati, Damascum conuenirent, & delatis eò omnibus suæ legis scriptis, Concilium haberent. Ex ducentis qui conuenerant, sex Alphachos, hoc est, peritos delegit, quorum primo Muſzlin *nomen fuit, secundo* Bochari, *tertio* Buborayra, *quarto* Annecey, *quinto* Atermindi, *sexto* Dent. *Hos in locum quò illati erant quotquot reperiri potuerant libri, induxit, vt ipsos examinarent. Singuli ex variorum scriptis librum compilarunt, quem Regi Alcaliph obtulerunt: Ille aliis eruditis euoluendos tradidit, reliquos omnes in Damasci amnem Chrysorrhoas Latinè appellatum, Arabicè* Adegele, *abiici iussit. ea ratione soli sex illi libri, quibus* Zuna *nomen inditum, ex ducentorum camelorum onere conseruati sunt: reliqui in amne perierunt. Rex porrò omnibus Alphachis, hoc est, Theologis Mahumetanis præcepit, ne, quis in posterũ vllã Mahumetis auctoritatẽ in medium proferret, nisi ex illis sex Zunæ libris petitã. Postea verò Mahumetanus Theologus quidam in Epitomen contraxit sex illos libros, quæ Liber florũ appellatur. Turcæ eadem obseruantia colunt Zunæ libros, qua Alcoranum, propterea Alcalipham illum sanctum virum æstimant. Tametsi autem tot Theologi in sex illos libros contraxerint quidquid in innumeris illis libris continẽbatur; cùm tamen multæ adhuc in illis contrarietates reperiantur, variæ inter illos sunt ortæ schismata. Ab illo enim tempore quatuor diuersæ opiniones exortæ sunt, quarũ vnã amplectentes Persæ, Turcis aduersi sunt, séque mutuò hæreticos appellant: atque nisi Turcæ potentia, ob victorias quas adeptus est aduersus Babyloniæ Sultanum, quódque Syriam, Aegyptum, & Mesopotamiam sibi tributarias reddiderit, plurimum eas opiniones vniisset, variæ aliæ exortæ fuissent, propter linguarum diuersitatem. Turcæ credunt Alcoranum vnica nocte compositum fuisse: alij*

Turcis propter Paschæ sacrificium iugulatos, in extremo iudicio pro iis qui ipsos iugulandos curarunt, oraturos. Alcoranus porrò capite primo libri primi refert, binos Angelos cauerna quadam in Babylone includi, & è superciliis pendere, torquendósque ad extremum vsque iudicium. Glosa autem hoc loco addit, Deum binos Angelos Babylonem misisse, qui de incolarum controuersiis iudicarent, singulísque diebus mane è cælo descendere, sub noctem verò cælum repetere solitos: quodam autem die in formosam mulierem incidisse, quæ de marito querebatur, eamq; sic illis placuisse, vt de concubitu sollicitarent, ipsam annuisse, ea conditione vt orationem edocerent, cuius virtute in cælum conscenderent: mulieri obsequentes, orationem docuisse: quam simulatque memoriæ mandasset, in cælum euolasse: angelos que, ob peccatum, orationis efficacia priuatos, in cælum amplius conscendere non potuisse, sed in terra hæsisse. Deum porrò pœnarum in hoc vel in altero sæculo luendarum optionem ob peccatum illis obtulisse: cùm in hoc sæculo luere mallent, eos ad iudicij vsque diem vt è superciliis penderẽt, adiudicasse. Ab iis Angelis addit Alcoranus, illius regionis homines Necromantiam edoceri. Cap. autem 19. lib. tertij scriptũ habet, Deũ stellas in cælo fixisse, cùm ad huius mundi ornatum, tũ ad arcendos malignos spiritus: quos, dum cælum propiùs accedere volunt ad paradisi secreta exaudienda, singulæ stellæ cum accensa face fugant. Liber Zunæ vero, stellas in aëre è catenis aureis pendere ait, ad excubias agendas: nam alioqui dæmones paradisi secreta captatum venirent, vt ea hominibus coniectoribus reuelarent.

CAP.

CAP. VII.

Amœna in paradisum profectio, quam Mahumetes noctu dormiens se confeciſſe fingit: & inſignes nugæ quas de Turcarum paradiſo refert.

MAHVMETES *noctu dormiens, viſionem habuit, quam poſtridie narrauit & deſcripſit: ea omnibus ſuis poſteris magnum commodum attulit, vt in articulis à Deo illi (vt ait) conceſſis videbimus. Dum igitur cum Axa vna ex vndecim quas habuit mulieribus, quamq; præ reliquis diligebat, taceret; media nocte euigilans, ſomniauerat quempiam ſuas fores pulſaſſe, atque (vt ipſe ait) ſurrexiſſe vt aperiret, angelumque Gabrielem iſtic reperiſſe bis ſeptuagenis alis niue candidioribus, & criſtallo lucidioribus amictum; qui animal apud ſe haberet lacte magis album, aſino maius, mulo autem minus, quod Arabico nomine Alborach appellat. Libro Aſcar nuncupato ſcriptum eſt, angelum Gabrielem in Mahumetis amplexus ruiſſe, atque dixiſſe; Ad te ſalutandum Deus me miſit, ô Mahumetes; mihiq; iniunxit, vt te hac nocte in paradiſum abducerẽ, vt maxima, quæ vnquam ab homine conſpici potuerunt, ſecreta videas. Mahumetes reſpondit ſe paratũ eſſe Cui Angelus: Conſcẽde ergo Alborach, & abeamus. Verũ Alborach retrocedenti dixit angelus. Cur Mahumetẽ ſeſſorẽ admittere non vis? Hoc tibi certò affirmare poſſum, neminẽ Mahumete meliorẽ vnquã conſcẽdiſſe, nec cõſcenſurũ. At Alborach negauit ſe eũ admiſſurũ, niſi prius pollicereturſe in paradiſum inuecturũ Mahumetes tũ reſpondit, ipſum futurũ primũ animal quod paradiſum ingreſſum ſit. Mahumetes illicò conſcendit; frenúmque tenente Angelo, tota nocte verſus Hieroſolymam iter fecerunt. Addit Aſcar, Mahumetem in itinere fœmineam vocem exaudiſſe euocãtem, Mahumetes, Mahumetes; Angelúmque dixiſſe: Cur non reſpondes? At ipſum tacuiſſe. Deinde longiùs*

pro-

progressum, aliam vocem audiuisse clamantem, Mahumetes, Mahumetes: Angelum autem vetuisse ne responderet: Mahumetem porrò Angelū interrogasse, quænam essent istæ mulieres quæ eum appellassent? Cui Gabriel: prior ea est quæ Iudæorum legem euulgat, cui si respondisses, omnes Turcæ facti fuissent Iudæi: altera illa est quæ Christianorum legem promulgat, cui si à te responsum datum fuisset, omnes Turcæ Christianismum amplexi fuissent. Breui pòst in Hierosolymitanum templum aduenerunt: quod ingressi, omnes prophetæ & Dei nuncij qui vnquam in orbem missi fuere, ipsis obuiam progressi fuêre, Mahumetémque his verbis exceperunt: Salue verorum nunciorum gaudium, & honorabilis propheta: eúmque in aërem sublatum, in intimum sacellum cum solenni pompa detulerunt, séque illi commendantes obsecrarunt, vt pro ipsis oraret, ipsorúmque meminisset cum Deum alloqueretur. Templum egressi, Mahumetes scalam inuenit Dei lumine constantem, atque ad cælum vsque pertingentem, quam, ipsius manu à Gabriele comprehensa, conscenderunt. Ad primum cælum peruenientes, quod ex puro argento constat, & ex quo stellæ dependent catenis ex obriso auro fabricatis alligatæ, eius magnitudinis cum Noho monte vrbi Almedinæ vicino, Gabriel fores pulsauit: interroganti ianitori quis fieret, Ego, inquit, angelus Gabriel, & Mahumetes propheta & Dei amicus: audito Mahumetis nomine, illicò apertæ fuerunt fores: istic canum senem inuenerunt, Adamum, qui Mahumetem amplexus, Deo gratias agebat, quod tali filio illum donasset, multúmque se Mahumeti commendauit. Vlteriùs progressi, variæ formæ angelos inuenerunt, vt boum, hominum, equorum, auium, inter quas gallus fuit pedibus primum cælum premens, & capite secundum cælum attingens.

Inter-

Interroganti Mahumeti quid ista sibi vellent, angelus respondit, angelos esse qui pro iis qui in mundo sunt, Deũ orant: humanæq; formæ angelos pro hominibus orare; bubulæ pro bobus, equinæ pro equis; gallinaceæ pro gallis: atque cùm ingens ille gallus caneret, reliquos gallos cùm cælestes tum terrestres canere. Deinde ad aureum cælum venientes, fores pulsarunt: ianitori inquirenti qui essent, Gabriel respõdit: Ego & Mahumetes: illicò ingressi, vndique Dei & Mahumetis nomẽ inscriptum hac ratione viderũt: Nemo alius est præter Deum, cuius Mahumetes est propheta: Nóque incanum repererunt; qui Mahumetem amplexus, sese illi commendauit. Postea admiranda formæ angelos conspexerunt, quorum vnus pedibus secundum cælum calcabat, & capite tertium attingebat, alterã manum in Oriente, alterã in Occidente habebat. Inde in tertium cælũ ingressi sunt, ex precioso lapide cõstans, vbi reperto Abrahamo, ingentem angelorum numerum viderunt, quorum vnus inter vtrumque oculum septuaginta dierum itineris interuallum habebat, manuque librum tenebat, in quo omnia scribebat & expungebat, isq; angelus mortis nuncupabatur, homines nascentes libro inscribẽs, & morientiũ nomina expungens. Inde porrò in quartum cælum Smaragdo constans delati, reperto istic Ioseph Iacobi filio (qui salutato Mahumete se ipsi commendauit) atque magno angelorum numero, quorum vnus procerus admodum, hominum vicem, qui propter peccata ad inferos descendebant, deplorabat. Postea in quintum cælum adamantinũ peruenerunt, vbi Moses Mahumeti se commendans, maiorq; angelorum numerus quàm in reliquis cælis. Hinc in sextum cælũ ex carbunculo siue pyropo fabrefactum, ascenderũt, vbi D. Ioannes Baptista, qui Mahumeti sese commendauit. Postremò in septimum cælũ, Dei lumine constans, venerunt, vbi reperto Iesu Christo, ipsi Mahumetes se commendauit,

uit, & conspecto istic maximo Angelorum numero, Angelus ipsum reliquit. At ille per difficilia loca ascendens, ingentem aquarum & niuium quantitatem inuenit, & mirum in modum fatigatus, cælestem vocem exaudiuit, dicentem: Saluta tuum Creatorem, ô Mahumetes; non procul enim ab illo abes: tum lumen adeò ingens illum circumfulsit, vt oculorum ipsius aciem turbaret. Ait Deum tectam habuisse faciem septuagesies mille lineis pānis, Dei lumine constantibus, atque abs illo abfuisse gemino duntaxat balistæ iactu: Deumq; ipsius vmbræ manum imposuisse, vnde ingens frigus senserit: Deum præterea ipsum hoc loco alloquutum, multa illi Legis præcepta dedisse, atque plurima secreta reuelasse. Addit Asear, Deū quinque donis Mahumetem affecisse, quæ in nullum mortalium vnquam contulisset. Primū, Mahumetem sublimiorem esse creaturam quæ in cælo aut in terra esset. Alterum, ipsum esse excellentissimum & generosissimum omnium qui ab Adamo fuerunt, atque ad extremum vsque iudicīū futuri sunt. Tertium, ipsum esse vniuersalem redemptorem, hoc est, peccatorum cōdonatorem. Quartum, omnes linguas callere. Quintum, vt bellorum spolia ipsi tribuantur: quo dono ipsius posteri maximè gloriantur. Scriptum habet præterea Asear, Mahumetem descendisse eadē via qua ascenderat, quæq; ipsi acciderant, Gabrieli angelo enarrasse: angelū autem dixisse; O Mahumetes, Deus iniunxerat, te in hunc locum perducerem, vt eius omnia secreta conspiceres. Nunc autem ad Inferos descendamus, vt inferna secreta etiam videas, vtq; homines à dæmonibus torquentur. Omnia hæc inscripsit Mahumetes suo Alcorano: è quibus liquet crassi fuisse hominem ingenij. Describens porrò Paradisum quem suis pollicetur, quinque rebus præditum esse refert, ædificiis, suppellectile omnis generis cibo & potu, vestibus, elegantisq; formæ mulieribus, cum quibus voluptatem capere possint;

gene-

generosis item equis ephippia, & frena gemmis exornata habentibus. De Inferis refert septem ineſſe portas, dæmoneſque eſſe varij generis, quoſdam ferreis catenis vinctos, alios veru ferreo transfixos, homines autem perpetuò colliquatum plumbum bibere, putridiſque cibis, & malis veſci quæ vera ſunt dæmonum origo. Quæ omnia eo retulimus, vt Mahumetem cùm huiuſcemodi nugas deſcriberet, exiguo indicio præditum fuiſſe demonſtrarem.

CAP. VIII.

Cur Mahumetis lex Turcis permiſerit, vt ſe cum feminini ſexus mancipiis, cuiuſcunque tandem ſint religionis, permiſcere poſſint.

INDIFFERENTER *hodie ſeſe cõmiſcent Turcæ feminei ſexus mancipiis, nulla habita an Chriſtianæ religionis, an Iudaicæ, an idololatræ ſint, ratione; quod viuo etiamnum Mahumete illis lege cõceſſum fuit. Cùm enim Mahumeti, qui plures habebat vxores, donata fuiſſet à Iacobitarum Rege elegans Iudæa virgo, illicò ipſius amore flagrauit, nec abſtinere potuit quin illam comprimeret. Quod animaduertentes ipſius vxores, ferre nequiuerunt, repudiúmq. minitatæ ſunt, ſi perſeueraret: cùm autem ille non abſtineret, ſcandalum illi creatum eſt: nam duæ vxores ab illo ſeceſſerunt, & rem, vt geſta erat, per Mechã ſparſerunt. At ille, vt erat vigilans, remedium huic rei illicò quærendum exiſtimauit. Itaque nouũ caput ſuo Alcorano addidit, vt videlicet omnibus ipſius legem obſeruantibus, indifferẽter liceret cum feminei ſexus mancipiis, non ſecus ac cum legitimis vxoribus commiſceri: eaque lex initio capitis libri quarti Alcorani indita eſt, quod etiamnum nomen obtinet, Defenſionis caput; eiúſque ſunt verba: O Propheta, quoniam tuis vxoribus placere volens, licita prohibere voluiſti, ſcito Deum permittere, vt hominibus licentiam præbeas cum feminei ſexus*

xus mancipiis concumbendi. Hanc legem clam credidit nonnullis ipsius vxoribus, quæ subitò illam euulgarẽt: addebátque: Attamen vos mulieres, si pœnitentiam coram Deo egeritis, magnam vtilitatẽ adsequemini. Sin à Mahumete repudiatæ manebitis, ipsius Creator alias dabit ipsi vxores cùm virgines tũ viduas, in ipsius legẽ credentes, & illi obsequẽtes. Promulgatã hanc legẽ Mechani viri facilè receperunt, Mahumetísque causæ patrocinati sunt: accesserúntque Mahumetem repudiatarum vxorum cognati, ipsum obsecrantes vt vxores reciperet. Quo successu valde lætatus est; nihil enim aliud optabat; tametsi se eas recipere nolle simularet. Ex illo tempore Turcicæ mulieres sine zelotypia cum mancipiis habitãt. Licet autem Turcis vel centum mancipia feminei sexus habere: at legitimas vxores duntaxat quatuor.

CAP. IX.

Breuis paradisi quem Mahumetes Turcis pollicitus est, narratio; quamque ridicula sint quæ de eo recensẽt.

DE *materia ex qua cælum compositum sit agens Mahumetes, ex fumo illud Deum creasse ait, atque firmamentum in bubuli cornu cuspide stabilitum: agitante se aut succutiente boue, terræmotum fieri, quoniam vniuersa terra ipsius cornu incumbat. Mille alias huiuscemodi nugas Turcæ nunc credunt, quas Mahumetes illis perhibuit; atq; inter reliquas, septẽ esse paradisos, auro argentoq;, vnionibus & gẽmis exornatos, in quibus palatia iis quæ hic exstructa sunt lõgè elegãtiora, magna cõclauia atriáq; habentia: hortos præterea omni fructiferarũ arborũ genere cultissimos, fontésq; & amnes palatia alluere, modò ex puro lacte constantes, modò ex optimo melle, tum etiã nõnullos ex dulci vino: in medio verò paradiso arborẽ esse, totũ illiũ inumbrantẽ, ramosq. supra muros spargentem, quorum folia ex puro auro argentoque constant, singu-*

singulâq. Mahumetis post Dei nomen, inscriptum habẽt, Inde factum vt vsitatissimam suam orationem subinde repetãt hoc modo: Le illehe ille allah Mahomet razolollach. *Quã orationẽ si Christianus imprudẽter pronunciaret, aut moriendũ illi esset, aut Turcicæ religioni nomẽ profitendũ. Ex Alcorani præterea doctrina crediũt, quòd Turcæ in paradiso ridebunt, & voluptati indulgebũt, procul valere iussis mœstitia & solicitudine, semperque lætabũdi aulæis & lectis sericeo coccineóq; pãno exornatis insidebunt; equorũ ephippia & alia ornamenta ex gẽmis adornata habebũt, quódq. pueri nõ minus elegantes quàm gẽmæ auro inclusæ, sericeis, coccóq. viridi splendẽtibus, auratisq. vestibus induti, illis ministrabũt aureis atq. argẽteis poculis. Expleta autẽ fame & siti, vdẽ pueri crura, manus, brachia, & aures gẽmis, annulis aliisq. clenodiis exornata habentes, singulis Turcis in aurea lance ingens malũ citriũ præbebunt, quo ab ipsis accepto, & naribus admoto vt odorentur, illicò exorietur venustissima virgo, elegãtibus vestibus ornata, quæ Turcã amplectetur, illéq. vicissim eã: atq. in mutuis amplexibus per quinquaginta annos hærebũt, voluptatiq. indulgebũt. Quinquagesimo anno expleto, Deus illis dicet: Quãdoquidem, ô mei famuli, genio indulsistis in meo paradiso, meã faciẽ vobis ostẽdere volo. Tũ velũ à facie amouebit. Turcæ autẽ corruẽt præ huius luminis fulgore: quibus Deus deinde: Surgite mei famuli, & mea gloria fruimini: nunquam etenim amplius moriemini, neque mœrore afficiemini. Illi autẽ capita attollentes, Deũ facie ad faciẽ videbunt, & comprehensam singuli suam virginem, in suum cubiculum abducent, vbi victui necessaria inuenient, istícque genio indulgentes, voluptatémque ex sua virgine capientes, sine mortis metu vitam in lætitia traducent. Hæc Mahumetes & alia pleraque deliramenta de suo paradiso tradit: ex eáque narratione de pueris & virgi-*

nibus quas in paradiſo creatas eſſe ait, & muro incluſas, occaſionem Turcas ſumpſiſſe autumo condendi ſuas illas fabricas quas Serraglio appellant. Addit autem, quòd ſi aliqua ex iſtis virginibus intempeſta nocte locum muris concluſum egrederetur, non minus quam Sol, mundum illuſtraturam: ſi verò in mare ſpueret, aquam vt mel dulcem futuram. Ceterùm antè quàm narrationem de Turcico paradiſo abſoluamus, fabulam de ſympoſio quod Mahumetes ſanctioribus Turcis à Deo exhibitum fuiſſe ait, recitabimus. Primùm dicit, Deum Gabrieli mandaſſe, vt claues adferret, quibus paradiſum aperiret, earum autem ſeptuaginta millia in angeli cura eſſe, ſingulaſque claues ſepties mille milliarium longitudinis eſſe. Cùm verò Gabriel tanti ponderis clauē tollere non poſſet, Deo indicauit: cui Deus, Inuoca meū & mei amici nomē. Quibus nominibus inuocatis, clauem facilè ſuſtulit, & paradiſi fores aperuit; in quo menſa adamantina inerat, ſepties centena millia diei itinerum longa latáque, in cuius ambitu erant diſpoſitæ aureæ & argenteæ ſellæ. Deinde addit Turcas menſam ſtratam inuenturos, mantiliáque ſericeis & aureis filis contexta, ſediliáque quibus inſideant, puerósque ſupradictos in hoc ſympoſio miniſtraturos, variíque generis cibos præbituros, & fructus, vinúmque & aquam è paradiſi amnibus haustam pocillaturos: pro bellariis autem citria illa quorum antè memini, daturos. Abſoluto Dei ſympoſio, pollicitus eſt Mahumetes etiam epulum. Fons porrò eſt, ipſo perhibente, in paradiſo, cuius aqua niue candidior, melléq. dulcior eſt, longitudine & latitudine ſeptuagies millena diei itinera comprehendens, vbi plura vitra pateráque ſunt, quàm in cælo ſtellæ. Hunc fontem Deus Mahumeti donauit, quo Turcæ ingredientes, ſitim ſedent, quæ in æternum deinde ipſis non erit moleſta. Egreſſus autem fonte Mahumetes, in infernum deſcendet, delecturus probos omnes Tur-

Turcas, qui aliquam pœnam commeriti erant, quos, vt plenam remissionem consequantur, in prædictum fontem deferet, & vt atrum colorem, quem in inferno ex vstulatione contraxerunt, deponant, ipse illos aqua fontana abluet, nitéque candidiores reddet, deinde in aliorum Turcarum paradisum transferet. Turcici concionatores aiunt Mahumetem in arietẽ transmutandum, Turcas verò in pulices, quos ex inferis in paradisum transportans istic excutiet, vt pulices cadentes, aliorum Turcacarum formam denuo recipiant.

CAP. X.

De Turcarum connubiis: & cui illis data licentia quatuor simul vxores ducendi.

HODIERNO *etiamnum die Turcis, & Mahumetis lege initiatis, ex vetere instituto, plures quatuor vxoribus ducere non licet: vnus enim adhuc Mahumetes suis assectis quatuor legitimarum vxorum vsum concessit: ex lege autem in suam met gratiam condita, quot-quot voluit vxores ducere potuit. Ex Ascaris libro constat, quindecim vxores eum habuisse, præter ingentem mancipiorum feminei sexus numerum. Legem condidit, quæ & hodie obseruatur, de mulierum æqualitate, vt eadem ratione omnes vestibus, cibo, potu, & cubili tractarentur: si quid secus fiat, quæ iniustè secũ agi existimat, apud Iudicem cõqueri, & maritum in ius vocare potest. Eã ob causam, Turcarũ Imperatoris vel Bassæ alicuius filia maiore apud maritum priuilegio hodie non gaudet, quàm infimæ sortis cuiusplam filia: nam propter leuissimam causam matrimonio renunciare queunt: conquerente enim apud Cadi aliqua, si maritus deserere illam vult, iam solutum est matrimonium. Mahumetes adhuc viuus legem condidit, ne cui desertas à se vxores matrimonio sibi iungere liceret: diuortium autem renunciare vxori in ea regione, perinde ferè est, atque in Gal-*

lia ancillam dimittere. Præcepit etiam Mahumetes, ne ipsius vxores (tametsi nouem adhuc moriens haberet) ab eius morte cuiquam nuberent. Scriptum est in libro quodam Arabico, cui titulus, De bonis moribus Mahumetis, illum à virtutibus & virium robore extollente, eadem hora vndecim suas vxores subsequēter cognoscere gloriari solitum. Condidit etiam legem, quæ & hodie obseruatur, vt si quis vxorem ter repudiauerit, non possit deinceps illam recipere, nisi prius cum alio concubuerit. Hæc porrò quatuor Turcis sunt prohibita; ne sanguine vescātur, neq. suilla, neq. iis quæ idolis sunt immolata, neq. suffocatis. Viuo Mahumete, atq. etiā aliquamdiu ab eius morte, mancipia quæ ipsius doctrinam amplectebantur, libertatem consequebantur; quoniam primus qui in ipsum credidit, mancipium fuit; etenim se libertate illum donaturum pollicitus erat, si in ipsum crederet. Zunæ liber meminit legis qua sancitū erat, vt omnia mancipia Iudaicæ, siue Christianæ religionis, religionē suā abiurātia, & Mahumetanam amplectentia, libera fierent, etiam inuito domino: at ea lex hodie non obseruatur. Nostratium vulgus Mahumetis cippum in aëre pendere existimat, lapidis magnetis vi atque efficacia: attamen id recentiorum inuentum non est: nam Plinius simile quidpiam cap. 14. libri 34. de magnete scribit. Eodem, inquit, lapide Dinocrates architectus Alexādriæ Arsinoës templum concamerare inchoauerat, vt in eo simulacrum eius è ferro pendere in aëre videretur. Hæc autem de ridiculis Mahumetis nugis dicta sunto; nunc de Turcis agamus.

CAP. XI.

Liberos educandi apud Turcas ratio.

MIRAM, *sed facilem tamen infantes educandi rationem habent Turcæ: nam licet infantes muniant vndique & fasciis inuoluant, podicem tamen illis nudum relinquunt. Etenim illorum cunæ alueum siue fundum habent*

habent coriaceum, bene tensum, in quo rotundum foramen faciunt, cui infantis nudas nates imponunt; deinde fictile aliquod amplı oris sub eo foramine adhibent, quo infantium excrementa excipiantur: eam ob causam tot cunabulis non egent atq. nostri infantes, neque ita immundi sunt, neque tantā in educando molestiam exhibent: & licet succrescendo adeò robusti euadāt, vt sine adminiculo ingredi incipiant, quiescere tamen non permittuntur, nisi foramini cunarum impositi, donec aluum continere nouerint. Cùm autē fasciis inuoluti sint, superiora inuolucra permeierēt, nisi huic rei prouideretur. Idcirco buxeos tubulos, in infantium vsum factos, digitū crassos, sex longos, concauos, & ab vna parte incuruos, apud institores emunt, qui duorum sunt generum: alij enim masculis infantibus subseruiunt, alij puellis. Masculorum supernum foramen rotundum habent hac figura,

Masculorum tubulus.



Puellarum tubulus.



Puellarum autem longius, hoc est, supernum foramen latius in longitudinem excauatum est, vt hac altera figura demonstrat. Difficilè autē intelliget rem qui eos tubos applicandi ratiziem ignorat. Cùm igitur masculis infantibus tubum applicant, extrema mentulæ parte laxiori tubo imposita, longiorem tubuli partem inter crura ductam faciunt vt foramini cunarū respondeat, quo vrina in idem fictile quo excrementa excipiuntur, defluat. Eadem ratione puellarum tubuli applicantur; ducta enim eius longiore parte inter crura, vt vrina in vas cunis subiectum defluat, efficiunt. Hæc consuetudo optimè Turcis conuenit, qui perpetuò in aulæis sedere solent, alioqui ipsorum liberi omnia conspurcarent. Nullus

est apud eos pultis vsus; eiusmodi enim alimenta infantibus præbere non solent, qualia nos in Europa. Mulieres nihil illis aliud præbent quam mammam, donec vnius sint anni, aut decem mensium; eaque consuetudo vulgaris est omnibus Orientis nationibus, quæ nec pulte nec lacte animalium suos infantes alere solent: & ne tam remota petamus, ipsimet Itali magna ex parte nihil aliud suis infantibus præbent præter mammam, donec annum ætatis expleuerint; nutrices deinde quod ipsæ edunt, in infantium os ingerunt. sed prius præmansum, præsertim autem nuces cum pane: pultis enim nullus est vsus, sed potius boni alicuius iuscli, aut panatæ vt appellant. Expleto anno, cumque mandere incipiunt Turcarum infantes, dantur illis cibi quilibet, imo ne cepas quidem illis edēdas præbere formidant, sed prius cum pane vel carnibus præmansas. Cubilis etiam infantium non admodum magnam habent curam: quandoquidem apud ipsos plumarum nullus sit vsus. Ea consuetudo per omnes Turcici Imperij prouincias inoleuit, cùm inter opulentos, tum inter tenuioris fortunæ homines: nec adeò delicatè suos liberos tractare solent, quemadmodum Europæi Christiani.

CAP. XII.

De Armenis, & pluribus aliis nationibus Christianis sub Turcico dominio viuentibus.

TVRCIS *ex Scythia egressis, & vicinas regiones occupare incipientibus, Armenium Christiani omnium primi subiugati sunt: in fide tamen Christiana constantes semper permansere, vt per vniuersum Turcicū Imperium nunc etiam hoc nomen retinent: si enim Armenum appellant, Christianum intelligunt; at si Mahumetanam religionem amplectitur, eam appellationem amittit. Pagos & oppida etiam supra Armeniam inhabitant, vt per Asiamiam & Adiabenem; Persarum enim*

Rex

Rex in prouinciis sibi subiectis illos admittit: nam pacifici sunt & humani, egeni magna ex parte agricolæ, diligentes hortulani, bonique vinearum cultores. Illorum sacerdotes coniugati sunt, perinde atque Græci, & cum calice celebrãt Missam, Latinorum more, similiaque habent ornamenta, & paruas consecrant oblatas, non integrum panem vt Græci: omnes qui missam audiunt, sacerdoti respondent Armeniaca lingua. Christianæ religionis omnibus cultoribus per vniuersam Turcicam dominationem propria habere templa conceditur. Neminem enim ad suam religionem amplectendam adigunt Turcæ; sed omnibus in propria religione licet viuere. Ea ratione sui Imperij potentiam conseruat: subiugata enim aliqua prouincia, satis illi est vt indigenæ eius Imperium agnoscant, & tributum pendant, de animarum cura non est sollicitus. Quapropter sæpe multos pagos in Thracia vidimus, quorũ incolæ vel soli Bulgari essent, vel Valachi, vel Seruiani, vel Bosnenses, vel Epirotæ, vel Dalmatæ, vel Illyrici, omnésque Christianam religionem amplectentes: nam deuicta aliqua prouincia, Turca rusticos è pagis tollit, eosque tanquam colonias ad loca circa Constantinopolim deserta vel alia colenda transfert. Secundum Ponti Euxini littora interdum per pagos vagantes, vnico die quinque aut sex Christianæ religionis diuersa idiomata audiuimus, pro pagorum varietate. Sæpenumero Armenorũ qui in Turcicis oppidis habitant sacra adiimus, eáque animaduertimus Latinorum ritibus magis accedere quàm reliquarum nationum Christianarum. Atque licet diuersarum nationum Christiani in eodem oppido aut pago habitent: si tamen Armenus aliquis moritur, soli Armeni funus comitantur; si Græcus, Græci. Alia enim natio alteram ad funus prosequendum nõ inuitat, neque alia alterius negocia curat. Hinc fit vt sæpe quinque aut sex cœmiteria in Turcico aliquo oppido

conſpiciantur, pro variarum nationum quæ id inhabitãt ratione, facile illud permittentibus Turcis. Armenorum ſacerdote Euangelium legente, qui interſunt, dextra & ſiniſtra inter ſe oſcula libare ſolent, in teſtimonium quod mutuò ſibi condonent, omnéſque intelligunt quod ſacerdos ipſis prælegit: nã Armeniaca lingua veterem elegãtiam ferè retinet. Turcæ ſuos liberos in Arabica lingua diligenter inſtitui curant: vtque id commodiùs fieri queat, porticus fabricari curarunt, quo liberos ablegant, vt legere & ſcribere diſcant, atque Arabicam Grammaticam edoceantur: Puellas verò docent mulieres: nec adeò vilis pagus eſt qui porticum aliquam nõ habeat, vel ſaltem compluuium, ſub quod conueniant omnes eius pagi pueri maſculi. Legẽdo humi ſedent, quæ conſuetudo pueris admodum commoda eſt; nam hac ratione quieſcunt. Cùm autem lectionem recitant, vniuerſum corpus modò in anteriorem, modò in poſteriorem partem quatiunt, ob accentuum & pronunciationis difficultatem, vt opinamur.

CAP. XII.

De Iudæis per Turcicum dominium habitantibus.

PROFVGI *ex Hiſpania & Luſitania Iudæi, Iudaiſmum in Turcico dominio adeò auxerunt, vt omnis ferè generis libros in Hebræam linguam traduxerint, & Conſtantinopoli typographiam ſine accentibus inſtituerint. Libros etiam Hiſpanica, Italica, Germanica, Latina & Græca lingua excudunt: Turcica autem vel Arabica minimè, quoniam non licet. Qui per Turcicum dominium ſparſi ſunt, quatuor vel quinque callent vt plurimum linguas, & eorum plerique denas vel duodenas. Qui ex Hiſpaniis, Germania, Hungaria & Bohemia diſceſſerunt, vernaculam earum nationum linguam liberos ſuos docuerunt, & illi deinceps earum nationũ linguam didicerunt cum quibus negotiantur, vti Græcam, Slauo-*

Slauonicam, Turcicam, Arabicã, Armeniacã & Italicã. Pauci Gallicam norunt, quoniã cum illis nõ negotiantur. Ab omni porrò antiquitate fuerunt Iudæi magni negotiatores, & varias calluerunt linguas, quod cùm ex Historiis, tum ex sacra scriptura probari potest. Nam cùm Iudæi vndique confluxissent Hierosolymam, vt interessent festo Pentecostes; Domini nostri Iesu Christi Apostoli, qui Galilæa nunquam egressi erant, neque aliam linguam nouerant quàm vernaculam eius regionis, eo tamen die singuli loquebantur omnibus linguis, quod maximè admirati sunt Iudæi præsentes, qui ex Parthia & Media aduenerant, Elamitæ, Mesopotamiæ & Iudææ incolæ, Cappadoces, Ponti & Asiæ, Pisidiæ, Pamphyliæ, Ægypti, Lybiæ accolæ, Romani, proselyti plerique, hoc est, qui sponte Iudaismum amplexi erant, præterea Cretenses & Arabes: eámque ob causam sese mutuò interrogabant: Nónne hi omnes Galilæi sunt? & tamen singuli audimus eos loquentes lingua in qua nati sumus. Hæc autem descripta sunt in Actis Apostolorum: ex quibus probare volumus, quòd ab omni antiquitate negotiabantur per vniuersum orbem. Turcarum simplicitas admodum corrupta est Iudæorum commercio: quemadmodum Galli nonnihil immutati sunt exterarum nationum commercio; ad minimum, ipsorum ingenia torpentia, excitatiora sunt reddita. Vbicunque tandem Iudæi viuant, reliquas nationes versutia superant. Omnem Turcicam negotiationem ita amplexi sunt, vt tota Turcici Imperatoris opulentia, eiusq; vniuersus census in eorum sit potestate. Nam maiore precio redimunt quæsturam census prouinciarum, teloniáq. & nauium excensum, aliáq. Turcici imperij vectigalia. Eam ob causam sedulò eorum linguam ediscunt cum quibus negotiantur. Ea astutia vtuntur, vt cùm in Italiam negotiationis causa proficiscuntur, capitis illud opperimen-

tum colore albo inducant, vt Turcæ esse existimentur; quoniam Turcarum fidei plus tribuitur quàm Iudæorum: alioqui Iudæi qui peregrinantur, operimentum illud capitis flauum gestare solent; Armeni, Græci, Maronitæ, Indi, Cophthi, & reliquæ nationes quæ Christianam religionem amplectuntur, cærulo-purpurei coloris gestant illud diadema, vel versicolor; soli enim Turcæ album gestant. Quoniam autem Iudæorum opera vti sæpenumero coacti fuimus, atque cum illis versari; facilè deprehendimus, astutia & malitia reliquas nationes superare. Non vescuntur carnibus, à Turca, Græcóve, aut Latino siue Franco, vt vocant, apparatis: nihil pingue edunt, neque quod Christianorum aut Turcarum sit, sed nec vinum à Christiano vel Turca redemptum bibunt. Tot controuersiæ & schismata inter illos sunt, vt plurimi contraria ab aliis sentiant. Nonnulli Christiana mancipia possident, mares & feminas, quorum opera variis in rebus vtuntur die Sabbathi; veluti in Constantinopolitana typographia, aut exercenda mercatura: feminis etiam abutuntur tanquam Iudæis. Hæc alij reprehendunt, & in Legem peccari asserunt, negantes Iudæo licere mancipio feminei sexus Christiano abuti, quòd mulier Christiana sit; neque mares ad labores die Sabbathi adigere, quoniam ipsius opera peragantur. At illi prohibitum non esse respondent, quandoquidem res sint sua pecunia redemptæ. Recenti adhuc memoria Iudæo cuidam, medico filij Turcarũ Imperatoris Iconij habitantis, mancipia fuerunt binæ Hispanicæ puellæ eleganti forma praditæ, & Italicam linguam callentes, quibus abutebatur; & licet ex iis proles sustulisset, vendere tamen voluit: ipsásq; intelleximus mœrore animi admodum affectas, quòd in Turcarum potestatem vẽturæ essent. Cùm enim Turcæ puella aliqua suo ære redempta abusi fuerint, atque ex ea proles susceperint, illam quam maximo possunt

precio

precio denuo vendunt, vt aliam ea pecunia redimere queant. Hinc fit vt interdum mulier aliqua vicies aut tricies publicè venundetur, viri nonnunquam quadragies, modò Iudæis, modò Turcis. Qui magis scrupulosi sunt Iudæi, aiunt sibi prohibitum ne cum exteris mulieribus commisceantur; mancipio verò eorum religionẽ profitente, pro arbitrio abuti posse. Qui per Aegyptum, Syriam, Asiámq. minorem, & vniuersum Turcicũ dominium medicam artem profitentur, magna ex parte Iudæi sunt, licet etiam nonnulli Turcæ reperiantur, qui Iudæis plerumque doctiores sunt, & sic satis in praxi industriy: in reliquis autem rebus quæ in absoluto medico requiruntur, non admodum versati. Facile est Iudæis medicam artem callere, ob librorum Græcorum, Arabum & Hebræorum commoditatẽ, qui in ipsorum vulgarem linguam conuersi sunt, vti Hippocratis, Galeni, Auicennæ, Almansoris siue Rhasis, Serapionis, & aliorũ Arabũ auctorũ. Turcæ etiam Aristotelis & Platonis opera in Arabicam & Turcicam linguam conuersa habent. Aromatarij, quos Materialistas vulgo appellant, Turcici dominy vrbes incolentes, magna ex parte Iudæi sunt: Turcæ autem in Aromatum cognitione peritiores sunt, pluráque simplicia medicamenta in suis officinis venalia habent quàm nos in Europa: imo ausim dicere, primariũ Aromatarium Venetum tabernam varietate aromatum & medicamentorum adeò instructam non habere, vt Aromatarius aliquis Turcicus: de numero & varietate dico, non de quantitate. Præscripto aliquo medicamento, illud statim Aromatario mittit Medicus (nulli enim apud eos sunt Pharmacopæi) & medicamenta simplicia ab illo præsente pecunia redimit, more apud eam gentem vsitato, quæ nihil nisi præsente pecunia vendit, nec magis istic vicino creditur quàm cuinis extero: vnde fit, vt nullis istic rationum libris opus sit, neque syngraphis.

CAP.

CAP. XIIII.

De mercatura & foris Turcici Dominij.

NIHIL *nisi quod ad suam artem attinet, suscipiunt veri Mercatores apud Turcas, hoc est, qui vero & antiquo Turcarum & Græcorum more negotiantur: Iudæi verò Hispaniis pulsi, atq. Christiani apostatæ Constãtinopoli tabernas instruxerũt, in quibus omnis generis merces venales habent Latino more: hinc fit, vt non minus imponant emptoribus quàm in Europa, vbi vix videas pagũ in quo non sit huiusce modi aliqua taberna, quæ fortè decẽ aut duodecim merciũ genera habebit, eáque vel vitiata, vel vetustate corrupta. Turcæ longæui sunt: etenim non adeò delicatuli sunt, & sine discrimine allijs & cepis vescuntur, nec vinum bibunt nisi quàm rarissimè. Quoniam autem grassante peste, non sibi consulunt, nec à contagio sibi metuunt, sæpe ab ea tolluntur. Omnia aulæa detonsa quæ ex Turcico imperio ad exteros deuehuntur, ab Iconio Ciliciæ ad Carachara Paphlagoniæ sólummodò fiunt. Selectiores autem panni vndulati, ex pilis caprarum contexti, vt diximus, Ancyræ Cappadociæ metropoli: sed & tapetes è caprarum pilis constant: qui verò apud Memphim venduntur, minus elegantes sunt; etenim ex lineo panno versicolore facti sunt. In Adena fiunt peristromata, leuia admodum & mollia, ad substernendum cubituris. Forum habent Turcæ per singula oppida & pagos certo aliquo die singulis hebdomadibus, vt in Europa, quò rustici conueniunt, vt vendant suas merces: alij enim ligna conuehunt, alij oua adferunt, butyrum, caseum, sericea & linea stamina, aliáque similia. Iudeæ mulieres, quibus aperta facie in publicum prodire licet, per hæc fora frequentes conspiciuntur, vt sua opera acu picta vendant. Quoniam porrò Turcicis mulieribus Mahumetica lege prohibitum, ne in publicũ vendendi aut emendi causa egrediantur, Iudaicis*

laicis mulieribus sua opera venderda tradunt. Lex tamen non adeò rigidè obseruatur, quin interdum Turcicæ mulieres etiam sua vendentes conspiciantur, sed velo supra faciem inducto, per quod conspicere queant, quódque, loqui volentes, attollunt, perinde atque bucculam in galea. Venalia autem plerumque habent mantilia, strophiola, caliendra, cingula alba, puluinorum integumenta, aliáque maioris precij opera, vt conopea, cortinas varij generis, quæ à Iudæis redimuntur, vt exteris deinde vendant. Turcæ delectantur lineo panno albo, & acu egregiè picto, nulli sumptui parcentes vt eum adquirant: Interdum venduntur duo exigua strophiola acu picta viginti aspris, quæ in Gallia vix sex assibus siue tribus batziis æstimarẽtur. Varia opera in tela à Turcicis mulieribus acu pinguntur; vulgatissimum autẽ est, vt primùm pictura opus quod conficere cupiunt, in tela designent, quam deinde inter bina fila sequentes, & subtili admodum acu bombycina stamina diuersorum colorum ducentes, ipsam picturam vt planè referat opus faciunt. Ea ratio pingendi acu apud nos vsitata non est. Et vix apud nos credi possit, quantum apud Turcas huiusmodi opera æstimentur, quantáque eorum sit quantitas. Cùm autem mulieres vt plurimum conclusæ maneant, neque rem familiarem administrent; ne planè sint otiosæ, tempus in istis operibus conficiendis terũt, præsertim cùm linea pensa trahere rarissimè soleant.

CAP. XV.

Admiratione res maximè digna in Turcis, qui Opio vescuntur vt in bello sint animosiores.

OBSERVATIONE *maximè digna est conficiendi apud Turcas Opij ratio, præsertim in Achara, Caracharа, Spartada, Emetelinda, aliisq. oppidis Paphlagoniæ, Cappadociæ, & Ciliciæ. Agros papauere albo conserunt, vt nos tritico: sed ea consideratione, vt singuli rustici non plus serant, quàm familiam habeant ad id colligendum sufficien-*

sufficientem. Cùm autem Papauer capita produxit, leuiter ea incidunt, atque ex vulnere emanant nonnullæ lacteæ guttæ, quas parumper inspissari sinunt. Sunt qui denas libras colligãt, alij sex, alij plures vel pauciores, pro operarum quas in colligendo adhibuerint diligentia: nam hoc negotiũ in latifundij satione nõ versatur, sed in legentium numero & diligentia. Nisi huius Opij tantus apud Turcas esset vsus, nostra opinione commerciũ eius perusset, quemadmodum multarum aliarum rerum quæ amplius nõ cognoscuntur. Ceterùm nemo est Turcarum qui illud non emat; etiamsi asprum solum haberet, eius dimidium in Opium impendet, quod pace & bello semper circumferet. Asiæ minoris Iudæus mercator nobis asseruit, singulis annis quinquaginta camelos Opio oneratos educi ex Paphlagonia, Cappadocia, Galatia, & Cilicia, qui in Persiam, Indiam & Europam illud importent, aliásque exteras regiones, & per vniuersum Turcicũ imperium. Cui difficulter fidem adhibuissemus, nisi sigillatim nobis enarrasset quantũ colligeretur in singulis vicis Paphlagoniæ, Cappadociæ, Armeniæ minoris, & Gallogræciæ; addebátque, maiore adhuc apud Persas in vsu esse quàm apud Turcas. Periculum autem facere volentes, quantum quis Opij deuorare posset sine noxa, Ianissarũ nobis familiarem, & singulis diebus Opio vesci solitum, eius drachmæ semissem in nostra præsentia deuorasse animaduertimus: postridie illum apud negotiatoris tabernã reperientes illi integram drachmã dari curauimus, quam vnico bolo deuorauit, nec quidquam incommodi inde sensit, præterquam quòd temulentus quodammodo videretur. Hæc Opij manducandi consuetudo iamdudum apud Turcas inualuit: illius etenim esu animosiores sese fieri existimãt, neq; belli pericula formidare. Cúmq. Turcarũ Imperator, bellum gesturus, militum delectũ facit, totam prouinciam Opio ferè spoliant. Vulgare apud eos est, sibi mutuò

mutuò obiicere, Tu edisti Opium; quemadmodum si quis apud alias nationes alteri obiiciat ipsum temulentum esse. Diu vsi sumus contubernio Armeni cuiusdam Christiani, qui sapiùs Opiũ coram nobis deuorauit: sed & nos eo degustato, nullam aliam noxam deprehendimus, praterquam quod pectus nobis excalfaceret, cerebrumque non nihil pertubaret, somniáq. turbulenta induceret. Si Papauer in Europa, videlicet Gallia, Germania, vel Italia coleretur; arbitror Opium perinde colligi posse atque in Asia, modò necessaria cura in eo legendo adhiberetur. Nam Asia minor non minus frigida est ipsa Gallia: idque fit eadem quam auctores tradiderunt ratione. Fieri potest, vt quod ad nos adfertur, adulterinum sit: solent enim mercatores illius quantitatem augere antè quàm per prouincias distribuatur. Quoniam porrò obseruauimus quibus notis eius delectus faciendus sit, eas subiicere voluimus. Optimum est amarum, gustu calido, vt fauces incendat, flauescit leoninorum pilorum modo, in massam veluti ex granulis diuersi coloris coactum; legẽdo enim Opium, ea grana in Papaueris capitibus collecta cohærẽt, & in placentulam quodammodo coëunt: odor virosus & grauis: licet autem in refrigerantium ordine reponatur, fauces tamen incẽdit. Iam in placentulas cogitur Opium in ipsa Asia minore, quatuor vnciarum pondo, vel selibram non pendentes: at mercatores quæstus gratia illud multiplicant; sic vt massæ ex Venetiis officinis delatæ, libram quasi pendant.

CAP. XVI.

Quibus signis soleant Turcæ suas amicas solicitare; & Turcicarum mulierum ornatus.

DIFFICVLTER admodum conspici queunt puellæ & mulieres Turcicæ: sed longè difficiliùs compellari possunt: eam ob causam qui alicui mulieri sui in eam amoris

amoris indicium facere vult, curat vt aliquo in loco vel è lõginquo eã videre possit: etenim in summis ædibus complanatis plerumque versãri solẽt. Turca igitur obseruata ea quam deperit, caput attollit, manúque gutturi admota, cutim prehendens, illam nonnihil vellit, hoc indicio significare volens, se eius mancipium esse, & extrema seruitute obnoxium (in ea enim regione nemo se magis abiicere potest, quàm si cuiuspiam mancipium esse profiteatur.) Si mulier constiterit, vel suam manum deosculata fuerit, bonam de suo amore spem concipit. Quibusdam autem locis difficulter admodum possunt conspici mulieres retecta facie: earum enim mariti fenestrarum vsum illis adimũt, nisi sint cancellatæ: & consuetudo apud eos inualuit, vt & puellæ & fœminæ vetulæ siue iuuenes, perpetuò sint inclusæ, nec in publicum prodeunt, nisi cùm vel pro defunctis oratum eunt, vel balnea accedunt (quod sæpiùs in hebdomade accidit) sed multis aliis mulieribus comitibus. Cùm verò dicat Mahumetes, mulieres paradisum non ingressuras, templa etiam non accedunt, prohibente id Mahumete, causamq; addente quòd non sint circuncisæ vt viri. Plerique verò opinati sunt, mulieribus peculiarem locum in templis esse datum: asserere autem audemus, rem ita se non habere; diligenter enim inquirentes, ab omnibus intelleximus, templa ingredi illis non licere. Ceterùm cùm in vniuerso Turcico dominio, tum in Arabia brachas gestant longas & laxas, nauticis similes, ad calceos vsque defluentes: comperimus autem eius conduplicationis rationem & consuetudinem (quam multi admirarentur si eam proferremus) inde procedere: de qua tamen plura nr verbis quidẽ tectis dicere volumus, cùm res sit nimium curiosæ obseruationis: itaque non sine causa vulgatum illud in vsu est, totidem consuetudines quot regiones. Pedes nudos calceis vel cothurnis inserunt, & in crurib us supra talos monile aut armillam plerum-

plerumque gestare solent, ad singularem ornatum. Paucæ in Cairo reperientur quæ brachia & suras pictas non habeant, panni Damasceni modo: dum enim in balneis versantur, cutem secundum picturam inductam sibi perstringi curant, nigrúmq; color cutim penetrans inhæret, sic vt variæ formæ ipsarum brachiis & aliis corporis partibus impressæ conspiciantur: at ea consuetudo nondum ad Asiaticas feminas transiit. Quoniam Mahumetis lex vetat ne aperta facie in publicum prodeãt, velũ à fronte ante faciem propendens semper gestant, collúmq. & manus contegunt: cothurnos autem oblongos induunt in calce ferratos, vt ex hac pictura conspicere licet.

Turcicæ Asiaticæ mulieris effigies.



Turcarum talares tunicæ & collari & manicis carent, vel perbreues eas habent, & supra cubitũ resectas: quæ etiam mulieribus conueniunt, eásque Babylonia acu consuere magna ex parte solent, præsertim sericeas: at antequam consuant, sulcum ferro candente primùm designant, qui nunquam tollitur, sed semper permanet vti plicæ in vndulata. Vndulatum autem siue bombycinũ pãnum nunquã vsurpant, nisi prius sublatis plicis; quod facilè fieri potest: nam quemadmodum vndulatus sulcos plicásq; calore accipit, ita etiam calore tolli possunt. Mahumetana lex vult vt simplices sint mulierum vestes: attamen cùm in publicum prodeunt siue balnea accessuræ, siue sponsam comitaturæ, omnes quidem lineas raræ texturæ vestes supra alias gestant, sed vt infernæ (quæ plerumque sericeæ & pretiosæ sunt) appareant, albas attollere solent. manicæ vestium

sunt valde angustæ, & adeò longæ vt manus tegere possint: nam lex prohibet ne manus aliáve corporis pars nuda appareat in publico. Cùm illarum, tum virorum caligæ pedibus carent; quoniam vtrique pedes, manus, brachiáque ad cubitum vsque & collum abluere solent. Quando egerere volunt, fictile aqua plenum deferunt, vt anteriora & posteriora abluant, etiam sæuissimo gelu: ad eiusmodi consuetudinem à pueris assuefiunt cùm mares tum fœmina, eámque toto vitæ cursu obseruant: Mahumetes enim illis in ea re chartæ alteriúsve rei in qua Dei nomẽ inscribi possit, vsum prohibuit. Secessus autẽ locum in angustum & longũ in terra fodiunt, vbi sese submittentes, facilè manu sese abluere possunt. A Mahumete enim sancitum est, ista frequenti ablutione peccata expurgari. Inde factum vt alueos aqua plenos, in singulis compitis collocent, & tabulato aliquo sepiant, quo viri seorsim, & mulieres item seorsim ingressæ sese lauare queant: at in ædibus, secessus vtrisque sunt communes.

CAP. XVII.

Turcas, plures habere vxores quæ sine rixa & zelotypia etiam cum concubinis & seruis feminis viuunt.

NATVRA *sunt Turcæ auari & pecuniarum auidi; primaria idcirco eorũ opes in numerata pecunia consistunt. Nulla est istic adquirendi ratio, eam ob causam nulla lis intenditur: nam cùm aliquid venditur aut emitur, id fit præsente pecunia. Viri œconomiam curant, nullámque administrationem mulieribus relinquũt. Nullam aliam curam ipsæ habent præterquam liberorum, & vt quietè inter se viuant: contraria planè quàm Latinorum ratione, quorum fœminæ non modò rerum curam gerunt, sed & in corpora imperium exercere volunt, imò plerumque exercent. At apud Turcas longè alia est ratio: nam quispiam tres vel quatuor vxores habens, & sex*

vel

vel octo pluréſve ſeruas; omnes ſibi obſequentes retinet, atq. inter ſe adeò pacificas, vt nullum inuidiæ inter vxores & ſeruas metum concipiat. Ratio hæc eſt: quoniam tametſi liceat eodem tempore quaternas vxores ducere, omnes tamen æqualem poteſtatem habent; quoniam cùm illæ tum ſeruæ numerata ipſius pecunia ſunt redemptæ: conſuetudo enim apud illos inualuit, vt ſi quis eleganti forma præditam habet filiam, ſibi præſentem pecuniã repoſitam eſſe exiſtimet, quandoquidem filiæ nullam dotem maritis, neque quidquam paternæ ſupellectilis adferunt: ſed qui illas vxores ſibi expetunt, magnam pecuniæ ſummam patri numerare, illáſque etiam veſtibus ornare debent: nam pater illas licitatur, & maiorem ſummam offerenti tradit, nulla ſolicitudine anxius, etiã ſi ipſas nunquam in poſterum conſpiciat. Ea de cauſa cognationis vinculum apud Turcas nõ adeò latè propagatur quemadmodum in Europa: imò ne cognomẽ quidem vllum habent Turcæ, quod familiæ antiquitatem reſipiat, nec ipſe Turcarum Imperator, niſi Ottomannorum: ruſtici autem nulla dictione anteceſſorum nomina exprimere poſſunt, ob vxorũ frequentẽ mutationẽ. Apud Turcas, ex ſerua natus non minus decoris ſibi adſcribet, quã ſi ex legitima vxore natus foret, nec ignominiam ducet ſeſe ſeruæ filium profiteri, quoniã ſerua non cenſetur adultera. Seruæ enim in omnibus domini obſequuntur imperio. Hinc fit vt illorum liberi exiguo amore erga parentes efficiantur, nec frater ſororem magis diligat quàm aliã quampiam. Si quiſpiam Satrapæ alicuius filiam in vxorẽ ducat, aliámque præterea vilis alicuius opificis filiã, æquales & comites deinde erunt, & vnanimiter viuent; quoniam cùm ita ſimul incluſæ ſint, æquali omnes ſunt auctoritate, neque quidquam agent niſi quod maritus imperauerit. Non eſt enim moris apud Turcas dicere, Domina hoc præcepit, vel iſtud in hunc modum fieri vult;

neque è cingulo dependentes habent multas claues, vt bonæ œconomæ opinionẽ adquirant, imo nullas gestant prorsus, neque horæ quadrantem impendunt in vniuersæ rei domesticæ curam: quandoquidem satis est cuilibet Turcæ tapetem humi expansum habere in quo se deat, & puluinaria quædam quibus innitatur; nullum enim scabellorum, sellarúmve aut scamnorũ vsum habent, sed neque fulcri siue sponda magna ex parte: noctu autem culcitam humi sternunt, super qua noctem transigunt, quam postridie surgentes complicant atq. in assere aliquo reponũt, vel è pertica suspendũt. Pauci apud eos toralibus, siue lecticariis sindonibus vtuntur; quoniam cùm viri, tum fœminæ lineas brachas nauticis similes noctu permutant, atque in iis dormiunt. Serui apud illos in extergenda supellectile non admodum sunt occupati: sufficit enim vnicum fictile pro omni ciborum apparatu, & vnica lanx pro omnibus offis: nec vitrorum exterſione egent, quoniam omnes ex coriaceo poculo siue ligneo bibunt. Viri suas tiaras mundas & niueas habere gaudent, quas ipsimet in balneis cũ brachis & interula eluũt, aut balneorũ seruis eluendas tradunt. Turcæ, viri fortitudinem vel strenuitatem nostro more non æstimant. Nam in Europa, qui omni momento digladiari vult, qui oculos torquere nouit, iurator, bilioſus, cicatricibus insignitus, quique alterum mendacij arguerit, is prostrenuo & probo viro habetur. At Turcæ pacis tempore modesti sunt, arma domi relinquunt, vt inter se pacificè viuant, neque acinaces gestant per vrbem obambulaturi: at in bellum profecturi armis vti norunt, & suam fortitudinem erga hostes demonstrant: neque facilè audies ipsos inter se decertasse: neque si quis sodalem ferierit, propterea strenuus æstimabitur. Tritum apud illos est, eos qui delinquunt, fustibus cedere: vera profectò ratio domandi superbos,

&

& puniendi quos occidere nolimus: attamen cùm cupiunt, noxios magis seuera ratione punire etiam norunt.

CAP. XVIII.

Turcarum Imperatorem quinquies centena hominum millia facilius in aciem producere, & ducentarum triremium classem parare posse, quàm alium Principem centena millia.

FINGAMVS *Regem exercitum coëgisse è centenis millibus rusticorum, quem in bellum procul ablegare velit, aut classem ducentarum triremium totidémque nauium comparasse: an non credibile est illos facilius labores toleraturos, quàm si ex totidem nobilibus cõflatus foret exercitus? atque frigora, æstum, famem, aliaque accidẽtia minus eis nocitura quàm delicatioribus? animi fortitudine excepta, facilè id mihi concessum iri scio. Quis verò credat Turcarum Imperatorem, bellum gesturum, tam ingentem exercitum ducere posse, sexies centenorum, vt aiũt, millium hominum? Multi admirãtur: nam tam ingentem numerum pronunciari audientes, fieri non posse arbitrantur; cùm ob difficultates, quas in tanto exercitu accidere necesse est, tum quod Rex, vel Imperator maxima difficultate exercitum quinquaginta millium alere queat. Quod tamen de Turca retuli, nõ adeò difficile videbitur nostram viuendi rationem cum Turcica comparanti: Nam illorum consuetudo pacis tempore obseruata, docebit tantum hominum cœtum etiam in bello posse viuere, atque tam facile esse Turcico Imperatori decies centena hominum millia in bellũ ducere, quàm Christiano alicui Principi quinquaginta millia. Vt breuiter dicam, illorum viuendi ratio pacis tempore adeò rigida est, vt nobis graue bellum sit apparitura. At illos, qui à teneris huic vitæ assuefacti sunt, non magis afficit, quàm nos nostra cùm in delitiis viuimus. Qui supra plumeos*

lectos decumbere, singulis diebus sorbitiunculam calidam sumere, selectiúsq. vinum bibere cõsueuerunt, statim animum desponderent, si à solita viuendi ratione abstraherentur, atque maximo tædio afficerentur, si suas possessiones semel in anno non perlustrarent, vel triennio aut quadriennio à suis parentibus abessent, aut de ipsis nihil intelligerent. Sed hæc omnia Turcæ non curant: quoniam austeriùs adhuc domi viuunt quàm in bello. Peregrino milite non vtitur Turca, sed his solummodò quos pacis tempore suo stipendio alit; omnes itaque dicto obedientes cum sint, belli labores & molestias patienter ferunt, etiam magis quàm legionarij milites Romani solebant. Turcarum Imperator, contrario Principũ Christianorum more, ingentem quæstũ facit belli tẽpore: nam annonam ipse vendit. Turcicus miles sibi equum comparare non verebitur quinquaginta ducatis, etiam si nihil aliud peculij haberet: nam illum donec ipse viuat sibi inseruire posse existimat: atque etiam equos viginti & viginti quinque annis conseruare solent. Cùm ipsi tum eorum equi humi nullo substrato stramine iacere solent & domi & in bello, equi autem neque è præsepio, neque ex fœnili vnquam edunt. Turcicorum militum opes nec fundi sunt nec ædes, sed solæ pecuniæ: nam si fundum aliquem emerent, ab eorum morte, Turcarum Imperatori cederet: qua de causa rarò etiã ædificant. Quocunque proficiscuntur, eandẽ æneam ollã circumferũt & scutellam qua pacis tempore vtebantur, eademque ratione omnis reliqua supellex & domi & foris vsui illis est: relictarum rerum nullo mœrore afficiuntur, quandoquidem omnia circumferunt, vti & igniarium. Potus, aqua est: cibus, allia & cepæ. Quid ergo deterius in bello illis accidere queat quàm domi? In summa, sua rusticitate tantum nos in bello superant, quantum ipsi deliciis & nobilitate à nobis in pace superantur. Quoniam autem natura

tura illis largita est vt à teneris in campestribus viuerent, propter eam consuetudinem peritiores sunt in erigendis suis tentoriis sub quibus habitent; illa enim ex tela gossipina leui admodum & molli confecta sunt, eámque ob causam longè commodiora sunt nostris quæ ex lineo vel cannabino panno parantur: funes etiam illorum ex xylo confecti, molliores, leuiores, tractabiliores q́ue sunt nostrorum tentoriorum funibus, qui madidi ita rigent & contorquẽtur, vt vix explicari queant. Tametsi Turcarum castella pleraque sint in regionibus procul ab hoste dissitis, & vbi nulla belli suspicio oriri potest; præsidiarios tamen habent milites, qui excubias agant, quemadmodum in aperto bello. Exaudiebamus illos singulis diebus diluculo & crepusculo noctis tympana sua complodentes, mirumq́ concentum, tibiarum modulatione adhibita, exprimẽtes. Tympanorum autem duo apud illos sunt genera: vnum minus, quod in equo gestari potest, ab vno duntaxat latere clausum: aliud maius, membranis vtrinque clausum, quod è collo suspensum gestare non solent, neque breuibus bacillis nostro more complodunt, sed humi sistunt, & vtrumque latus pulsant, dextra baculum incuruum & simum tenẽtes, quo tympani dextrũ latus verberant; sinistra autem virgulam tenuem, qua alterã tympani partẽ sæpiusculè feriũt: geminũ tympanũ quod aheneum est, quodq́ in equo gestatur, inæquale est, alterum enim altero semper minus est, & tympanistes illa complodere volẽs, incuruare se debet, vel ea editiore loco reponere. Nocturnæ excubiæ campanulæ sonitu non excitantur nostro more: sed alto* clamore sibi inuicem respondent, quod iam ante Rhodi obseruaueramus. Tibiarum concentum cum tympani sonitu coniungere edocti sunt ab Arabibus Turcæ: concentus sanè est cùm in bello tum in pace admodum commodus. Nullus est Sangiacus, qui eiuscemodi tibicines & tympanistas alere non cogatur,

præsertim vbi arces sunt præsidiariæ. Eiusmodi tibiæ breues sunt, sed infima parte latæ, clangorémque edunt admodũ altũ, in equo gestari possunt, & cũ vtriusq. tympani sono accommodari. Turcicis militibus vulgare est securiculam cingulo appensam semper gestare: sed & alicùm opulenti tum tenuioris fortunæ Turcæ, siue pacis siue belli tempore, huiusmodi † secures habent, quæ duabus in rebus illis vtiles sunt; nam altera eius parte quæ in aciẽ desinit, ligna secare possunt; altera quæ in malleum efformata est, tentoriorũ palos in terram defigere. Quoniam autem elegans est eius forma, illam hoc loco describere voluimus.

*Similem consuetudinẽ in nocturnis excubiis agẽdis obseruant etiam Pannones, vt alta voce sibi mutuo accinant, & ad vigilandum hortentur, subinde hæc verba repetentes, *Szolay Szolay virrazto Szolay*. hoc est, Vigila vigila vigil, vigila. Præfectus autem vigilum quẽ Vigyazo appellant, si excubiæ somno interdum victæ acclamationem intermittunt, admonere iisdem verbis solet *Szolay virrazto*. Cùm verò sub auroram ab excubiis se recipiunt, accinere solent, *Haynal-vagyon szep pyros, haynal haynal-vagyon*; hoc est, erumpit iam elegans ruben: (scilicet dies) erumpit iam: deinde addunt: *mayd meg virrad, haynal-vagyon szep pyros haynal*. id est, breui lux erit, erumpit iam elegans rubẽnsque, erumpit.

† Eiusmodi securiculas, quarum hic meminit Bellonius, & proximo capite describit, moris etiam est apud Pannones gestare, sed non adeò graues, quas plerumque è cingulo suspendunt.

CAP. XIX.

De securicula quadam Turcis familiari ad varias res cum pacis tum belli tempore admodum accommoda.

TALIVM securicularum fabri, massam ferri, libram cum semisse fortè pendentem per medium perforant crasso quodam stylo ferreo: altera securis pars mallei instar facta est, altera ad cædendum in aciem desinit. Styli autem variant: nam rotundo orbicularia fiunt foramina, quadrangulo quadrata: dum autem securim perforant, foraminis oras paululum tumentes relinquunt, vt pyxidis modo manubriũ amplecti possit, quod per patentius foramẽ immittitur. Multæ sunt Tornatorũ Constantinopoli tabernæ, qui nihil aliud quàm securicularum manubria

ex

ex lignis Constantinopolim importatis conficiunt: naues enim ex Ponto aduenientes, sæpe onustæ sunt aceris montani, quod Asphendannos vocant, ligno eiusmodi manubriis conficiendis dedicato, atque etiam corno, quæ duritie reliqua ligna superat. Interdum etiam ex Mengrelia Constantinopolim aduehuntur naues taxo onustæ albi & rutili coloris: cùm autem Turcæ ligneis arcubus non vtãtur, manubria huiusmodi ex eo ligno etiam alba siue exteriore parte relicta conficiũt. Tornatores autem apud Turcas sedendo suum opificium non exercent, neque propendentem perticam habent, quæ lignum versẽt: sed sinistra manu oblongum arculum tenentes, lignum versant, manuque dextra cælum tenent, cuius infimam partem inter pedis digitos imponentes, in quam necesse est partem ad opus suum conficiendum impellunt.

CAP. XX.

Turcas plurimas res ex antiquitate retinere.

PLVRIMA *adhuc retinent Turcæ, antiquitatem admodum resipientia: exempli gratia, vstulationẽ illam quam inconsulto medico vsurpare solent. Dolore enim capitis laborantes, vel defluxione in quamuis corporis partem, eam vstulant cum fomite aliquo aut panno lineo incenso. Mille sexcenti anni elapsi sunt, quod hæc vstio Græcis cognita fuerit, atque vstio Arabica vocata sit, nuncq. apud eosdem Arabes & Turcas auctoritatem retinet. Eam autem magnæ esse efficaciæ obseruauimus: Thessalonicæ enim periculũ illius in Iudæa quadam fecimus, quam capitis dolore, quo plus quã per sexennium afflicta fuerat, liberauimus eo quo Dioscorides in sciatica vti solebat remedio: adposito videlicet quinquies caprino stercore ardente, in cuniculo illo qui inter pollicis radices est & carpũ. Turcæ autem longè aliter vstionẽ eã faciũt; xylinam enim telam circumuoluunt ad nucis inglandis*

craſsitiem, & aſsis Gallici latitudinem (vel in eius penuria fimitem ſclopetorum ſumunt) deinde incenſam loco affecto imponunt, quam ita vſtulare ſinunt, donec ſponte exſtinguatur: tamq; fortiter eam ferunt, vt conſtanter exſpectet donec ſponte exſtinguatur & frigeſcat: nihil ad vſtionem curandam præter pauxillum xyli imponunt: idcirco plerique frontem, tempora, aliáſque corporis partes huiuſmodi cicatricibus fœdatas habent. Turcæ in omnibus aduerſis hanc vocem proferre ſolent, Alauara, *id eſt, Deus adiuuabit. Itaque exiſtimantes quæcunque illis euentura ſunt, iam prædeſtinata eſſe, omnibus periculis maiore animo ſeſe obiiciunt, cùm in terreſtribus, tum marinis conflictibus.*

CAP. XXI.

De Turcarum monachis.

HOMINVM *quoddam genus apud Turcas verſatur, quos ipſi Deruis, voce ad Druides accedente, appellant, antiquos videlicet Græcos philoſophos, Athenienſium colonias, quæ ex Phocæa diſcedentes Maſſiliam appulerunt, quam ædificarunt. Nudi plerumque obambulant iſti Deruis, cùm æſtate, tum hieme, brachiáque & pectus obliquis & tranſuerſis cicatricibus fœdata habent, ex inciſuris quas ipſemet ſuis cultellis corpori inflixerunt, in longitudinem potius quàm in latitudinem ductas, vt muſculi minus offendantur: quoniam verò nullo adhibito emplaſtro vulnera conſolidantur, cicatrices turgidæ remanent, & parui digiti craſſitie turgentes. Pleroſque videre eſt huiuſmodi cicatricibus adeò inſignitos, vt exhorrere quis poſſit. Quo furore prophetico, ſiue mania agantur, ignoramus, quòd ſeſe ita concidant & adurant. At eos deſipere arbitramur. Ex eleemoſynis quas Turcæ illis cõferunt, duntaxat alũtur. Ea autem de huiuſmodi fatuis inter plebem opinio recens non eſt; nam ipſemet Plato de huiuſmodi hominum genere*

nere agens, istam maniam, furoris esse speciem, eamque ab Ecstasi prouenire pronunciabat, hoc est, imaginationes quasdam diuinitus excitari propheticas tanquam vatibus. Illudque est quod veteres de imaginatione verba facientes, diuinitati cuidam tribuunt, quemadmodum & de Sibyllis dixerunt. Socrates etiam in ea opinione fuit, cùm dixit, vatum imaginationes diuinitus profluere per maniam siue furorem. Hinc fit vt impostores maniam simulantes, prophetarũ nomen apud Turcas obtinuerint, atque innocentes æstimentur. Sunt etiam inter illos nonnulli, vafri admodum, qui magnam pecuniæ vim colligunt vt Mecham ad Mahumetis sepulchrum visendum proficiscantur: cùm enim inde redierunt, magnificè à Turcis excipiuntur. Signum quo Mahumeti se religione obstrictos declarant, corium est veruecinum, humeris impositum, cùm reliqua corporis parte, exceptis pudendis, nudi sint. Plurimi reperiuntur huiusmodi impostores, diuersis Turcici domini locis, vt Constantinopoli, in Damasco, & Cairo, in tuguriolo aliquo abditi, & nudi frumento aut milio sese immergentes & volutantes toto die, pueriliáque, ad risum excitandum, & impossibilia effutientes, qualia pueri inter se garrire solent: prætereuntes autem illis quidpiam quo vescantur proiicere solent.

CAP. XXII.

Niuis & glaciei per totam æstatem more Turcico conseruandæ ratio.

IN Mysia & Paphlagonia hiemem traducentes, multis locis, niuis & glaciei conseruandæ rationem obseruauimus, quam æstate venalem exponunt, ad potionem suam quam Scherbet nominant, refrigerandam: vinum etenim, quod ipsi Serap appellant, ex consuetudine non bibunt. Qua de causa, quidam quæstum faciunt dunta-

duntaxat ex illius potionis dulcis confectione, quã in tabernis quibuſdam ad eã rem exſtructis vendunt. Varia autem ſunt eius potionis genera: fit enim ex ficubus, prunis, pyris, armeniacis, vuis, vel melle. Cùm igitur peregrini, atque etiam inquilini ſiti in æſtate torquentur, illam potionem emi curant, cui qui eam venalem habet, niuem vel glaciem admiſcet ad eam infrigidandam: alioqui nulla eſſet in ea bibenda voluptas: cumque decoctio æſtate facta ſit, ea ratione refrigeranda eſt, eiúſque ita refrigeratæ hauſtus æreo nummo duntaxat conſtat. Duplicem verò ex illius compoſitione quæſtum faciunt: nam fructus ex quibus decoctio parata eſt, haudquaquam abiiciunt, ſed ſeparatim vendunt, atque etiam decoctionem ſeparatim. Sunt Græci & Armenii in Natolia, quorum ſinguli duodecim camelos fructibus in propriis hortis natis onuſtos Conſtantinopolim mittant, aut in alia oppida à Turcis habitata, ſolummodo ad huiuſmodi potiones conficiendas. Memini & ex Heraclea monti Tauro vicina Conſtantinopolim deuehi: fructus enim in illa planicie Tauri radicibus adiacente nati, ſingulares ſunt ad huiuſmodi ſorbitiones parandas. Niuis porrò * conſeruandæ apud Turcas hæc eſt ratio. Denſã iam delapſa niue, & firma glacie, flantéque Borea omnium frigidiſſimo, Turcæ concamerata quædam ædificia in hunc vſum exſtructa, loco meridiei non expoſito, depreſſo videlicet, vel poſt prærltum aliquem murum, aut ponè collem, niue implent, glacie ſubinde admixta; quemadmodum ſi quis parietem ex arenato conſtrueret. Per biennium ſine colliquatione conſeruari poterit. Certum eſt quod in Gallia idem fieri poſſet: vidimus enim regiones Gallia calidiores, in quibus tota æſtate conſeruatur. Ceterùm Aſiatici ab omni antiquitate niuem conſeruarunt qua æſtate vterentur: ſimilémque vſum apud Romanos etiam fuiſſe receptum, multis Galeni locis probari poteſt:

potest, præsertim in præfatione libri quem Methodum medendi inscripsit : ex ea enim liquet niuis vsum fuisse ipsius tempore Romæ tam frequentem, quàm nunc sit apud Turcas. Ea de re conquerebatur Plinius, delitias Imperatorum illius temporis accusans; qua in re suffragatur Galeno. Suetonius etiam de Nerone agens idem scribit. Heu prodigia ventris (inquit Plinius) hi niues, illi glaciem potant, pœnásque montium in voluptatem gulæ vertunt. Seruatur algor æstibus, excogitatúrque, vt alienis mensibus nix algeat. Decoquunt alij aquas, mox & illas hyemant. Et alibi. Neronis principis inuentum est decoquere aquam, vitroque demissam in niues, refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit sine vitiis niuis. Nix qua Turcarum Imperator in claustro suo dum Constantinopoli hæret, vtitur, ex Horminio aut Olympo montibus aduehitur: nam sibi persuadet eam quæ in criptis circa Constantinopolim adseruatur, adeò salubrem non esse, quàm montanam: illámque adhuc expetit annotinam: quapropter illius serui montem conscendunt æstate, magnamq; niuis quantitatem deuehunt, quam deinde istic relinquunt in sequentem annum, quo Constantinopolim inuehitur. Binæ liburnicæ singulis septimanis, transuehunt eos qui Prusam ire cupiunt, quibus præsunt Ianissari nonnulli. Cùm Montaneam appulerunt, expositis vectoribus, niue ex proximo monte ab equis delata liburnicas onerant, & Constantinopolim reducunt. Ea nix in Imperatoris claustrum deportatur, qua suum Sorbet refrigerat. Legati Galliæ, Hispaniæ, Venetus, Epidaurensis siue Rhagusinus, Florentinus, Chius, Transiluaniæ & Vngariæ, Turcis delicatiores in potu, niuem vino non admiscent, sed illud in aqua refrigerant quam nix infrigidauit; eaque ratione tota æstate frigidum bibunt, nulla niue seu glacie in ventriculum transmissa: glaciei enim fragmentum pugno non maius

Cap. 4. lib. 19.

Cap. 3. lib. 31.

cupam

cupam aqua semiplenam illicò refrigerabit, neque aspro constabit.

* Niuis & glaciei vsus non modò apud Turcas inualuit, sed & apud alias plerasque Europæas nationes. Hispani enim frequentissimè ea vtuntur, non modò per summos æstatis ardores, sed etiam media hieme: deque Niuis adseruatione, vsu, proprietate, peculiarem libellum Hispanico sermone paucos ante annos conscripsit D. Nicolaus Monardes Hispalensis medicus. Apud Vngaros autem, non niuis, sed glaciei adeò frequens est vsus æstate, vt etiam vilissimi rustici in pagis eam adseruent: in subterraneis porrò adseruatur scrobibus, intermixto & substrato stramine, loco aliquo à sole non nimium illustrato, cui deinde stramineum pyramidale tectum imponitur, & sepe circumambiente locus munitur, vt pecus arceatur. Eius glaciei fragmentum aquæ cupæ impositæ qua vinum refrigerandum est, inditum, totam illicò frigefacit: inspergitur etiam illa glacies comminuta æstiuis fructibus, qui bellariorum loco in mensam inferuntur. Sed & Bohemi in suas cereuisiarias cellas glaciem hieme prouolui curant, vt æstate cereuisiam ne aceſcat, diutiùs conseruare queant.

CAP. XXIII.

Consuetudo Turcarum sese in altum impellendi.

VARIOS *exercent Turcæ ludos in feriis sui Paschatis, sed nullum magis singularem & admirabilem, quàm sese in altum impellēdi: nouo sanè & inusitato more. Binos magnos stipites & præaltos terræ infigunt, quibus iniecto altrinsecus tigno transuerso, patibulum duodecim orgias fere altum conficiunt: è tigno duos funes, duos pedes ab inuicem separatos, suspendunt per ligneos annulos traiectos, vt facilius obsequi queāt: funis vtriusque deinde capita, asseris, sellam exiguam imitantis, quatuor angulis adnectuntur: huic insistens qui se impellere vult, ambos funes vtrinque propendentes manibus tenēs, & paululum corpus inflectens, nullo alterius adminiculo, modò in anteriorem, modò in posteriorem partem sese tam altè impellit, vt patibuli altitudinem æquet vel superet, quod fere incredibile est: defessus autem insistendo, in assere deinde sedet. Alias etiam habent impellendi se in altum rationes pueris aptas, & miras.*

CAP

CAP. XXIIII.

Honorum apud Turcas distinctio, cùm ex barbæ gestatione, tum ex tiararum varietate petita.

QVI *viridem tiaram apud Turcas gestant, primariæ sunt inter ceteros æstimationis, quoniam maioris religionis est insigne: apud illos caligas & vestes virides gestare non licet: nam is color nobiliorum proprius est, qua nota, se ex Mahumetis prosapia originem trahere, indicare volunt. Sed & qui bis aut ter Mecham peregrinati sunt, viridem tiaram gestare audent, quoniam ab aliis maiore honore afficiuntur. In barbæ gestatione magnum etiam est discrimen. Senex enim illam alit, in sapientiæ signum: iuniores prolixos duntaxat mystaces gestant; quoniam præter decorum videretur, si iuuenis barbam aleret. Hæc nota à veteribus Scriptoribus Arabibus tribuitur, qui comã etiã alebant, quod Turcæ non faciunt.*

CAP. XXV.

De plumarum ornamentis Turcis familiaribus.

ADMIRABILES *sunt vanæ & insanæ Ianissarorum ostentationes, eorum præsertim qui Turcico Imperatori chariores sunt: quoniam struthiocameli pennis sese ornant, & Rhintacis auis, quæ elegantissimæ sunt, & simul ad gallinacei crassitiem coniunctæ, omnes tamen ab exiguo corpore prodeũtes pellem duntaxat retinẽte: nam Arabes qui eas vendunt, carnes eximunt. Recentiores nonnulli Apodem appellant: at ego Phœnicem esse existimo, vt latiùs in libro de Auibus differemus. Illi ergo plumis in hunc modum exornati, D. Michaëlis picturam quodammodo referunt. At non perpetuò incedunt ornatu isto, verùm duntaxat cùm Imperator in bellum proficiscitur, aut alias illum comitantur. In humeris ingentes alas elegantibus plumis constantes gestare solent, quemadmodum ij qui in Comœdiis Angelorum perso-*

nam

nam repræsentant. Ianissari ab ineunte ætate in capite altum diadema gestant, in modum calantica muliebris, vel sericei illius capitis ornatus nobilibus Gallicis mulieribus vsitati, & in tergum propendentis, factum: sed caput illorum cingens, & in altum erectum; nullis tamen redimiculis vinctum: huic ferreum radium sesquipedem longum adnectunt, cui innititur circulus, cuius circumferentia pollicis cum indice mẽsuræ respondet: in huius circuitu pennas collocant, è medio prodit oblonga crista ex Struthio-cameli elegantioribus pennis affabre facta, post tergum ad terram ferè propendẽs, neque corpus attingẽs, quia eius initium à summo capitis vertice est. Sic ornati formidabiles gigantes videntur. Quilibet autem Ianissarus, aliúsve Turca pennas gestandi facultatem nõ habet: iis enim iure duntaxat licet, qui hostibus in bello occisis suam fortitudinẽ demonstrarũt. Qui multas gestat, ea nota indicare vult se multos hostes iugulasse: qui verò se hostem occidisse profiteri nequit, rationi consentaneum non est, vt ipsi gestare liceat. Miles Turcicus in bellum proficiscens nullum famulum circumducit, nisi mancipium: Ianissari verò nullũ (quandoquidem ipsimet vilia mancipia sint) sed singuli sua arma & annonam ferunt. Attamen quinis vnum equum alere licet ad impedimenta & tentoriũ gestanda. Sic veteres Romani solebant. Legimus enim Iugurthino bello Metellum edixisse, vt singuli milites sua alimenta & arma ferrẽt nullo seruo illis concesso. Sed & Turcæ prætoriani Ianissari qui proximè illum perpetuò versantur, pacis tempore deni vnicũ duntaxat mancipium habent; belli autem tempore, quini. Ex eo deprehendere licet summam in illa aula obedientiam. Turcarum vexilla non sunt renouanda, quoniam signi militaris vicem supplent equinæ caudæ pili varijs coloribus infecti extremæ hastæ affixi. Execrantur Turcæ dissectas vestes ex quacunque tandem materia paratæ sint:

ea

ta de causa Græci, & vniuersi Turcæ Imperatoris subditi, nullas dissecant vestes: sed holoserica versicolore, vel alia quauis sericea vtuntur maximè. Peregrè verò profitiscentes ignitabulum gestant, laternãq; ferream albam cum candela, cochleare è cingulo suspensum, & scorteum sacculum sale composito, veterũ Græcorum more, plenum, quo cibum saliunt. Componitur autem hac ratione: allia cum sale contusa resiccant, & denuo terunt, scorteumq; sacculum eo implent: mirum in modum orexim ciet, & ventriculum roborat, postquam frigidam biberunt.

CAP. XXVI.

Vehemens eorum exercitium qui Turcicum arcum intendere discunt.

PER Turcica oppida, terrei parietes fiunt, quos nunquam indurari sinunt, sed molliore terra & recente aggesta conseruant, quoniam perpetuò aliqui adueniunt arcu iaculari soliti: verùm non in longum spacium sagittas emittunt, vt ligneis arcubus fieri solet; nam breues sunt eorum sagittæ; sed ex vicino loco. Qui scopi custodiã habet, singulis diebus illum rigat, vt terra mollior reddatur. Sex passibus duntaxat à scopo absunt qui arcum intendunt, sed summis viribus adnitũtur, vt terreum murum penetrare possint: proximè scopum adest quispiam post asserem latitans, qui sagittam emissam extrahit, & illam denuò reiicit. Quem iaculandi satias iam tenet, arcum iuxta scopum appendit, & persoluto pro more precio abit. Vulgo tales scopi siue terrei muri per Turcica oppida, publico aliquo loco habentur, quò Turcæ exercitij gratia conueniunt, centiesque sagittas emittent aspri precio.

CAP. XXVII.

De vario ciborum apparatu apud Turcas.

VARIA habent Turcæ vilium etiam rerum condimenta, quæ passim in oppidis venalia exponuntur; veluti

radicum* betæ crassarum admodum, coloríque nunc albi vel pallidi, modò verò rubri, quas pleriq. raphanorum esse existimarunt, falsò tamen. Condiuntur etiam brassicæ capitatæ raphanorū pragrandes radices & heleniy. Fuit id olim etiā magno in vsu Romæ, reliquisq, Romanorum municipiis: quiq. ita condiebant, Salgamarij appellabantur. Res est magnæ parsimoniæ: nā quatuor viris vnius asperi precū in prandiū satis esse potest. Cibus etenim est qui coctione non eget, sed ita conditus editur. Omphacinas etiam vuas condiunt magno Turcarum compendio: nam macerata in aceto & sinapis semine, optimi sunt saporis cum pane manducatæ. Sunt etiam pergulæ in quibus nihil nisi veruecina capita & pedes apparata venduntur, coëmpta verò illico capita aperiunt, calidáque in lance reponunt cum aceti & pinguedinis momento, & compositum illud sal cū seminis Sumac (quod à veteribus Rhus obsinorum appellabatur) corticibus mixtum insprgunt. Turcas in publico vesci cibo non pudet: imò ipsi Satrapæ vulgariter in publico edunt: nam vt ex bubulcis & opilionibus originem trahunt, sic in victus ratione illos æmulantur; malunt enim lacticinijs vilis precij vesci, quàm quidpiā impēdere in alios cibos. In extremo portu Thraciam pertingente Constātinopoli vicus est, vbi nihil aliud fit quam Melca Caimac, & Oxygala. Caimac ex lactis pingui fit, idque variis modis. Nihil aliud est quàm veterum Græcorum Aphrogala. In deliciis etiam habent, quam ipsius ætatis Græci Misitra vocant, Galli Recoctam.

* Vulgo etiam Viennæ Austriacæ venales exponuntur crassæ huiusmodi betæ rubræ radices conditæ, & rapa integra, atque cucumeres: habent plerique & brassicas capitatas similiter conditas integras. At tota illa prouincia, aliísque vicinis, Autumno cùm brassicarum capita, tum rapa minutim concisa abundè admodum condire, & vasculis concludere solent, atque ita asseruare in quotidianum totius anni vsum: sed odoris, dum recluſis vasculis eximuntur, meo iudicio adeò tetri, vt circumfusum aërem inficere queant: attamen plerisque, etiam magnatibus, ciborum deliciæ sunt.

CAP.

CAP. XXVIII.

De Turcarum circunciſione.

CIRCVNCIDVNTVR *Turcæ non octauo die, quemadmodum Iudæi: ſed octauo, duodecimo, vel decimo quinto ætatis anno, vel maturiùs aut ſeriùs pro rei oportunitate. Pueri enim non circunciduntur donec tam grandes ſint vt circunciſori reſpondere queant. Indicem attollit, quo ſigno ſe Mahumetanum eſſe fatetur. Eos in templo circuncidere non licet, ſed in parentum ædibus: quoniam incircunciſi templum ingredi nõ poſſunt. Multi conueniunt, dum quiſpiam circuncidendus, feſtúmque diem ſuo more celebrant, atque in illo cœtu puer circunciditur. Sacerdos ſumpta forpicula puero dicit ſe illi demonſtrare velle quid poſtridie præcidendum ſit; adductóque præputio, abit vt puerum fallat: nam illico reuertitur; tamquam aliquid demonſtrare oblitus; cutem iam colligatam forpicula præſcindit ſine magno pueri dolore, vulnúſque ſalſa aqua ablutum, lineo panniculo impoſito, curat. Ceterùm à circunciſione nomen pueri nõ immutatur, ſed id retinet quod illi in natiuitate inditum fuerat, addita ſolum voce Muſſulma, hoc eſt, verus Turca circunciſus. Circunciſione facta, feſtum diem celebrant, vt apud nos in nuptiis alicuius: ad balneas deducitur, redeuntem tympanorum ſtrepitu excipiunt, & candida cydari floſculis nonnunquam inſperſa inſigniunt, atque ad templum magna pompa deducunt. Abſoluto deinde conuiuio, munera illi à conuiuis pro familiæ ipſius dignitate conferuntur, aurea, argentea, & alia precioſa, ſi ex opulenta & auctoritate prædita ſit familia. Nemo Chriſtianus vi ad circunciſionem cogitur: ſi quis verò ſua ſponte Turcicæ religioni initiari velit, magna eſt in æſtimatione: at qui vt vitæ vſuram redimant, Turcæ fiunt, deſpiciuntur. Si Chriſtianus cum Turcica muliere commiſceatur, lex ſancit vt vita priuetur, quam tamen re-*

dimit, si Turcicam religionem amplectatur. Si Turcam occidat, vnica salus est vt Turca fiat, vel ingenti pecunia vitam redimat: pecunia etenim quælibet obtineri possunt in illa regione. Si Christiana mulier libera Turcæ alicui sui copiam facit, Christianam religionem abnegare debet. De paucis verò istic supplicium sumitur ob delicta quæ pœnam effugere possunt Turcicæ religionis professione: nam plerique vt mortem fugiant, Turcæ fiunt. Persarum Rex, licet Mahumetanus, Turcas hæreticos appellat, quoniam ipsorũ vxores circuncisæ non sunt, vt sui dominij feminæ: ea de causa illis templa ingredi licet, quod Turcicis non conceditur. Cophtæ etiã Æthiopiæ Regi parentes, & in Iesum Christum credentes, circunciduntur: cùm enim lex sanciat vt feminæ circuncisionis aliquod vestigium impressum habeãt, illis particulam Græcis Hymenæa, Latinis Ala, dictam præscindũt, quoniam illam præputio respondentem aiunt. Qui Mahumetem iniuriis afficit, morte punitur: at lex eum absoluit, si Turca fiat, hoc est, si sese circuncidi curet, & indicem attollat; atq. hac ratione immunis erit à Haraczi, hoc est, tributi quod Turcico Imperatori pendendum est, solutione: nam Iudæi & Christiani persoluere debent, Turcæ autem vel Mussulmanni minimè.

CAP. XXIX.

Mancipia suos heros cogere posse, optionem sumant, velintne pro ipsorum redemptione seruitutis aliquod tempus præscribi, an aliqua pecuniæ summa pacisci.

TAMETSI *Christianus captiuus apud Turcas, & alicui seruiens, suæ religioni renũciet, & Turca fiat; non propterea libertatem adipiscetur: nam cùm sit mancipium, illi exequenda sunt heri sui mandata: mitiorem tamen seruitutem illi imponere herus fortè posset, & seruitutis tempus minuere. Ea de causa præstat mancipia Christianam fidem retineant, quàm illam abiurent, &*

Turcæ

Turcæ fiant. Turcicorum mancipiorum cum famulorũ Europæorũ fortuna ferè comparari potest: felicitatis enim suorum dominorum participes fiunt: si herum nanciscantur probum virum, à quo diligantur, eandem cum ipso habent tractationem. Potest autem mancipium cogere suum herum, ad duarum rerum optionem; vel vt illi redemptionis precium indicet, vel vt certum seruitutis tempus præscribat: licet enim mancipio, Cadi, hoc est, Iudicem, conuenire, atque dicere: Volo vt meus herus alteri me vendat, nisi redemptionis precium mihi indicare, vel seruitutis tempus præfinire velit. Mancipij hero à Cadi euocato, mãcipium, Quantum vis (inquiet) tibi numerari pro mea redemptione, aut quot annis vis tibi inseruiam? Herus liberam optionem ipsimet dabit. Si mancipium caret ingenio, nec sua industria tantum pecuniæ adquirere posse, quæ ad persoluendum λύτρον sufficiat, sed labores faciliùs perferre sperat; seruitutis tempus deliget. Herus verò denũm, duodenũm, vel quindecim annorum tempus illi præscribet, eiusque pactionis syngrapham dabit: absoluto eo tempore liber domum abire poterit. At si mancipium aliquam artem callet, pecuniæ precium deliget, & eius persoluendæ tempus ab hero expetet, quam ex pacto persoluet: nam diligenter laborabit, preciúmque suo hero numerabit quolibet mẽse vel trimestri. Nonnullos vidimus qui breui tempore sese redemerant, nempe biennio vel sexennio. Mancipiorum porrò quæ in pyratarum manus incidunt, atque ad triremes condemnati sunt, misera est conditio; vix vllam enim sese redimendi spem, nisi admodum seram, concipere possunt: Pyratæ enim remigibus cùm opus habeant, captiuos apud se retinent, nec naui egredi illos permittunt. Qui similiter in Satraparum potestatem incidunt, exiguam redemptionis spem habent: quoniam Cadi nullam eos cogendi, vti tenuioris fortunæ aliquem,

habet facultatem. Itaque talium Satraparum mancipiis nullum aliud relictum est remedium, quàm vt fortunam suam patienter ferant: rustici verò à Cadi cogi possunt. Sesami oleum non minus frequenti in vsu est apud Turcas, quàm oleum nucum apud Gallos, & oleum oliuarum in Gallia Narbonensi: quoniam autem magno labore confici debet, suis mancipiis eum imponunt, atque hieme duntaxat. Sesami semen quatuor & viginti horis aqua salsa maceratur; deinde in area ligneis malleis tunditur vt corticem abiiciat super crassiorem telam; denuo aqua salsa maceratur, cui innatant cortices, qui abiiciuntur. Sesamum sic expurgatum in clibano resiccat; deinde mola frangunt: exsudat demum oleum liquidum vt sinapi; pauca etenim habet recrementa; demum lento igne coquunt, & à fecibus separant. Dulce est id oleum, delicatúmque, & vilis precij. Turcæ cibum sumpturi, humi desident, exemptis calceis, quemadmodum olim Romani in suis triclinijs, quæ nihil aliud erant, quàm quas nunc Galli salas vocant, vel cœnacula, quales sunt caponæ, in quibus erant appendices, siue sublatæ tabulæ, quales apud sartores videmus, in quibus suas operas conficere solent, quibus conscensis, calceos eximere solebant: etenim pedes haud quaquam mensæ supponebant, vti nunc facimus: sed veluti Turcæ, innitebantur puluinis qui illorum cubitis suppositi erant. Quod Martialis approbat his verbis, libro quinto:

Deposui soleas, adfertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque, liber.

Cap. 9. lib. 3. Ad comprobandum autem, triclinium id esse quod Galli salam vel cœnaculum appellat, Varronis auctoritatem in medium attulisse sufficiet; qui de Africanis gallinis agens, " Gallinæ Africanæ, inquit, quas μελεαγρίδας appellant " Græci, nouissimæ in triclinium ganearium introierunt è culina. Meminit etiam Suetonius variis locis: de Cæsare enim

enim scribens, Conuiuatum assidue per prouincias duobus triclinijs; vno, quo sagati palliatiue; altero quo togati cum illustrioribus prouinciarum discumberent. atque in Augusto superfistimatas Liuiæ nuptias obiecit, & feminam consularē è triclinio viri coram in cubiculum abductā. Ex his locis animaduerti potest culinæ & cubiculi à triclinio differetia. Sed & in Diuo Claudio, Adhibebat, inquit, omni cœnæ & liberos suos cū pueris puellisq; nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorū sedentes, vescerentur. & paulo pòst: Nec temerè vnquā triclinio abscessit, nisi distentus ac madēs. Plinius item de Elephantis agens, Cap. 2. lib. 8. Pleniq; hominū triclinijs accubitu tēre per lectos, ita libratis vestigijs, ne quis potantiū attingeretur. Et de Platano scribens cap. 1. lib. 12. Aliud exemplū, inquit, Caij Principis, in Veliterno rure mirati vnius tabulata, laxisq; ramorum trabibus scamna patula, & in ea epulati, cùm ipse pars esset vmbræ, quindecim conuiuarum ac ministery capace triclinio, quam cœnam appellauit illenidum. Ex his igitur veterum auctorum locis inferre volumus, triclinium vocari posse locum in quo Turcæ vesci solent, humi sedentes in tapete quodam vel in tabulato, puluinis cubito suppositis eos fulcientibus: conuenit enim cum triclinio à veteribus descripto. Vulgare est Turcis, vt etiam olim Romanis, eunuchorum ministerio vti: illud mirum, inuentum id esse mulieris. Semiramis enim regina, celebris illa bellatrix, multos adolescentes castrari iussit, quos dein Gynecæo suo præfecit: abella posteri eam consuetudinem obseruarunt in imperio sibi subdito. Credimus Turcas, cùm primùm eunuchos castrarunt, testes duntaxat pueris amputare solitos, veterum Romanorum more, qui veretrū non præciderunt: at grandiores facti robustioréque, feminas, testibus licet resectis, inibant: vt etiam quorundam Imperatorum vxoribus ea causa gratiores fuerint: generandi etenim facultatem non

habebant. Obscœnum est; propterea haud plura. Turcarum Imperator intelligens eos quibus præfecti testes essent, suis vxoribus & concubinis voluptatem adferre, in posterum penem cum testibus resecare iussit: sed ex denis vel duodenis qui ea ratione castrantur, vix seni euadunt. Sunt qui aliam rationem referant; Imperatorem videlicet castratum equum inire equam conspicientem, occasionem, ea qua diximus ratione castrandi sumpsisse. Cùm autẽ seruæ domesticas operas dũtaxat faciãt, nec in publicum prodire audeãt; magis decet castratos feminis coram maritis ministrare, quibus egredi licet, quàm seruas quæ domo non excedunt. Vulgare porrò est Satrapas & opulentos quibus sunt multæ vxores & concubinæ, quas seruis adire non licet, eunuchum habere, quem carum habeãt & cui plurimum fidãt. Ipse Turcarum Imperator, sapiùs eunuchum mancipium dominio suo & ingenti exercitui præfecit, eius animo confidens, quem nulla formidine posse affici exploratum habebat. Nonne Ganymedes Regis Ægypti eunuchus, Cæsari atq. vniuerso exercitui Romano restitit? Legimus etiam eunuchos apud Persas regnasse; atque alios magnis prouinciis præfuisse. Sed ne tam longinqua exempla petamus, Bassa qui Ægypto, Syriæ, & Arabiæ præfectus erat dum Cairi essem, eunuchus erat, cui Turcarum Imperator non minus fidebat quàm strenuissimo vniuersi sui dominij Præfecto. At Romani nunquam tantã auctoritatem atque libertatem suis eunuchis tribuerunt atque nunc Turcæ, vel olim ab omni vetustate Orientis Principes. Sunt etenim eunuchi huius seculi apud Turcas nõ minus familiares dominis suis atque eorũ vxoribus, quàm si æquales forent. Plurimum enim illis fidunt domini, imò per absentiam cum suis vxoribus versari & propter cubare iubent sine vlla zelotypia, quandoquidem sublatis concubitus instrumentis, omnem eiam appetentiam sublatam esse non

ignō-

ignorent: & certè nullius rei vestigium illis reliquum est, non magis quàm in manus vola. Eunuchis itaque vxorum & concubinarum custodia atque domesticæ rei administratio committitur, dominis in bello absentibus. Christianis seruos & seruas suo ære redemptas alere licet, quemadmodum & Judæis: at neutri Turcam mancipium retinere possunt. Judæo Christianum vel Christianam mancipium habere permittitur, quemadmodum & contrà. At Judæi adeò inter se confœderati sunt, adeóque versuti, vt neminem suæ nationis vnquam seruire permittant: nam simulatque suorum quempiam vel in mari vel in continente, belli vel pacis tempore, captum intelligunt, omni diligentia curabunt vt illum redimant, nec sumptibus parcent: Turcæ tamen maximo odio illos prosequuntur, sempérque illos lacessunt & iniuriis proscindunt, in publicis præsertim viis obuios.

CAP. XXX.

De Turcarum Sacerdotibus & scientiis.

SACERDOTES *Turcici, à laicis haud multũ differunt: satis enim illis est, si Alcoranum legere & Turcicè ad verbum interpretari norint. Coniugati sunt; à vulgo vestis discrimine non discernuntur, & artem aliquam exercent ad vitæ necessaria comparanda: alij enim institores sunt, alij sutores, alij sartores, alij artes alias mechanicas exercent: plerique etiam ex librorum transscriptione vitam traducunt: nulla enim Typographia est apud eos ad Turcicos libros cudendos. Eorum charta multa fricatione læuigatur & politissima efficitur. Nũc autem plerique eorum, ad nostram æmulationem Astronomicis studiis operam intendunt, Poëticæque & Philosophiæ. Nec ipsi soli eiusmodi studiis delectantur; sed proposito præmio suos etiam liberos vtriusque sexus instrui curãt. puerorum autem scholæ à puellarum scho-*

ta distincta; has femina, illos viri eruditi. Versus etiam condunt numeris constantes nostro more; & tetrasticha, hexasticha, decasticháque, decem, vndecim, pluribus vel paucioribus syllabis constantia componunt, quiq. à Turcis ea decantari audiret, Germanicum cantum existimaret. Turcæ, vt diximus, vxores ducturi, eas præsente pecunia emunt; nulla etenim istic dos ab eis accedit: imò vestes quas illa gestat, marito persoluēda: quòd si contracto matrimonio, ob morum dissimilitudinem conuenire inter se nequeunt, aut mulier sterilis sit: maritus Iudicem siue Cadi accedens, ab eo vxorem dimittendi potestatem accipiet: nam quemadmodum sine vlla iurisiurandi formula matrimonium contractum erat, nullis aliis obseruatis ritibus etiam dissoluitur. Virū defunctum sepeliunt viri, feminam femina: primùm autem cadauer lauatur, deinde mundissima alba sindone inuoluitur, postremò vrbe effertur multis cum ceremoniis (nemo etenim in tēplis sepelitur) tedas præferunt Deruis ipsorum propheta; subsequuntur sacerdotes lugubres naenias concinentes, donec ad sepulturæ locū perueniāt. Mos autem est apud ipsos, defunctorum sepulchra caeruatim adeundi certis quibusdam diebus, atque pro ipsorum salute orandi, sed viri seorsim, mulieresque seorsim, diuerso tempore.

CAP. XXXI.

Turcarum sacerdotes horologiorum vicem præstare, horarum spatia alta voce ex summa templorum turri proclamantes.

NVLLA apud Turcas sunt horologia, sed eorū vicem supplent sacerdotes, summas templorum turres conscendētes (singulæ enim Mesgueda vnam aut binas præaltas turriculas, vtrinque vnam, habent, si præsertim à Regibus sunt exstructæ; nec vlli templa pluribus quàm vna

vna turri prædita condere licet, nisi Imperatoribus) atq. altissima voce & subtili proclamantes, nobisque in memoriam reducentes crustulorũ pistores, qui brumali tempore ea noctu venalia proclamare solent (Galli Oublieurs appellãt) vel puellas in Cenomãniæ desertis ericetis circa Dominicæ natiuitatis tẽpus canẽtes. Eorũ vox per quartam milliaris partem, interdum etiam per dimidij milliaris spacium exaudiri potest: quod vix credibile sit ei qui antea huiusmodi vocem non exaudiisset. Interdũ bini vel terni clamant, digitis aures obturantes tãto vocis impetu vt per totam vrbem intelligãtur, pronunciantes hæc Arabica vocabula: La Illah Illellah Mehemet Irred sul Allah. *Quinquies singulis diebus ea proclamãt, Gallicinio videlicet, Aurora, Meridie, Tertia à Meridie & Crepusculo noctis: quæ singula tempora peculiarem ipsorum lingua appellationem habent. Eas temporis distributiones solent Turcæ deligere, ad negotiandum, aut aliquò conueniendum. Meridie templa vt plurimum ingrediuntur: sed lotis prius pedibus, manibus, obscœnisque membris anterioribus & posterioribus, térque aqua capiti inspersa: nudis item pedibus templum intrãt, & calceos ad templi fores relinquũt. Si verò dum peregrè proficiscuntur in loca incidant aquæ expertia; Mahumetes illis concedit, caput, manus, atque calceos terræ puluere aspergere.*

CAP. XXXII.

Itineris suscepti continuatio: & nonnulla de Turcarum moribus.

TOTA *hieme in Paphlagonia traducta, nouo vere Constantinopolitanum iter prosequi constituimus. Diligenter hoc à Turcis obseruatur, ne iter faciẽdo suos equos ad citatiorem gressum, nisi coacti impellant (cùm verò necesse est, præsertim in bello, neque equis, neque sibimet par-*

parcunt) nec eos interdiu pascũt, nisi fortè æstate ad Solis æstũ fugiendũ mane & vespere iter faciãt: sed equis insidentes edunt quæ circumferunt, equósque, vbicunque aquam inueniunt, potare sinunt. Eam ob causam fontes secundum regias vias deriuandos magna diligentia curant. Quoniam verò nusquam hærent sumendi cibi gratia, & per integrum diem pedetentim equitant, pridie emere solent in sequentem diem necessaria, sed vilis precij; quandoquidem delicatuli non sunt, sed cepis, pane, vuisque passis, aliisve resiccatis fructibus famem pellere soleant: vulgaréque apud ipsos est, cùm Satrapis, tũ tenuioris fortunæ hominibus, crudis cepis vesci: imò Satrapæ huic cibo adeò assuefacti sunt, vt quotidie mensis inferantur; hinc profectò sani viuunt. Eius rei ratio digna est quæ à doctis viris expendatur, cùm etiam qui tenuiores sunt, multa tamẽ mancipia alere soleãt. Quisquiã enim cũ binis seruis tribúsque equis supra sex asprorum precium vix insumet, qui totidem Gallicis Caroleis respõdent, vel quinque assibus Gallicis. Nónne igitur mirum est illos adeò rarò ægrotare, cùm aquam solummodo bibant, illámque subinde mutare cogantur? Verùm theriacam illam duo illis beneficia conferre dicemus; primum eos ab aquarum noxa præseruari ceparum & alliorum, quæ vili precio ab illis redimuntur, esu: alterum, quòd saliuam illis cieant, & orexin prouocent ad panem siccum liberaliùs vorandum. Si qui apud Insubres & Allobroges tumido gutture laborãt, quem morbum ipsi Gos, nos Louppes appellamus, apud Latinos verò nondum nomen inuenit, cepis & alliis crudis vescendi consuetudinem haberẽt, illos simili morbo non laboraturos certum est: etenim ex vitiosarum aquarum potu illis accidit; quo liberi sunt Turcæ, ob frequentem eorum vsum. Duplici porrò via Constantinopolim proficisci poteramus, vel per montis Olympi iuga, quæ compendiosior est; vel per illius radi-

ces,

ces, quæ longior: vtraque autem via in Galatia, siue in Gallogræcia est: nam Paphlagonia egressis, in Galatiam veniendum est. Cùm verò iam solutæ essent niues, eâ quæ per montium Phrygiæ iuga ducit, sequuti sumus, licet montem Senis altitudine superent. Paphlagoniæ porrò celebrior vrbs est Totia, olim Theodosiæ Gangrorũ appellata. Galatiam ingressi qui viam ad sinistram ducentem sequuntur, ad vrbem Cute vulgò nuncupatam perueniunt, quam nonnulli Cutiam Latinè vocauêre, at Plinius Contieum veteri nomine dixit: qui verò via ad dextram tendente insistunt, per Boli transeunt, veteribus Abonimenia dictam. Ceterùm quoniam ea via progredientibus, bini sinus obiiciuntur, alter Montaneæ, alter Nicomediæ; magnæ ambages sunt faciendæ, & amnis Sangari, veteribus Sagaris nũcupatus, superandus, qui in Pontum euxinũ Exoneratur, isticq. elegantẽ portum lapidibus exstructum conficit: deinde circumeundus lacus qui clarè è Nicomedia conspici potest: à Nicomedia verò secundum Propontidem iter faciendum per oram sinus Nicomediæ, de quo iam diximus. Contieum fuit olim, vt etiam nunc est, vrbs celebris admodum: arcem adhuc integram retinet in tumulo sitam, firmisque mœnibus præditam, in cliuo propendentem, atque vrbem ferè pertingentem. Plerumque ex Beglierbeis minoris Asiæ vnus Contiei habitare solet, quoniã primaria nũc vrbs est eius regionis: olim verò Gordinus. Pauci sunt anni, quòd Regis Persici maior natu filius Ismaël nomine per Turcicum dominium in Galatiam vsque penetrauerit, omnia ruinis & incendiis fœdando (cùm eius exercitus ex quatuor vel quinque hominum, sed fortissimorum, millibus duntaxat constaret) Contieumque vsque peruenerit: Bassa dictus Corague qui istic præerat, ipsi resistere conatus est, militum numero, quos duplo plures habebat fretus: pugna commissa, Regis Persici filius victoriam obti-

nuit,

nuit, Bassamq; in conflictu cæsum palo affixit, eiusq. penem præcisum illi in os ingeri iussit. Arcem deinde obsedit, quã expugnare non potuit: alium enim Bassam eunuchum magnis itineribus, ingentiq; exercitu firmatum, aduenientem intelligens, recessit. Omnes Asiæ minoris siue Natoliæ incolæ olim Græco sermone vtebantur: nam ædificiorum rudera quæ in Cilicia, Lycia, Paphlagonia, Cappadocia, Pamphylia, Bithynia & Phrygia vidimus, Græca quædam epigrammata insculpta habuerunt, sepulchraq; Græcis characteribus notata fuêre.

CAP. XXXIII.

Omnes mulieres sub Turcico dominio viuentes, cuiuscunque tandem sint religionis, obscœnarum partium pilos non nouacula sibi demetere, sed psilothro auferre.

OMNIS generis annona Contiei venalis reperitur, vti panis, vinum, carnes; nam ab Armenis, Iudæis, & Græcis incolitur. Istic quidpiam inuenimus inter reliqua in nostra peregrinatione obseruata, admodum, nostro iudicio, singulare; Rusma videlicet ab ipsis sic appellati fodinam; & quid illud tandem esset, intelligere maximè cupiebamus. Id Rusma omnibus Turcico dominio subditis maximo in vsu est, nemoq. est qui illius nomẽ aut facultatẽ ignorat. Scendũ porro est, Turcas vtriusq. sexus pilos in vlla corporis parte ferre nõ posse præter cæsariem & barbã, vitioq. vertatur, si quis pilos retineat. Inde fit vt metallicũ illud tanto in vsu sit, vt Turcarũ Imperator (referentibus Iudæis) singulis annis ducatorũ octodecem millia tributi nomine accipiat ab eo qui illius metallici vectigal in censu habet. Nouum sanè est, vt adeò vile metallicum, tantum quæstum suo domino adferat. Nullus veterum aut recentium, quod sciam, eius meminit. Qui verò illius vsum nouerit, ipsius venam tantundem ferè æstimabit atque puri argenti: vulgus enim illo vti adeò consuenit, vt nunc abstinere nequeat. Cæterùm quid

sit

sit Rusma, dicemus; deinde illius facultatem & vsum explicabimus. Rusma ferri excremento persimile est, sed leuius, nigrum, adustúmque quidpiam referens; fodina etenim est leuiter adusta. Omnes Turcicæ fœminæ iuuenculæ & vetulæ, nuptæ & innuptæ (quæ quidem pilosæ sunt) cuiuscunque tandem nationis, Turcicæ, Græcæ, Armeniacæ, Iudaicæ & Christianæ, ad depilandum eo vtuntur, non sine ratione: nã quæ dropace pilos auferre malũt quàm nouacula, admodũ cõmodum illud reperiũt. Pleriq. Europæi psilothra conficere tentarunt ex calce & auripigmento, sed experientia malè cessit, quòd vtendi rationem non probè intelligerent: id enim fieri debet antè balnei ingressum. Eam ob causam Rusma vtendi rationem explicare volumus. Rusmati in tenuissimum pollinem contuso, calcis viuæ dimidiam partem adiiciunt, vnáque in fictili aqua macerari sinunt: fœminæ balnea ingressuræ, partes quas glabras esse cupiunt, eo inungunt, atque inhærere sinunt quanto tempore ad coquendũ ouum requiritur: deinde experiuntur an pili decidere velint: sudore enim cutem penetrare incipiente, pilorum radices laxiores redduntur, & sponte decidunt, parte abluta calida aqua, & manu duntaxat ad partem adducta. Adeò temperatum est id psilothrum, vt non vrat, locáque læua & glabra reddat, nullo pilorum manente vestigio, vt vetulæ iuuenculæ quodammodo reddantur. Fœminæ ergo peculiare hoc medicamentum sibi vendicarunt, quæ cutem læuem & glabram habere cupiunt, alioqui asperam & rugosam futuram, si nouacula raderentur. At viri, muliebria ista haudquam sese decere æstimantes, vti nolũt Rusmate, sed nouacula pilos demetũt. Hinc igitur fit vt id metallicum adeò frequenti in vsu sit, cùm inter tenuioris fortunæ homines, tum opulentos Ægypti, Arabiæ, Syriæ, atque reliqui dominij Turcici: iam etiam in Graciam transiit, & istic hæsit; nondum

dum enim ad eos penetrauit qui Romanam religionem amplectuntur.

CAP. XXXIIII.

Turcicas feminas singularis esse formæ & munditiei.

RVSTICORVM *etiam Asiaticorum feminæ, singularis sunt formæ, molles & candidæ, cutéque adeò erugata & læui, vt holoserico quis se manibus tractare existimet. Inter reliqua autem medicamenta quæ cutem ita lauigãt, vnguentũ ex terra pingui cõficere norunt, quam Græci nunc Pilo nominant: de qua postea. Est verò illa ipsa quæ veteribus etiam simili in vsu fuit, Latinis terra Chia dicta; cuius facultates Dioscorides in hunc modum*
„ *describit: Extendit faciem & erugat, atque splendidam*
„ *reddit: colorem in facie & toto corpore commendat, in*
„ *balneis pro nitro deterget. Inuenitur autem multis Phrygiæ locis: eius etiam fodinam apud Lampsacum vidimus, ex aduerso Callipolis. Cumq; eius vsus adeò frequens sit, nullus est propola qui eam in taberna non habeat. Macerata hæc terra, vnguinis consistentiam capit, quo balneæ ingressuræ vniuersum corpus & faciem diligenter inungunt, atque etiam capillos; non autem sapone: quoniam extremi capilli flauo colore Alcannæ puluere tinguntur: si enim sapone capillos detergerent, eum colorem non modò non reciperent; sed etiam iam tincti in atrũ vel rubrum colorem verterentur: sapo enim natura acris ob salis, olei & calcis commixtionem ex qua compositus est, colorem immutaret: prædicta verò terra expurgati, faciliùs colorem recipiunt. Sincipitis porrò capilli fenestratim secantur ad malas & mediam vsque frontem, quemadmodum pueris in Europa, & atro colore tinguntur: Occipitis verò, implexi & sericeis vittis colligati in tergum propendent. Quo verò atriores sunt sincipitis capilli, tanto formosiores censentur, non sine ratione: quemadmodum enim*

enim facies quo candidior, eo formosior apparet: ita huic candori maiorem gratiam addit capillorū nigredo. Auicenna testatur, hanc terram ab omni antiquitate in vsu fuisse ad detergendos capillos, in Arabia, Aegypto, & Syria, eámque ob causam terram capillorum nominat: vocat etiam terram edulem, quoniam grauidæ mulieres in iis regionibus eam plerumque appetunt. Eodem etiam quo anteriores capillos colore supercilia tincta habent, quóque atrior color est, eo facies elegantior æstimatur. Ea consuetudo non modò in vrbibus inualuit, sed etiam per vniuersi Turcici dominij pagos: singulis enim locis balnea habent. Itaque mirum videri non debet, si Asiaticæ mulieres tam nitida facie sunt præditæ: nam neque à Lunæ splendore, neque à Solis radiis noxam accipiunt; quandoquidem domo non egrediuntur, nisi cùm balnea lauandi, aut cœmiteria pro defunctis orandi gratia accedunt. Bis verò aut ter in hebdomade balnea ingredi solent, isticq; quatuor aut quinque horas comendo & ornando sese insumunt. Cateruatim autem eò proruunt: nam peculiaria habent balnea, quò viri non veniunt: si verò interdum virorum balnea accedunt, id fit certo aliquo in hebdomada die: quibusdam enim locis feminæ balneorum possessionem à meridie obtinent, ante meridiem autem viri. Nonnulla etiam loca sunt, vbi feminæ die Iouis à meridie duntaxat lauant: itaque simili quodam die eius consuetudinis ignari, cùm vti aliis diebus balnea accederemus, ianuámque apertam inuenientes ingressi essemus, magnã Turcicarum feminarũ turbam reperimus sese ad lotionem parantium: nisi verò illicò fugissemus, vix vitæ periculum euitare potuissemus: Mahumetana enim lex adeò rigida est in hac re, vt vitam conseruare non liceat, nisi stultitiam simulando. Nam Turcæ, vt diximus, fatuos sanctitatis cuiusdam ob innocentiam participes esse censent. Ceterùm nihil aptius ad

tuendam sanitatem Turcis virisque sexus accidere posset, ob aquæ potum, & crudarum rerum vsum, quàm frequens balneorum vsus; quod etiam veterum Romanorum autoritate satis probari potest: ait enim Columella: Quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus. Nisi præterea hanc balneorum commoditatem haberent, vermibus scaterēt, & admodum immundi essent: at balneorum beneficio mundissimi euadunt. Vt autem olim apud Romanos nullæ fuere splendidiores fabricæ Thermis & Templis: sic Constantinopoli, aliisque oppidis Turcici dominij nihil magnificentius conspicitur quàm Templa, & Thermæ, quæ magnorum Palatiorum instar sunt. Neque in Thermarum ingressu neque egressu calefactione opus est: sed loturi in ingressu magnam fornicem orbicularē inueniunt, in cuius vmbilico plerumq. est aquæ frigidæ scaturigo, ad quā sese in podio spoliantes vestes in talari obuoluūt. His Thermarū præfectus binas sindones pictas præbet, quarū altera anteriorem corporis partem tegit, altera posteriorem cum capite; nimis enim indecorū foret obscœnas partes istic nudare; ea de causa sindone sese inuoluentes, balneum ingrediuntur, vbi calidæ aquæ fontes plures sunt, qui versato epistomio aquam per siphunculum effundunt. Tum ingressi Thermarum serui, illos lauant, fricant, & strigili cutem exterunt. Longum esset omnia sigillatim enumerare: sed vt in pauca conferam, id agunt: In ventrem humi sternunt quem lauaturi sunt, deinde colli, humerorum, brachiorum, femorumque & tergoris musculos manibus prehendunt & malaxant: eumque obuertentes, illius pectus similiter prehendunt & confricant vndiquaque: demum caput radunt, minimè autem pudenda: sed nouaculam ei qui lauatur, tradunt, qui in angustum quendam locum pone balneum secedens, sibimet pudenda radit. His peractis ad podium redit: cui Thermarum præfectus binas alias sindones mūdas & siccas

ſiccas tradit, quibus ſe deterget & exſiccat; poſtremò reſumptis veſtibus, & perſoluto aſperi precio, abit: eſt enim in ſingulis prouinciis certum definitum precium, vti, teſte Iuuenale & Horatio, Romæ conſtitutum erat precium, talentum, quod binis aßibus Gallicis comparari poteſt. Hæc eſt totius Turcici dominij conſuetudo, Gallicanæ plurimum abſimilis, vbi æſtuarium egreſſi, ſupra lectum decumbere ſolent: meritoque æſtuaria ſiue vaporaria vocamus ea in quibus lauamur loca, ſi cum iis quæ Thermas nuncupauimus, comparentur. Sed neque vllæ aliæ nationes Europæ balneis vtuntur Gallico more, vt egreſſi in lectis decumbant, nec Itali, nec Bohemi, nec Germani, nec Pannones. Poſt Turcicas Thermas, nullas proximiùs ad balinearum antiquarum rationem accedentes comperimus quàm Germanorum: nam æquè frequenter fere lauant atque Turcæ. Sed illud nobis mirum viſum, quod apud Heluetios, pudicæ matronæ promiſcuè cum viris tam exteris quàm notis Thermas ingrediantur, tametſi pudenda velo tecta habeant: attamen quoniam conſuetudo apud illos ita inualuit, nihil fœdum iſtic perpetrant, licet nudæ feminæ conſpiciantur.

CAP. XXXV.

Qua ratione feminæ fincipitis capillos & ſupercilia, viri autem ſenes barbam nigro colore inficiant.

DIVERSA *porrò ratione fit ea mixtura qua Turcicæ & Græcæ mulieres ſupercilia ſibi inficiunt. Vulgatorem autem, quæque feminis apprime nota eſt, didicimus. Æris vſti laminulam, quã Itali vulgo Feretro d'Eſpagna appellant, vnam aut alteram drachmam pendetem, leniter in ferrea pala confricant, vt in puluerem conuertatur: huic pulueri gallam omphacitin ſuperpoſitam calido, ſed non candente, ferro premunt, quæ eo calore diſſoluitur, deinde aquæ tres vel quatuor guttas inſpergunt:*

postea calefacto denuo ferro, identidem eam compressionem repetunt, donec galla omnino dissoluta pulueri commisceatur. Ea mixtura atramentum nonnihil densatum æmulatur, cuius pauxillum bacillo penicilli instar efformato sumentes mulieres, ipsæmet ad speculum sibi supercilia tingunt, & resiccari permittunt. Id quinquies aut sexies repetitum, supercilia talpæ pilis altiora reddit: tandem madido lineo panno confricantes, nigredinem cuti inhærentem tollũt. Pleraque Perotica femina & puellæ Græcæ supercilia rusmate tollunt, deinde paulo supra superciliorum radices, ea mixtura sese in arcus formam tingunt, vt supercilia incurua appareant. Procul aspicientibus elegans videtur: at fœdũ iis qui è vicino loco attentiùs obseruãt. Ceterùm recentiorum inuentum id non est, sed iam à multis seculis in vsu fuit, vt fusiùs sequenti capite demonstrabimus.

CAP. XXXVI.

Elegantis formæ secundum Græcos commendatio.

CVM Græci insignem formam extollere volunt, sublatam manum in latus inclinant, pollicisq. & indicis extrema coniungentes, orbem faciunt, quasi indicare velint, eius, de quo sermo est, oculos tã grãdes esse. Vetus illud est à Græcis auctoribus muliebris formæ iudicibus celebratũ, qui insignis formæ feminas vnica voce πλατυοφθάλμους appellarunt, hoc est, amplis oculis: propter elata nimirum supercilia quæ latæ & amplæ faciei gratiam conciliant. Pari ratione cum viri alicuius robusti formam celebrare volunt, similem orbem ostendunt, libenterque adiicerent eum oculos bubulis non minores habere. Si quis diligenter obseruet veteraGræcorum numismata & statuas, oculi prægrandes promissaq. coma deprehendẽtur, præ iis quæ Romanis numismatibus exprimuntur. Vix vllo exercitio vtuntur Turcicæ feminæ (rarissimè etenim domo egrediuntur) nisi cũ summam ædiũ contignationem constratam

ſtratam conſcendunt, vbi interdum toto die hærent cum ſuis vicinis patrio more canentes. Græcanicæ autem præſertim Peranæ in cornu Byzantino, plus libertatis quàm in reliquis Turcici imperij oppidis, habent: nam per vrbem magna cum pompa incedunt; atque ſi earum mariti paullo opulentiores ſint, adeo fuco infectæ, tantóq. ornatu in publicũ procedent, vt digitos ad extremos etiã vngues annulis onuſtos habeant, & infinita puſilla monilia è collo ſuſpenſa geſtent, multóſq. torques cũ aureos, tũ adulterinos: quaternis præterea vel quinis cingulis vel ſericeis, vel aureis, vel gemmis veris & ementitis conſtantibus præcingentur, atq. precioſis veſtibus ſericeis induentur: breuiter omnes ſuas opes, oſtẽtationis gratia circumferunt, eodem ferè modo quo nouæ nuptæ. Sed ſimili ornatu ſolennibus duntaxat diebus prodeunt.

CAP. XXXVII.

Creditu difficilia eſſe, quæ Turcici circulatores in publico faciunt.

PERINDE *atq. nos in Europa, petauriſtas & circulatores habent Turcæ, qui ab ineũte ætate edocti ſunt, atq. toto vitæ curriculo nihil aliud agunt. Creditu admodũ difficilia peragũt, iis qui nõ viderint: quemadmodum ferreũ piſtillũ pugno multoties in eadẽ hora incuſſo confringere. Vidimus qui magnam trabem erectã in humero geſtaret, eamq. ſine manuum adminiculo in alterum humerũ ſuccuteret, idq. ſubinde alternatim faceret ſine intermiſſione. Quini aut ſeni ſimul plerumq. conueniunt, opidaq; & pagos circumeunt, quãdo fora celebrari, hominúmq. frequẽtiam adfuturã ſciunt: iſtic occupato aliquo fori loco, mille geſticulationes propalã faciũt, nudis pedibus ſupra acutiſſimos aciñaces gradiũtur, bubulos pedes crudos dẽtibus in partes diuidunt, quorũ deinde oſſibus dempta carne, tam validè crura & brachia ſibi verberant, vt admirandum ſit, nec verberare deſinunt, donec huiuſce-*

modi ossa quina aut sena subsequenter confringant. Nisi ipsi conspexissemus, vix credidissemus: & nisi eadē coram illustribus nostræ nationis viris qui etiamnum viuūt, facta fuissent, vix meminisse voluissemus, sed illi ipsi rē ita sese habere testari possunt. Virium autē robori, quali olim Athletæ præditi erant (de quibus Hippocrates & Galenus multa) id attribuere potuissemus, nisi alios plerosq. & inter eos quosdā corporis infirmi similia facere obseruassemus: eam ob causam aliud mihi persuadere non possum, quin fraus aliqua & impostura subsit. Cetcrùm, dū eorū nonnulli has gesticulationes agunt, reliqui adeunt spectatores, & stipem emendicāt. nemo dare cogitur, sed adeò importunè efflagitant, vt quidam elargiātur: etenim non sibi pudori esse censent quidpiam emendicare.

CAP. XXXVIII.
De Turcarum lucta.

LVCTANDI mos qualis olim apud Græcos & Romanos in vsu fuit, etiamnū apud Turcas obseruatur. Vix vllum est in ea regione spectaculum quod spectatores maiore voluptate afficiat. Luctatores enim nudi sunt, brachis coriaceis oleo delibutis & lauibus, ne cōprehendi possint, pudenda tegentes. Si quis fortè è spectatorū numero (plurimi enim spectandi gratia conueniunt) adolescēs virium robore celebris, cum alio experiri velit: quispiā ex Athletis honorificè illum inuitabit, brachásq; coriaceas præbebit. Qui circum eos sunt, operam suam offerent; vt eos, dum vestes exuunt, inuent, vestemq; aliquam talarē aut pannum lineum attollent, dum spoliantur. Iam parati in palæstram prodeunt; quoniam verò nudi sunt, brachiáq; & reliquum corpus lubrica habēt, & bracha angustè femora stringūt, atq. etiā genua vsq. ad suras arctè comprimunt, magna difficultate luctando sē mutuo comprehendere possunt: neq. quisquā victor euadit, nisi aduersariū in dorsum prostrauerit, quod difficulter admodum fit:

fit: licet enim alteruter in latus vel in genua cadat, aduersario adhuc stante, victus propterea non est; nã in hac lucta quacumq. cõprehendere aduersarium licet, etiam per crura: quod si alter alterius manum prehendere potest, tum summis viribus aduersarium prosternere nititur, ille verò eius conatum cludit. Interdum integra hora ita certabunt, antè quàm alter alterum in dorsum prosternat: nec vnquam tædio afficerentur spectatores; tantam voluptatem adfert ea lucta; dubiáq. adeò est, vt modò hunc victorem futurum iudices, modò alterum. Victus autẽ non minus sibi displicet, quàm qui in gladiatoria præmio excidisset. Interdũ vniuersum corpus oleo perungunt, túncq; lucta magis delectatione afficit spectatores, quoniam mutua prehensio longè difficilior est.

CAP. XXXIX.

Turcas imperterritos esse funambulos.

PER *extentum funem incedere, nuperum inuentum non est: multis enim locis veteres auctores eius meminere: sed nulli peritiores sunt Turcis, qui à pueris cã artem ediscunt, illámq; per omnem vitam exercent. Veteribus* χοινοβάται *& funambuli appellabantur. Octoni aut deni simul conueniunt, equúmq. habẽt qui funes & alia impedimenta ferat; exiguum etenim iter singulis diebus conficiunt: cùm in pagum quempiam peruenerunt, amplũ aliquem locum deligunt, vbi explicatis suis impedimentis, celsas binas trabes in solo figunt, quibus binos funes alligant, altero longè supra alterũ eminente. In superiore autem fune suos ludos non exercent: sed in infimo, per quem interdum seni incedunt, tantáque agilitate sese circumagunt, vt sciuri videantur: per summum funem solùm incedunt qui longa sese librant hasta. Hæc omnia publicè fiunt. Cùm verò ex ipsis nonnulli ex fune descenderũt, pecunias à spectatoribus exigunt, adeoq. importuni sunt, vt vix illis denegari possit. Haud credibilia pleriſque vide-*

rentur, si omnia quæ faciũt, sigillatim explicaremus: atq. si nostræ Europæ rustici quartam eorum partem dunta-xat conspexissent, non dubitamus quin præstigia esse existimarent. Sed hæc longo vsu à pueritia edocti faciunt, quemadmodum petauristæ suos in aere saltus, Turcis ignotos. Suspendunt se ex capillorum villo quem in vertice capitis gerunt instar feminæ: Omnes autem Turcæ caput radunt, excepto vertice, in quo villũ relinquunt, quo Mahumetes eos comprehendere, & à terra subleuare queat in die iudicij. In eorum autem potestate situm est, vt eum villum breuem aut prolixum gerant. Turcæ sibi inuicem caput radunt eodẽ cultello quo cibum concidere solent: nam ita cultri aciem intendunt, vt nouaculæ instar radat: tonsoribus tamẽ non carent, qui pro regionum varietate nouacularum alia etiam forma vtuntur: nam Syriacæ & Ægyptiacæ, densæ sunt & graues: harum manubrium incuruum non est, sed extremitatem habet in capitulum conformatam, & quoniam ex Damasceno chalybe factæ sunt, optimam aciem habent.

CAP. XL.

De Turcarum canibus, eorumque venatione.

VILLATICI Turcarum canes peculiarem herum non habent: atque licet ædes non ingrediantur, tegetes tamen semper in area stratas habent, quibus incubent: atque secundum parietes concaua quædam habent saxa, in quæ offarum reliquiæ, panis, ossaque coniiciuntur, quibus vesci queant. Singuli tuentur eum locum in quo fuerunt educati, & reliquos canes ab illo arcent: fugant præterea siluestres illos lupos apud Turcas vulgares nomine Adil, nec in pagos ingredi sinunt. Venatici canes nostris magnitudine cedunt, sed eos æquant quos spurios siue hybridas appellamus, villosamq; similiter habẽt caudam, pendentésque aures, vt Cretenses venatici canes, funiculisq. illigatos eos tenent, vt nos nostros. Hispanicos etiam

alunt

alunt ad perdices odoratu persequendas. Aucupandi etiam artem tenent cum accipitre fringillario, cum vulture, cum sacro & falcone: dũ verò reuocant, houb, houb duntaxat acclamant: dextra autem eas aues ferre solent, & interdum oua gallinarum dura vescenda illis præbent in recentis carnis penuria. Qui loca incolunt feris frequentia, siluas persequuntur, atras minime: etenim (vt diximus) aprugna non vescuntur: si quæ verò siluæ à canibus captæ, quibus abundè sanguis non profluxerit, qui scrupulosiores sunt, earũ carne non vescentur: nã, vt ante dictum est, & à sanguine & à suffocato abstinent. Attamen ex ea quæstum vt faciant, Christianis vendunt, cùm non ignorent, Iudæis perinde prohibitas esse.

CAP. XLI.

Stirpium in monte Olympo obseruatarum nomina.

RELICTO Contieo, viamq; quæ per montem ducit sequuti, in pagum venimus inter valles Olympi, qui admodum latè patet, situm. Magnam istic Tragacãtha, è qua inquilini gummi, quo nos vtimur, legunt, quantitatem obseruauimus. Postridie iã claro die discedentes, per montem iter fecimus, atque in eo solum superando diem insumpsimus. In ipso montis supercilio densam adhuc niuem deprehendimus: ingens enim quod in media aëris regione est frigus, nunquam istic miteſcit: eaq; est causa, cur in celsorum montium iugis summum semper sit frigus, & nix insidens non colliqueſcat. Exemplum habemus in Aethiopiæ montibus, quos (licet omnia eius regionis plana loca ingenti Solis æstu adusta sint) Theophrastus de Myrrha, Thure & Cassia agens, niue tectos esse asserit, vti sunt etiam Libanus in Syria, Spachiæ mons, Ida, & Dictæus in Creta: attamen appianum siue maluaticum vinum in planis vicinis locis frequens colitur: Non igitur mirum est, si æstate in summo æstu, grandinem decidere videmus. Istic etiam obseruauimus

uimus Sabinam illi quæ à nobis in hortis colitur similem, tanta copia sponte nascentem, vt tumuli ab ea tegerentur: abietes in summam altitudinem attolluntur, sed exiguam præbent resinam. Sunt etiã nonnullæ æsculi, ostriæ, aliæq; similes arbores. Siluestres pini nonnullis siluarum locis satis istic frequentes sunt; aliud item quercus genus à nostris diuersum, quod veteribus ignotum fuisse arbitramur: eius etenim glandes minoribus fabis haud sunt maiores. Helleborum nigrum istic flores profert rubentes, & frequens est, atque eo loco primùm simili flore præditum conspeximus. Ledon item à Græco diuersum & longè maius. Obseruauimus præterea alias arbores & stirpes, quas cùm vetere appellatione exprimere nequeamus, alias describemus. Per Pinastrorum & Abietum siluas iter facientes, diligenter obseruabamus, an Laricis conspiceremus: sed neque toto illo monte, neque per Asiam aut Græciam vllam vidimus. Ea propter veteres Græci Scriptores, quales Thophrastus, Dioscorides, & Galenus, eius non meminere, tanquam ipsis ignotæ, licet nonnihil de ipsius gummi Dioscorides & Galenus egerint. Miror Plinium de Thya agentem, cogitare Homerum Laricis mentionẽ facere: sed hallucinatur, pro Picea Laricem supponens, cuius iconem hîc exhibemus, plenam eius descriptionem cum reliquis coniferis arboribus daturi.

Vespere in alium pagum inter montes situm diuertimus. Postridie autem planè ex monte descendimus, & peculiare quoddam pinastri genus duntaxat obseruauimus, conos auricularis digiti extremi crassitiem vix superantes ferentis, & fruticem quem Brutij vulgò Spina cerisola nuncupant. Planiciem deinde habuimus amplam & vt mare æquatam, veris admodum glebæ, oriza consitam; nam plerique riui ex montibus vndique delabẽtes eam rigant, faciléq. per cataractas aqua & retinetur & emittitur. Ceterum mirum non est, si oriza apud

Tur-



Turcas magno sit in vsu, quandoquidem illam melius apparare norunt, quàm nostri homines. In iusculo illã coquunt, diúque ebullire sinunt, nullo modò agitantes: qui enim, dũ ebullit, agitant, corrumpunt, vt nostri Galli, qui ex eius vncia magnum aliquod fictile implent: quum Turcico more coquẽdo, integra libra opus esset. Per hanc planiciem ad meridiem vsque iter fecimus, ad cuius extremum per fauces quasdam in valles peruenimus, vbi denuo Spinam cerisolã obseruauimus, & Ephedram rubro semine vti Androsace refertam, ingentis altitudinis: huius natura Smilaci lœui in Atho nascenti persimilis. Nam si iuxta arbusculam primùm adolescentem nascatur; prout illa crescit, etiam attollitur, coméque in crescendo illi fiet, etiam si in immensam altitudinem arbor attolleretur. Vidimus enim Platanos non minus celsas Abietibus in Hæmo monte nascẽtibus, quæ Ephedrã ad summum vsque fastigiũ deduxerant, sine clauicularum (quas vt Smilax lœuis quibus se implicare possit, non habet) adminiculo ramis incumbentem: Si verò iuxta fruticẽ aut arbusculam nascatur, humilis manet, nec supra eam attollitur. Iam antea in Illyrico inter Castelnouo & veterem Epidaurum obseruaueramus.

CAP. XLII.

De Prusa vrbe, quæ Turcarum Imperatorum Regia esse solebat.

IN *Prusam vrbem Regum Bithyniæ olim sedem, quam Plinius ab Hannibale conditam scribit (Intus in Bithynia, inquit, Prusa, ab Annibale sub Olympo condita) maturè peruenimus, isticq; diu hæsimus. Admirabilis est eius situs: nã vt paulatim incrementũ sumpsit, sic per montis accliue sparsa est: muro non est cincta, sed Lugduno in Gallia amplior est: variis enim locis per montis radices sparsa, conuallibus separatur. Cùm Turcici Impera-*

peratores Phrygiã ſubiecisſent, nec vlteriùs progredi poſſent, Regiã iſtic ſedẽ conſtituerũt. Abhinc autẽ centũ annis cùm capta Conſtantinopoli, paulatim in Europam penetrasſent; Pruſa relicta, Conſtantinopolim Regiam traduxerunt. Attamen Pruſa etiamnum æque opulenta & populoſa eſt ac Conſtantinopolis: imo hanc ab illa ſuperari, opulentia & in habitantium numero, dicimus. Rolandi gladius adhuc ad arcis Pruſæ portã pendẽs conſpicitur. Eum Turcæ diligenter adſeruant: nam vulgus exiſtimat ipſum Turcam fuiſſe. Pruſæ autem opulentia à ſerico conſtat: ſingulis enim annis mille cameli ex Syria & aliis Orientalibus locis ſerico onuſti Pruſam aduenium; quod iſtic apparatur, in ſtamina diducitur, varióque modò texitur, & diuerſis coloribus inſicitur: nã veſtes ex holoſerico variis figuris contexto & diuerſorum colorum, auro & argento interdum immixto, atque eleganter confectas geſtare ſolent Turcæ.

CAP. XLIII.

Turcarum veſtes elegantiſſimè eſſe concinnatas & conſutas.

TVRCARVM veſtes ex quacunque tandem materia, ſiue lanea, ſiue ſericea, ſiue è caprarum villis confecta conſtent, ſericeo filo Pruſæ concinnato conſutæ ſunt, ſutura quodammodo indiſſolubili. Turcici ſartores longè elegantiùs omnia conſuunt quàm Latini, vt noſtratium opera velut tyronum videantur, ſi cum Turcicis conferantur, adeò concinnè illi omnia conſarciunt, vt vix ſuturæ appareant: in ſumma, in ſuis operis nihil quod reprehendi queat admittunt.

CAP. XLIIII.

De Ephippiariis & ſutoribus Turcicis.

SVTORES atque ephippiarij adeò nitidè & diligenter omnia ſua conſuunt, vt melius id fieri nequeat: ſuum ſetis non vtuntur, ſed acubus longis teretibus cuſpide carentibus, & nonnihil incuruis; nec pice filum inducunt

ducũt quo consuunt, sed cera stamina sericea quibus solis vtuntur, inficiunt, foraminibus primùm subula factis. Turcarum cùm magnatum, tum rusticorum cothurni, anteriore & posteriore soleæ parte ferreis clauis muniti sunt. Imò ipsius Imperatoris & Bassarum, feminarum, puellarum & puerorum omnes cothurni perinde ferrati sunt, nec, cum aliqua in parte rupti sunt, vnquam reparantur (nulli enim istic cerdones) quemadmodum nec corrupta ephippia. Equorum etiam antilenæ & postilenæ, reliquaque coriacea ornamenta sericeo filo consuta sunt.

CAP. XLV.

De Fabris ferrariis Turcicis.

FERRARII *fabri Turcici nunquã follibus vtuntur, nec carbone egent, fornacibus enim carent. Eorum ferreæ soleæ vix dimidium Europeæ soleæ pendent, neque eorum binæ soleæ plus materiæ requirunt quàm vna externarum gentium. Soleas * ferreas magnas & paruas iam complanatas, nondum tamen pertusas, emere solent, quas deinde equorum pedibus accommodant, sedentes nostratium sartorũ more, hoc est, cruribus decussatim compositis; malleo autem supra incudem accommodant, deinde chalybeo stilo bene temperato perforant, alióque quadrato bonæq; aciei pugione foramina pro arbitrio augent. Hæ soleæ vncos non habent; quoniam suos equos exercendo ad plenum cursum alternis nec impellunt, nec sistunt; præterea claui quibus soleas adfigere solent, oblonga crassaq; habent capita, instar columbacei cordis. Cùm autem equi gradatim incedere soleant, per semestre integrum calceandi non sunt: quæ consuetudo cùm admodum laudabilis sit, de Turcarum in bello gerendo commoditatibus agentes, eam minimè præterire debuimus. Cùm equi pedem ad ferream soleam applicandam repurgant, cum in fornicem non excauant nostro more ferramenti conciso-*

rij

rij aciem protrudendo, ſed eum complanant, ferreo inſtrumento palmum lato, cuius acies verſus manubrium obuerſa eſt, attrahendo. Eorum item habenæ exiguo admodum fræno præditæ ſunt: ſtrigiles verò tametſi dentatæ ſint vt noſtræ, manubrio tamen carent.

* Simile quidpiam per Hiſpanias, dum illas anno Dominicæ natiuitatis M.D.LXIV. perluſtrarem, obſeruaui, præſertim in vetere Caſtella. Ferteæ etenim ſoleæ, magnæ, paruæ, mediocres, è Cantabris, apud quos laudatiſſimæ ſunt ferri fodinæ, ruditer conformatæ per vniuerſam Hiſpaniam diſtribuũtur. Ferrarij deinde fabri, qui ſuas officinas plerumque anteædes ſub ſubgrundiis habent, ſine ignis adminiculo iſtas ſoleas ad equorum qui calceandi adducuntur, pedum formam ad incudem malleo accommodare & complanare norunt, plerumque etiam ad ſolem, & ſolearum foramina pugione ſiue ſtilo peculiari auctiora facere: exigui autem ſunt ponderis iſtæ ſoleæ, attamen adeò temperatæ & durabilis materiæ, vt bis aut ter duntaxat in anno calceandi ſint equi, ſiue muli, etiam meritorij, qui rariſsimè ferriari ſinuntur.

CAP. XLVI.

De Turcicis lanionibus, & lapidibus qui in bubulo felle inueniuntur.

LANII *Turcici aliarum nationum lanios in concinnandis carnibus agilitate longè ſuperant. Et vbicumque ſunt, iugulato boue, extisq. exemptis, fel obſeruare ſolent, an lapidem contineant, quoniam plerumque innaſcitur lapis quem Arabes Haraczi nominant, cuiuſque facultates ab Auicenna ſigillatim ſunt deſcriptæ. Iudæi longè pluris æſtimant huiuſcemodi lapides quàm Turcæ; qui Iudæis cùm ſint ſaniores, illo magnoperè non indigent. Iudæi magna ex parte malo colore ſunt præditi, & regio morbo laborant, naturáq, taciturni ſunt & melancholici, nõ modò in Turcico dominio, ſed & in Germania, Italia, Gallia & Bohemia. Qui apud Turcas viuunt, nullum præſentius remedium aduerſus eum morbum norunt, Haraczi lapide. Quod adnotatum voluimus, vt quem hæc legere continget, lanios ſuæ regionis admoneat de perquirendo eo lapide in bubulo felle. Non inuenitur quidem in omni felle: ſed in decimo quoq. forſitã inueniuntur bini aut tres eiuſmodi lapides. Cum arieti aut capræ cutem*

cutem detrahunt, sanguinem plenè exstillare sinũt (quoniam ab omni sanguine abstinent) cutémq. integram adseruant ad vtrẽ liquori aliquo imponendo idoneũ. Aperta deinde aluo, tenue intestinum, qua inferiori aluo adhæret, abscindunt; deinde ad alteram illius extremitatem crasso intestino inhærentem cõnectunt: postea minora intestina eximunt, & pinguedine liberant, & ex vnco suspendunt in eũ quem dicemus vsum. Carnes libratim vel ad pondus vendunt, vt & alia omnia; & ita præscindere norunt, vt singula fr usta aliquid ossiũ contineant. Quicumq. Turcarum bouem siue veruecem venalem habet, lanioni non venundabit, sed ipsemet ad officinam deducet, istícq; à lanio iugulari, & omnia apparari curabit, persolutoq. illi præmio, ipse carnes vendet, & earum precium recipiet. Hæc tamen consuetudo non perpetuò obseruatur. Nam & lanij armenta emunt in pagis & publicis foris, quorũ deinde carnes sigillatim in suis officinis venundãt.

CAP. XLVII.

De arcuum Turcicorum neruis & testudinum fidibus.

SVB vesperã ergo adueniet aliquis corbem dorsuariam gestans, & laniorũ tabernas obibit, excepturus intestina eo die reseruata, quæ deinde iis qui neruos & fides faciunt, tradit. Arcuũ autem neruos apprimè conficere norunt, quorum frequentissimus est vsus: omnium enim arcuum apud illos nerui ex intestinis conflati sunt. Omnis etiam generis fides conficiunt, eásq. admodum exiles: imò etiam neten, tam acutũ quàm nostrates reddentem sonum, sed non adeò clarum, quoniam ex tribus neruis contortæ sunt: potest tamen aliarum penuria testudini Venetæ inseruire. Eiusmodi netes varij generis, variorúmq. colorũ reperiuntur, rubri, Venetti, viridis, flaui, & albi: nullúsq. est institor qui eas & reliquas fides venales non habeat, etiam per vniuersum Turcicũ dominium, atque frequẽtiores quàm in Europa. Cuius rei hæc est ratio.

tio. Turcæ quatuor testudinum cauarum & lyrarum genera habent; quarum alterutras plerique pulsare norunt suo more, etiam rustici; quod neque in Gallia, neque in Italia vulgare est.

CAP. XLVIII.

De testudine caua & concentu Turcarum.

SI *quis de veterum Musicis instrumentis quidpiam conscribere cuperet, ea quæ per Græciam & Turcicum dominium conspiciuntur, ampliorem illi materiam suggereret quàm ea quæ tradita habemus. Tibiis etiã vtuntur Turcæ, iis ferè similibus quæ apud Germanos sunt, & sex foramina ex ordine posita habentibus, sed duos cubitos lõgitudine superantibus. Cum difficultate autem inflari possunt: nam os habent ab omni tibiarum Europæarum genere diuersum; supremum enim foramen ipsam fistulam penetrat; atq. inflari solent cantando plerumque per amplum extimúmq. foramen, sed exigua admodum, nostro iudicio, harmonia. Iam diximus Turcas inflare tibias nosse, tympana pulsare, lyras, panduras, & heptacalamos: sed & varia cauarum testudinum genera habent; quarum maximæ octo fidibus præditæ sunt, sed crassæ admodum, ceruice vtcunque longa, recta, multas tactus distinctiones habente; cúmq. eius fides nostris comparandæ non sint, eius etiã harmonia haudquaquã ad nostrã accedit. Alterum genus mediocris est magnitudinis, & magis vulgare, lyræ ferè simile, sed maioris harmoniæ, quódque difficiliùs pulsari possit: septẽ fidibus præditũ est, vt nostra Lyra, diuersus tamẽ eius est sonus, ad Turcicas & Græcas saltationes admodũ idoneus: hoc, nauticũ genus hominũ, præsertim palameriti à Græcis vocati, quales Pelopõnesi, Eubœæ & insularũ maris Aegæi incolæ, frequentiùs vtũtur quã qui in cõtinenti Asiæ habitãt: tactuũ nullas distinctiones habet vt lyra: iis tamẽ adnexis pro lyra vsi sumus: habet etiam neten post hypaten collocatam, quæ ad*

octauam netes anterioris intendi potest; breuior enim est, paxillúmq. habet ad infimæ ceruicis latus infixum. Tertium genus minus est superioribus, oblonga admodũ duorum ferè cubitorum ceruice, & multis tactuũ ordinibus distincta, tribúsq. duntaxat fidibus constat, cuius ideam commodiùs exprimere nequeo, quàm culinario cochleari proposito, cuius manubrium oblongum & quadrangulum sit: id quoniam magna facilitate pulsari potest, vilisq. est precij, paßim ab omnibus vsurpatur, & pluma eius fides tanguntur. At maritimum illud genus nulla tactuum serie distinctum, pulsari potest, vel fides pluma tangendo, vel summis digitis eas prehendẽdo, quemadmodum apud nos cauæ testudinis & lyræ: id genus ex Sabinæ illius quam in Tauro monte inuenimus ligno, quod nunquam finditur, factum est: media tabulati pars eodẽ ligno constat; altera ex piscis cuiusdam pelle cõfecta est, qui varia obtinet nomina: nam à veteribus & Aristotele Hyena piscis & Silurus dictus est, Græci huius ætatis Glanion appellant; ponticulus fides sustinens pelli illi insistit. Inueniuntur eiusmodi testudines ex crispa materia confectæ, quæ plus quã sex aureis æstimantur: suntq́ nonnulli nautæ qui eo precio comparare non verentur. Turcæ porrò reliquas nationes superant, vermiculatorum, segmentatorúmve operũ in marmorea, vitrea, siue lignea materia conficiendorũ industria. Videas interdum pyxidulas aurifabrorum 20. ducatis æstimari. Vitreæ Cairi & Constantinopolis fenestræ vermiculato fragmentorum vitri diuersorum colorum opere constant, conformata primùm ex gypso area, cui deinde vitri fragmenta applicant: eáq. consuetudo ab Arabibus ad Turcas transiit.

CAP.

CAP. XLIX.

Turcas latrunculorum ludum adprimè callere: magnumq. vsum gummi tragacanthæ apud illos esse.

IN *Latrunculorum ludo Turcæ sunt industry, eóque maximè delectantur: interdum enim totum diem ludendo traducunt, eapropter latrunculos semper circumferũt, alueiq. loco telam pictam. Admodum illis conuenit hic ludus: nam cùm humi sedeant otiosi, facilè ludendo totum diem impẽdere possunt: eburnei nonnunquã personis scalptura expressis reperiuntur: sed ea quam Reginam nos vocamus, carere nobis visi sunt, aliámque eius loco substituere. Prusæ hærentes, obseruauimus gummi tragacanthæ vsum adeò istic esse frequẽtem, vt singulis annis plus quàm quattuor millia pondo absumantur, ad lanorẽ serico conciliandum. Nam Asiæ minoris rustici, lucri cupiditate illecti per Mysiam, Phrygiam, Gallograciam, & Paphlagoniam gummi illud legunt, & Prusam deferũt, vbi illico præsente pecunia ab illis redimitur. Hallucinantur qui ex Creta Venetias deferri scribunt. Gallæ etiã genere vtuntur Veteribus ignoto, in Terebinthis nascente, cuius libro primo meminimus, admodum commodo ad sericum quouis colore inficiendum; huius plus quã sex millia pondo singulis annis insumunt. Concauæ sunt eæ gallæ, Romanarum gallarum magnitudine, innascentes Terebinthi maris foliis, vere colligendæ, alioqui in oblongæ & semipedalia interdum cornicula excrescunt. Tres Prusæ vulgares sunt linguæ, Hispanica inter Iudæos, Græca, & Turcica, quæ magis vsitata est. Istic etiam sunt nonnullæ Arabicæ, Armeniacæ, & Italicæ familiæ. Veneti & Chij suos istic Institores alunt. Duplici via Prusam Constantinopoli peruenire potest; marina, vel per continentem. Per continentem quinque dierũ iter est; per mare autem biduo aut triduo peruenitur: nam Prusa à Propontide dimidij diei itinere duntaxat abest. Appellitur in*

sinu Nicopolis veteribus dicto ad pagum Montaneæ nomine, à quo nunc is sinus appellationem sumpsit: locus verò est male fidus nautigis, quia portu caret: propterea illiço in siccum remulco pertrahuntur, ne tempestate à ventis excitata affligantur. Eius pagi incolæ Græcè loquuntur, bonique. sunt vinitores. Caloierorum istic est monasterium. Turcarũ Imperator binas liburnicas perpetuò habet, quæ Ianissaris mancipiis agũtur, quæq; singulis diebus Mercury (nisi tempestate impediantur) soluunt, altera ex Montanea Constãtinopolim, altera è Constantinopoli Montaneã, & eos qui è Constantinopoli Prusam proficisci cupiunt, vel cõtra, vehere solent. Eæ liburnicæ ex Montanea soluentes, niuem ex proximo monte, Olympi appendice, delatam transuehunt Constantinopolim. Sunt enim istic onerarij equi constituti, qui niuem è monte deferant, qua bidui spacio liburnica impleri potest. Quotquot vtrumque Hellesponti & Propontidis littus accolunt, ferè piscatores sunt, & Græco sermone vtuntur. Istic obseruaui rusticum herbas domum referentem, inter quas erat à veteribus Caucalis nuncupata, ille Cascalitra nuncupabat: cuius cùm iconem in recentiorum Herbariis non conspexerim, illámq. ad viuum expressam habeam; hoc loco proponere volui: ea cruda vescuntur in acetariis vti Lampsana.

Tandem Constantinopolim regressi per Domini d'Aramont, qui Turcarum Imperatorem in expeditione Persica sequutus erat, absentiam, ab ipsius Vicario viro nobili Biturige, cui nomen Iacobus de Cambray, non minus humaniter excepti fuimus quàm antea à prædicto Domino d'Aramont: istícque multos qui cum Domino de Fumet aduenerant, sed Constantinopoli restiterant, inuenimus: nam præter nobiles viros quos recensuimus, egregiè litteratum virum Iustum Tenellum adduxerat, quem Rex Franciscus litterarum

Restau-

Caucalis icon.



Restaurator expressè eò ablegauerat, veterum codicum Græcorum conquirendorum gratia.

CAP. L.

De floribus quibus Turcæ delectantur; deque eorum hortis, & variarum rerum apud eos experimentis.

FLOSCVLIS *elegantibus maximè delectantur Turcæ, atque illos magni faciunt, etiam inodoros. Nos oblectamur florum & herbarum odoratarũ commixtarum fasciculis: at Turcæ earum obtutu gaudent, & vnicum florem, non plures simul mixtos habere gestiunt. Ac licet eorum varia genera simul habere possint singulos tamen separatim in cydaris suæ voluminibus gestant. Opifices plerumque variorũ colorum flores in vasculo aliquo aqua pleno ante sè habere solent, vt eorum elegantia diutiùs conseruari queat. Non minorem etiam quàm nos in colendis hortis adhibent Turcæ curam, nec minus diligentes sunt in conquirendis arboribus exoticis, si præsertim elegantibus floribus sint præditæ, nec in eo studio vllis sumptibus parcunt. Arbores in suis hortis alunt Amy-*

gdalæ magnitudine, quas Græci vulgari lingua Kromada appellant, Turcæ * Cromadia, quasi dactylos; edulis etenim earum est fructus, folium Andrachnes. Alunt etiam fruticem hederæ foliis, perpetuò virentem floribus violaceis, pediculum oblongum ambientibus, & caudæ vulpinæ crassitiem æquantibus, qua de causa Turcæ eum sua lingua vulpinam caudam appellant. Lilia † rubra istic in omnibus hortis vulgaria sunt; à nostratibus autem differunt, quorum flores albis liliis similes sunt; at illorum folia arundinacea sunt, radices vt graminis, sed longè crassiores. Plerique exteri nauibus Constantinopolim appellentes, radices aduehunt stirpium quæ elegantes flores proferunt, non ignari se ex illis quæstum facturos. Cùm aliàs diximus Græcos herbas negligere quæ non sunt edules, Turcas nõ comprehẽdimus, qui nunc Græcos superant in nominibus tribuendis; nulla etenim est herbula, modò eleganti flore sit prædita, cui vulgari sua lingua nomen nõ imponant. Inter reliquas magni faciunt Carthamũ, nõ modò odoris causa, sed quod oculos recreet, quodq. capite sit veluti arte cõpacto. Mira habẽt Turcæ variarũ rerũ experimenta. Est ne singulare quidpiam, medicamentum inueniri quod statim somnum conciliet ei qui quiescere non potest? Sumpta ergo apud aromatarios (pharmacopæis enim, vt diximus, carent) pro dimidij aspri precio Tatoula, illi qui vigiliis torquetur, exhibent. Tatoula autem nihil aliud est quàm Nux Methel Arabibus dicta, Græcis Solanum somniferum, quam sponte nascentẽ in planis Hiericuntis apud Helisæi fontem reperimus. Iouius de Selimo Imperatore agẽs, scribit illũ vesci semine quodã solitũ, quod animo voluptatẽ adferret, & rerũ quæ molestia animum afficiunt, memoriam tolleret: sed ignorat quale id semen sit, nisi forte sit Nepenthes. Nos autem obseruauimus Turcas semine vesci palàm istic in omnibus foris venali, stirpis Harmala, qua Ruta silue-

stris

stris genus est, de qua libro secundo egimus, quaeque passim in agris & inter sepes istic nascitur, apud nos verò minimè. Dum eorũ stirpes obseruare cupimus, sæpiùs ipsorum hortos ingressi sumus: sed nullum vidimus magis singularem & elegantiorem eo qui à Venetis Patauij colitur, cuius auctor fuit Daniel Barbarus, Patriarcha Aquileiensis, magni vir iudicij & insignis eruditionis: ab eo deinde secundum in nostra Gallia apud D. Maurum non procul Lutetia Parisiorum. Mespilus Aronia, & Pruneola ferens arbor frequentes sunt per Constantinopolitanos hortos: reliquas etiam arbores fructiferas, vt Amygdalas, Persicas, Malos, ab ipsis diligenter colì iam diximus.

* Id Cromadia fortè est Trebison Kurmasi siue lauro cerasus, primo Pannonicarum stirpium historiæ libro à me descripta.

† Lilium autem eius rubrum, Liriasphodelum puniceum nostrum esse arbitror.

CAP. LI.

De stellis animalibus per Thraciam noxiis, & de quorundam animantium atque plantarum in Ponti littore collectarum, & in foro Constantinopolitano conspectarum, nominibus.

CERTO *quodam anni tempore, ouium greges in agris pasci, nec noctu sub dio relinquere audent Turcæ: quoniam, vt ipsi asserunt, binæ sunt stellæ, quas proprio nomine indigitare norunt, Iulio & Augusto noctu apparentes, illis planè verticales; quarum splendorem si oues, caput attollentes, conspiciunt, ipsæ intereunt: sin eo tempore sub tecto adseruentur noctu, nullam noxam patiuntur. Remitæ sese habere, experimento indubitato se didicisse affirmant. At hæc per vniuersum Turcæ dominium non accidunt, verùm nonnullis duntaxat Thraciæ locis. Eam ob causam, nunquam nisi eo tempore ouium greges noctu sub tectum agunt, ne hieme quidem. Pleraque aliæ prouinciæ, harum obseruationum imperitæ, quæq; maximo interdũ damno afficiuntur ex gregis interitu, cau-*

ſam ignorantes, veneficarum præſtigiis ſe id damnum accipere æſtimant: quod Virgilius in ſuis Eclogis innuere videtur. Nos verò id primùm Conſtantinopoli intelleximus ab his qui certo quodam precio lanionibus oues præbere ſolent, quiq; ea de re conquerebantur. Quod poſtea verum eſſe deprehendimus. Etenim cum viperario Turca ſecundùm Ponti littus iter faciens, onium greges ſub tectis delitescere conſpexi; cauſamque ſciſcitatus, tametſi paſtores ignorarent, reſponderunt tamen, reliquo tempore ſub dio verſari ſolere: verùm ſi tum temporis noctu foris relinquerentur, eas morituras. Sequētes porrò ſtirpes in itinere obſeruauimus; ciſtum cum hypociſtide eius radicibus adnaſcente frequentem, ſparthij tria genera, periclymenum, aphacen, androſæmon frequentiſſimum, quod Itali Cecilianam nominant, omnis generis plantagines, linariam, lampſanam, millefolium odoratum, lagochimeni, chondrillam, maluam ſilueſtrem & pleno flore, praſium, marrubium, chryſanthemum quod edule eſt, chamæmelum, cedri pumilæ duo genera, iuniperos pumiliones, arbutum, platanum, corylum, hederam, ſambucum, delphini etiam ſcheleton ſuis adhuc ligamentis connexum in littore, ſmilacem aſperam, corrudam, trifolium mœnianthes, caucalidem, fœniculum agreſte, terebinthum, nerion, prunum ſilueſtrem, eupatorium Græcorum, teucrium, androſacen, armoraciam, vrticas, aſpalathum, agourupes, aron, bellidis duo genera, conſolidæ genus radice orbiculari, incolis Steroulī dictum, pimpinellam, galiopſim, calamintam, origanum heracleoticū, hippurim, buphthalmum, hippolapathum, helleborum nigrum, filicis duo genera, papauer ſilueſtre, hyacinthi tria genera, conyzas duas, maiorē & tertiā, orchides, violas, ericam, ferulam, ſua oua edulia ferentē, hyſſopū ſilueſtrē, meum, ſymphitum flauo & albo flore, lupulum, aſclepiadem, cynogloſ-

ſum

ſum, calendulam agreſtem; vlmum, chamædryn, colchicum, carduum benedictum, ſyderitin, oxalida, quercum, laurũ, helxinẽ, cichoriũ, roſam ſilueſtrẽ, cõuoluulũ, ſtachyn, aſperulam, oxyacanthã, ſtyracem chamædaphnen, anchuſam, lycopſin, alaternum, thalictrum, chamæiridem, tria tithymali genera, marem videlicet, myrſinitem, & helioſcopium, ornithogalum, populum nigram, & lybicam, caſtaneam, alnum, rhus coriariorum, pulegium, ſorbum torminalem, quam Galli Aliſier appellant, euonymum, anabaſin, verbenam peristereon, aceris duo genera. Viperarius porrò quẽ comitẽ habui, licet Turca, quos inuenimus ſerpentes vulgari Græca appellatione exprimere potuit, vti inter reliquos dryinũ veterum, quem dendrogaillia nunc vulgò appellant, dictione ad veterem nonnihil accedente: nullũ aliũ ſerpentem qui in maiorem molem excreſcat, quiq. ſibilũ maiorẽ emittat, cognouimus. Eum tam magnum aliquando inuenire memini, vt ſacco impoſitũ ruſticus per duo milliaria ferre nequiuerit, quin quieſcendum illi fuerit: illius exuuium fœno repletum, craſſi alicuius viri crus magnitudine æquabat. Huiuſmodi atque aliorum ſerpentum, auium, animaliumque terreſtrium exuuiis, ſtirpibus item integris & rariorum plantarum ſeminibus, atque marinis multis rebus ingentem capſam impleueramus, & in nauem onerariam Genuenſem, cui nomen la Delfina, intuleramus, ad Dominum Vualdi pertinentem, cui præerat quidam Franciſcus Bruſquet, qui in Anglia eã exonerare debebat, ſed à pyratis intercepta, Argeriam perducta fuit, nobiſq; ea omnia perierunt. Tanta porrò eſt inter ſerpentes viuos affinitas, vt vix diſcerni queant: nihil igitur mirum, ſi eorum icones atro duntaxat & albo colore expreſſæ, adeò ſimiles ſint. Hæc tamen genuina eſt dryini pictura.

Serpentem etiam inuenimus callum inſtar tuberculi in fronte habentem, qui noſtra opinione veterum Aſpis

Dryni icon.



eſt, mihi admodũ rarus viſus, tametſi iã antea apud Brutios in Italia eũ conſpexiſſemus. Vt autẽ Ceraſtes ſupra oculos, binos callos elatiores habet: hic vnicũ callũ habet, coloréq. Amphiſbænã æmulatur. Iã de Ceraſte in ſecũdo libro egimus, nunc tamen illius iconem hîc exhibere libuit; at eius pleniorem hiſtoriam, tum reliquorum ſerpentum, eorũq; icones, duobus libris quos illis dicauimus, dabimus.

Ceraſtis icon.



Sala-

Salamandras præterea vbique ferè vulgares, quas nostri Sours, Pluuines, & Mirtils appellant, & Phalangia inuenimus. Redeuntes autem secundum maritimam oram, cùm ad Bosphori fauces eas peruenissemus, vbi Propontidis caput est, in altiorem vicinum montem conscendimus; ibique aucupem reperimus, accipitres præteruolantes capientem, eo quo referemus modo. Mirum autem nobis videbatur (cùm mensis May initium esset, soleantq; omnes aues eo tempore suos nidos obsidere) tot miluios & acciptres ex Ponti Euxini dextro latere subsequenter aduolantes è longinquo quantum oculorum acies penetrare paterat, conspicere. Magna industria auceps eos capiebat, nec vnquam aberrabat. Auceps aream quandam binos aut tres passus à dumo quodam distantem complanauerat, quadrangulã, binos passus in diametro habentem, in cuius ambitu ternas vtrinque virgas pollicaris crassitudinis, & altitudinis humanæ, terræ infixerat, quarũ singulæ qua aream spectabãt, crenam habebant, cui alligatum erat retę ex tenui filo viridi contextũ, & humana altitudine extensum: in media area fixerat bacillum cubiti longitudine, cuius summo funiculus alligatus erat perductus ad aucupem vsque pone dumum latentem, cui etiam funiculo alligatæ auiculæ in area grana depascebãt, quas attracto funiculo volitare cõpellebat, simulatq. è lõginquo accipitrẽ aduolantẽ à Ponto Euxino animaduertebat: accipiter acutissima oculorũ acie præditus auiculas depascẽtes conspiciẽs, magno impetu in eas irruẽs, in retę incidebat: auceps illico eũ capiẽs, eius alas in lineũ pannũ ad eã rem paratum vsq. ad cõmissurã immergebat; deinde colligatis extremis alis cũ coxis & cauda accipitris, atq. obductis illius oculis, humi iacere sinebat, commouere enim se non poterat. Imaginari nescimus vnde tot aduenirent accipitres: nã duarũ horarum spacio quo istic substitimus, plures triginta cepit,

pit, sic vt existimem centenos ab vnico homine capi posse vno die. Cæterùm qui herbas Constantinopoli venales in foro proponunt, pleraque habent quæ neque notæ, neque in vsu sunt apud nos; qualis est lampsana, quam vulgò Lapsana ipsi appellant: sed cùm in caulem abiuit & florere incipit, Vrouues nuncupant: hæc cruda degustata, raphanum sapit; cocta verò, amara redditur. Eleoselinon diligenti cultura dulce reddunt, eoq; crudo in omni ferè pastu vescuntur, & Selino appellant: nostrum verò selinon hortense, Macedonico. Venales etiam proponunt smilacis asperæ, quam Smilachia vocant, asparagos: boni sunt saporis in acetariis, quemadmodũ & Sigilli B. Mariæ asparagi, quod ipsi Embegli melena, corrupta voce nominãt ab ἄμπελος μέλαινα, id est, vitis nigra, Anconitani Tamarou nuncupãt. In Turcici imperij vrbibus fora celebrãtur singulis diebus septimanæ: nã vt Constantinopoli obseruaui, tali loco forũ celebratur die lunæ, alio loco die Martis, in Galata die Iouis, & sic de aliis. Atq. si quid in vrbe sit rari, iis diebus demonstratur. Itaq. dũ Constantinopoli hæsimus, sæpiùs eorum fora adiimus, & pleraque singularia ab exteris prouincuis aduecta conspeximus, præsertim inter medicamenta quorumdã circumforaneorum medicorum, qui summam diligentiam adhibent vt aliquid rari nanciscantur, quò illud publicè proponentes, multi spectatum adueniant, quibus aliquid suorum medicamentorum vendant. Alij enim serpentes proponunt: alij vnguenta & radices solummodo vendunt, & semen contra vermes: atque sæpiùs ex Aegypto Constantinopolim commeant. Nam quosdam Constantinopoli agnouimus, quos antea Cairi videramus, à quibus pisciũ in Nilo versantiũ nonnullas icones nacti sumus, quas libro de Piscibus exhibebimus. Quoniã porrò animal *Tatou, cuius iã antè meminimus, apud illos interdum conspicitur, delatum tamen ex Guinea & nouo orbe,

Tatou icon.



orbe, cuius veteres non meminerunt, illius iconem hîc subiicere voluimus.

In multorum musæis iam conspicitur hoc animal, licet ex tam longinquis regionibus petitum, quòd natura illud duro cortice latisque squammis armarit, thoracis ferrei in modũ, quodq; caro facilè eximi possit, nullo vitio ipsius formæ illato. Iam illud erinacij Brasiliani genus diximus: nam erinacei modo intra suum corticem sese contrahit: mediocrem porcellum magnitudine non excedit; cui crura cum pedibus & rostro similia habet, & conspectum est in Gallia frumento & fructibus vesci.

Notum est Gallis aliud animal nomine Tartaret aut Tartarin, cuius hoc loco meminisse non abs re visum fuit, ne dictionum affinitas quem fallat, Tatou cum Tartaret confundendo. Nostro autem iudicio Tartaret est Aristotelis Simia porcaria, cuius antè mentionem fecimus, cùm de Cairi circulatoribus ageremus. Nonnulli eam Maimon vocant, alij Magot in Gallia. Neque eius iconem, neque descriptionem hîc exhibemus, quoniam aliàs de ea latiùs disputare volumus; præsertim cùm adhuc controuersia sit de appellatione Gallica, & aliqui contendant Magot siue Maimon aliud animal esse quàm Tartaret.

FINEM *porrò nostris Obseruationibus imposituri, Lectorem admonere voluimus, ne agrè ferat, si interdum animalis alicuius aut stirpis iconem exhibuimus: cuius obiter duntaxat meminimus: nam si omnia quorum in hoc libro mentionem fecimus, describenda fuissent, sublata foret omnis occasio de iis aliàs peculiariter agendi: vbi tamen ea sese obtulit, pro rei opportunitate sermonem de quibusdã agẽtes, vel produximus, vel contraximus. Ceterùm vt exteræ nationes harũ nostrarũ Obseruationũ etiã participes fiant, eas alia lingua describere habemus in animo, sed alia methodo & dispositione. Interea si Lector ex harũ lectione vtilitatem aliquam percepe-*